Jamd S. Pollock 1881

ANALYSIS LOGICA EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

UNA CUM SCHOLIIS ET OBservationibus locorum doctrinæ.

Authore

M. JOHANNE PISCATORE, sacrarum literarum in illustri schola Nassovica-Sigenensi Professore.

LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1596.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO JOHANNI COMITI PALATINO Rheni, Duci Bavariæ, Comiti Veldentiæ & Sponhemii: Domino suo clementissimo ac benignissimo

Gratiam & pacem à Deo Patre per Dominum nostrum Jesum Christum.

ILlustrissime Princeps, Domine clementissime. Hominibus sapientibus & piis illi potissimum libri chari atque accepti esse solent ac debent, qui non solum à viris piis & sapientibus scripti, & virorum piorum ac sapientum judicio approbati sunt: sed etiam veræ pietatis & cœlestis sapientiæ doctrinam, eamq; sapienter & justo ordine propositam complectuntur. Ista autem omnia in Evangelio Lucæ, quod commentario hoc meo illustrare suscepi, concurrunt. Primùm enim ipse Lucas, libri hujus scriptor, vir pius ac sapiens fuit. Et sapiens quidem non solùm quoad notitiam rerum naturalium, quippe medicus, Coloss. 4. v. 14. sed etiam rerum spiritualium, quippe præco Evangelii: ut quem Apostolus Paulus inter suos συνεργοὺς seu adjutores numeret, Philem. v. 24. Pietas verò illius perspicitur ex eo, quod charus fuit Apostolo Paulo: quippe cui in duobus bene longis itineribus perpetuus comes fuit, & cui Romæ in vinculis posito ad mortem usque illius fideliter adhæsit. Itinerum illorum primum fuit ex urbe Macedoniæ

Philippis Hierosolymam usque: ut percipitur ex verbis ipsius Lucæ Act. 20. v. 6. & cap. 21. v. 15. Secundum verò iter fuit ex urbe Hierosolyma Romam usque, ut narratur Act. 27. v. 1. & cap. 28. v. 16. In quorum itinerum primo liber fuit Paulus, in altero vinctus: unde pietas Lucæ elucescit: qui quē liberum sectatus fuerat: & in prædicando Evangelio adjuverat, eundem vinctum non deseruit, sed constanter ei adhæsit fidelitérque ministravit. Quæ quidem constantia & fides etiamnum magis perspicitur ex eo, quòd Romæ cum eodem vinctus & supplicii sententiam Christianæ Religionis nomine, subinde exspectante per totum biennium mansit: ut partim ex Epistola ad Philemonem, partim ex posteriore ad Timotheum colligi potest. Ad Philemonem enim Romā è vinculis scribens Paulus, salutat eum verbis Lucæ, tanquam secum versantis, vers. 24. Illum autem Epistolam scripsisse videtur sub biennii illius initium: quippe quum adhuc spem haberet, se è vinculis liberatum iri: ut percipitur ex eadem Epistola v. 22. Posteriorem verò ad Timotheum scripsisse apparet sub biennii illius finem, quum jam certò statuisset, se propediem supplicio affectum iri: ut colligitur epistolæ illius cap. 4. v. 6. At ibidem v. 11. fidem atque constantiam Lucæ commendat: ut qui secum manserit solus, quum cæteri omnes ei ipsum deseruissent. Neque hic silentio prætereundum est insignem illam laudem quam Paulus 2. Cor. 8. v. 18. & 19. fratri cuidam tribuit, à veteribus de Luca hoc intellectum esse. Misimus (ait ibi Apostolus) simul cum Tito fratrem illius cujus laus est in Evangelio per

Act. ult. v. 30.

omnes

omnes Ecclesias. Nec id solùm: sed etiam suffragiis delectus est socius peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia quæ administratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & comprobandum prōptum animum vestrum. Hæc ibi Apostolus: quæ quidem à persona Lucæ nequaquam alienæ sunt. Etsi enim quod dicitur, laudem hujus fratris esse in Evangelio, non videtur intelligendum (ut veteres intellexerunt) de Evangelica historia à Luca scripta: sed potius de Evangelii prædicatione: tamen hoc ipsum in Lucam quadrat: quippe quem Pauli συνεργὸν fuisse ostendimus. Quod autem fuerit quoque socius peregrinationis Pauli, idex ipsiusmet Lucæ narratione constat, Act. 20. v. 6. & deinceps. Atque hæc de ipso libri hujus scriptore dicta sunt. Iam ad judicia aliorũ priorum & sapientum virorum de hoc illius scripto quod attinet: illud jam inde ab initio à doctoribus Ecclesiæ Christianæ fuit receptum, & (quod ad commendationem illius & authoritatem stabiliendam cumprimis facit) ab ipso Apostolo Iohanne approbatum & Ecclesiis commendatum. Is enim (ut Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib. 3. cap. 21. testatur) quum trium Evangelistarum scripta ad cunctos jam, & ad ipsum quoque pervenissent: probavit illa, & testimonium veritatis eis dedit. Veniamus nunc ad res ipsas quas Lucas in hoc libro tractat: videbimus eas illius generis esse ut meritò nobis hunc librum quàm commendatissimum reddere debeant. Texit enim ille, ut & cæteri Evangelistæ, historiam Evangelicam: id est, narrat ea quæ Dominus noster Iesus Christus salutis nostræ causâ docuit, fecit & passus est. Et ne

quis putet, supervacaneam esse hujus libri lectionem, si quis cæterorum Evangelistarum narrationes jam cognoverit: is sciat, Lucam plurima à cæteris omissa
Cap. 1. narrare. Cujus generis sunt quæ narrat de conceptione, nativitate & circumcisione Iohannis Baptistæ; cujus testimonio Christum populo Dei commendari, atque ita animos illius ad eum excipiendum & am-
Ibid. plectendum præparari oportuit. Item quæ narrat de conceptione ipsius Christi per singularem operationē
Ibid. Spiritus sancti. Cantica item illa, Spiritu Prophetico plena; Elisabethæ matris Iohannis Baptistæ, Mariæ virginis matris Domini, Zachariæ Sacerdotis
Cap. 2. patris Iohannis Baptistæ. Tum nativitatis Domini descriptio accurata: ubi narratur patefactio illius per Angelum ad pastores Bethleëmiticos, necnon An-
Ibid. gelorum hymnus. Adhæc de Domini circumcisione: de illius tanquam primogeniti in templo oblatione ac redemptione: ubi canticum Simeonis, quo testimonium publicè Domino reddidit: quod idem Anna
Ibid. quoque prophetissa fecit. Pòst, quomodo puer duodecim annorum in festo Paschatis Hierosolymæ cum
Cap. 3. doctoribus disputarit. Neque illud parvi momenti est, quòd progenitores Christi inde à materno avo ad Adamum usque deducit. Quæ autem Dominus inde à trigesimo ætatis suæ anno per annos quatuor dixit ac fecit: in his quoque multa à cæteris præter-
Cap. 4. missa Lucas narrat. Cujus generis sunt: concio habita Nazarethæ in synagoga, ex qua concione populares ipsius ita excandescentiâ repleti fuerūt, ut eum extra urbem ejecerint & de supercilio montis præci-
Cap. 5. pitare conati sint. Captura illa piscium: quum Simon

Petrus

Petrus & socii per totam noctem frustra fatigati, ex jussu Domini rete jacientes, tantam piscium multitudinem concluserunt, ut rete diruptum sit: ut opitulatione sociorum ad extrahendũ eguerint: ut denique duas naves ita impleverint, ut ille mergerentur. Sermo itẽ prolixus ad discipulos habitus in loco campestri: qui etsi cum illo quem narrat Matthaeus capitibus quinto, sexto & septimo, multa similia habet: tamen ab eo diversus est: quippe quum ille habitus sit in illo monte. Historia de muliere peccatrice: qua quum Dominus accubuisset in domo Pharisaei, allato alabastro unguenti, & stans apud pedes ejus retrò, flens cœpit lachrymis rigare pedes ejus, & eosdem capillis capitis sui extergebat & deosculabatur atque ungebat. Quae res occasionem Domino praebuit proponendi convivatori suo parabolam de duobus debitoribus: quorum unum grande, alteri exiguũ debitum à creditore condonatum fuit. Historia de Samaritanis recusantibus Domino hospitium: unde discipuli zelo intempestivo inflammati, igne caelitus elicito illos perdere conati fuerunt: sed à Domino cum objurgatione repressi sunt. Legatio discipulorũ septuaginta in urbes & loca Iudaeae, quò ipse venturus erat: quos discipulos iisdem ferè mandatis instruxit, quibus antea instruxerat duodecim Apostolos, ut apparet ex collatione capitis decimi apud Matthaeum. Parabola de Samaritano qui inciderat in latrones: qua quisnam nomine proximi in lege Dei intelligendus veniat, edocemur. Historia de diversis erga Dominum studiis atque officiis duarum sororum, Mariae & Marthae: quarum illa ad pedes

Cap. 6.

Cap. 7.

Cap. 9.

Cap. 10.

Ibid.

Ibid.

Domina assidens, sermonem ejus attentè audiebat: ista verò interim circa frequens ministerium distrahebatur, ut Dominum lautè exciperet. Quo nomine à Domino reprehensa: & contrà soror laudata fuit, ut quæ meliorem partem elegisset. Cap. 11. Sermo habitus in domo Pharisæi cujusdam in prandio, quo hypocrisin Pharisæorum liberrimè & gravissimè reprehendit. Qui sermo etsi multa communia habet cum eo quem recitat Matthæus capite vigesimotertio: tamen ab illo diversus est: quippe quum hic habitus sit, antequam Dominus postremò Hierosolymam proficisceretur: ille autem quum jam postremò Hierosolymam profectus, partim illic, partim in vico Bethania sub tempus passionis suæ degeret. Nec prætereundum est responsum illud Domini quod dedit iis Cap. 13. qui nuntiarunt de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus cum ipsorum sacrificiis miscuerat: de agenda scilicet singulis pœnitentia, ne similiter pereant. Item historia de sanata mulliere incurva. Responsum item Ibid. ad quæstionem de multitudine aut paucitate salvandorum: contendendum scilicet singulis ut intrēt per angustam portam. Adhæc responsum datum cuidam Ibid. Pharisæo, qui Dominum monuerat de insidiis Herodis: ubi Herodis astutiam vulpis nomine notans, fortiter profitetur se insidias illius nil morari: sed constanter brevi illo temporis spatio, quod sibi adhuc supersit, munere docendi & doctrinam suam miraculis confirmandi perfunctūrum, donec Hierosolymis propter doctrinam suam ad supplicium rapiatur. Cap. 14. Tum historia de sanato quodam hydropico in domo cujusdam è primoribus Pharisæorum, idq;

die

die sabbathi. Quo tempore reprehendit quoque tum convivas, quum videret eos eligere primos accubitus: tum ipsum convivatorem, quum consideraret illius animum perversum in convivis invitandis. Quo Ibid.
eodem tempore parabolam quoque proposuit de homine qui fecerat cœnam magnam: quam quum previssent amici invitati, obvios quosque mendicos ex plateis urbis & compitis viarum ad illam congregavit: qua parabola innuebat Dominus Iudeorum rejectionem, & Gentium vocationem in locum illorum. Postea recitantur parabolæ aliquot, ad con- Cap. 15.
solationem peccatorum resipiscentium directæ: de ove scilicet una è centum perdita & per pastorem studiosè quæsita atque inventa: de perdita item à muliere drachma una è decem & iterum inventa: denique de perdito illo & prodigo filio: qui patrimonii sui partem sibi à patre deposcens, peregrè profectus omnia abligurivit: tandem verò ad extremam inopiam redactus & fame pressus, ad patrem spe gratiæ impetrandæ reversus est, & ab illo cum Cap. 16.
gaudio receptus. His accedunt parabolæ aliæ duæ: una de dispensatore injusto & callido, qua pius beneficentia & liberalitas erga egenos commendatur: altera de divite epulone & mendico Lazaro, qua falsa de divitum impiorum fœlicitate opinio damnatur. A solo etiam Luca narratur historia de decem leprosis à Domino purgatis: quorum unus tantùm, isq; Sa- Cap. 17.
maritanus, pro beneficio accepto gratias illi egit. Tum aliæ recitantur parabolæ duæ: una de judice injusto, vindicante tandem viduam absque fine in- Cap. 18.
stantem, qua assiduitas precãdi nobis commendatur: altera de orantibus in templo Pharisæo & Publica-

no, qua propriæ justitiæ opinio damnatur, & humilis peccatorum confessio collaudatur. Insignis etiam est
Cap. 19. historia de conversione Zacchæi publicani: quo tempore Dominus parabolam proposuit de minis quas homo quidã nobilis peregrè abiens, servis suis dedit ad negotiandum per illas; qua sedulitatem exercendi dona spiritualia in prædicando verbo Dei, Apostolis & omnibus Verbi ministris usq; ad finẽ mundi commendare voluit. In historia quoq; passionis aliquid occurrit, quod in cæteris nõ reperitur: videlicet quo-
Cap. 23. modo Dominus à Pilato ad Herodem missus; & ab illo ludibriis exceptus, ad istũ remissus sit. Postremò in iis quæ post Domini resurrectionem acciderunt, narratur insignis apparitio, à cæteris prætermissa:
Cap. 24. quã scilicet Dominus in via apparuit duobus discipulis Emmäuntem euntibus: quibus scripturas de Christo passuro & resurrecturo aperuit, tandemq; ab illis in fractione panis est agnitus. Hæc igitur omnia, & alia quoq; nonnulla quæ hîc brevitatis studio omisimus, à Luca solo, ad historiam Christi pertinentia narrantur: quæ certè ejusmodi sunt, ut ad ædificationem tum fidei tum vitæ nostræ plurimũ conducant. Postremo ad commendationem hujus libri illud quoq; facit, quòd Lucas ordinem rerũ gestarum accuratè observavit: quod ipsum quoq; in principio libri non obscurè profitetur. Quæ omnia quãvis ita sint: neminem pium ac divinarum rerum studiosum fore arbitror, qui non hunc librum in maximo pretio sit habiturus: ac proinde meum quoque hunc laborem quo illustrare illum sum conatus, sit probaturus.

Tuæ autẽ Celsitudini, illustriss. Princeps, cõmentarium hunc meum inscribendũ duxi: tum quòd illã

hoc honore multis nóminibus dignũ esse judicavi: tum quòd me rem gratã illis facturum mihi persuasi. Mererentur hunc honorem ea quibus Celsitudinem tuam præditam esse apparet, virtutes: sapientia, prudentia & pietas. Sapientiæ enim est, quòd literis tũ humanis tum divinis inde à puero fideliter instructus & feliciter imbutus, de talibus scriptis rectè potes judicare. Prudentiæ est, quòd scholam Hornbachianam ab illustrissimo parente tibi relictam, strenuè hactenus conservas: ut qui nóris, scholas Christianas tãquam seminaria esse, unde suo tẽpore doctores & pastores Ecclesiæ prodeunt. Pietatem denig; ostendit Celsitudo tua in eo, quòd doctrinã religionis apud subditos suos quatenus opus esse intellexit, corrigi ex verbo Dei curavit. Itaq; dubitari à nemine rectè judicante potest, quin celsitudo tua tali honore dignissima sit. Cæterùm gratũ Celsitudini tuæ fore opusculũ hoc meũ, duo sunt quæ mihi persuadent: unum, quòd ex fide dignis intellexi, Celsitudinem tuam de aliis quibusdã hujus generis scriptis meis bene sentire: alterũ, quòd humanitatem Celsitudinis tuæ & singularẽ erga me benevolentiam perspicere mihi visus sum puer ex eo, quod Celsitudo tua ad literas meas quibus illam de promouendis sua liberalitate studiis honesti cujusdã juvenis rogavi, humaniter & cum significatione benevolentiæ respondere dignata est. Quod restat: Deũ patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut Celsitudini tuæ vitam diuturnam & felicẽ gubernationem largiatur, ad nominis sui gloriam & Ecclesiæ ædificationem: Amen. Sigenæ 18. Martij 1596.

C. T.

Observantissimus
Johannes Piscator.

SIGNIFICATIO NOTA-
rum marginalium.

διδ. διδασκαλία, doctrina: nempe de natura aut operibus Dei vel de natura operibúsve hominis, aut diaboli.

ἔλ. ἔλεγχος, redargutio: videlicet alicujus erroris aut falsi dogmatis cum doctrina verbi Dei pugnantis.

παιδ. παιδεία, institutio: id est, præceptio officiorum hominis Christiani.

ἐπ. Id est ἐπανόρθωσις, correctio: id est, admoniti de corrigendis vitiis quæ officio hominis Christiani adversantur.

παρ. παράκλησις, consolatio contra omnis generis tentationes, quæ Christiano homini accidere solent.

ἐκδίκ. ἐκδίκησις, vindicatio loci Scripturæ à falsa interpretatione.

ἀπ.

λύσ. ἀπορίας λύσις, solutio dubitationis

ANALYSIS LOGICA EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Argumentum Libri.

Lucas scripturus historiam de Jesu Christo domino ac servatore nostro, narrat primùm ea quæ pertinent ad illius infantiam: deinde ea quæ ad pueritiam atque adolescentiam: postremò quæ ad virilem ætatem. De infantia narrat duo: conceptionem, cap. 1. & nativitatem, cap. 2. usque ad vers. 40. De pueritia atque adolescentia narrat quinque: videlicet incrementa donorum Dei, specimen muneris prophetici in eo quòd disputavit cum doctoribus in templo, specimen muneris regii in eo quòd liberè reprehendit, subjectionem erga parentes, & interiùs profectum in donatum animi tum corporis: à v. 40. capitis 2. usque ad illius capitis finem. De virili ætate narrat administrationem muneris triplicis: Prophetici, Sacerdotalis, & Regii. Ac primum quomodo administrârit munus Propheticum tum prædicando, tum prædicationem miraculis confirmando, narrat indè à v. 14. capitis quarti usque ad caput 22. exceptis iis quæ pertinent ad munus Regium, in capite 19. Sed huic narrationi præmittitur narratio præparationis, quomodo ad munus Propheticum ad ministrandum sit præparatus, capite 3. & 4. usque ad vers. 14. Deinde quomodo administrârit munus Sacerdotale, offerendo seipsum pro peccatis populi Dei, narrat in historia passionis Domini, duobus capitibus, 22. & 23. Postremò quomodo administrare cœperit munus Regium, videlicet quum vectus pullo asini, comitante & congratulante populo, ingressus est in urbem regiam Hierosolymam, ibi demq; repurgavit templum: item quomodo sese ad plenam muneris regii administrationem præparârit, quàm scilicet vi suæ deitatis

resurrexit à mortuis, & paucis post diebus ascendit in cœlum. Ex his duo priora narrat cap. 19. à v. 29. usque ad capitis illius finem: duo posteriora cap. 24. quod est ultimum.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Caput primum sex habet partes. Prima pars, est præfatio Lucæ in hunc librum, usque ad v. 5. Secunda, narratio de conceptione Johannis Baptistæ, præcursoris ac primi ex hominibus testis publici Domini, usque ad v. 26. Tertia, narratio de conceptione Christi, usque ad v 39. Quarta, recitatio prophetationis Elisabetæ & Mariæ de ipso, usque ad v. 57. Quinta, narratio de nativitate & circumcisione Johannis Baptistæ, usque ad v 67. Sexta, recitatio prophetationis Zachariæ tum de Christo, tum de Johanne.

PRIMA PARS.

Præfatio Lucæ.

1 *Quoniam multi aggressi sunt componere narrationem earum rerum quarum plena fides nobis facta est,*

2 *Prout tradiderunt nobis qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis:*

3 *Visum est etiam mihi, omnia à principio accurate persequuto, ordine de eis ad te scribere, præstantissime Theophile:*

4 *Ut agnoscas eorum sermonum veritatem quos auditione accepisti.*

In præfatione duo agit Lucas: nam partim causas suscepti scriptionis exponit, partim scriptionem hanc suam commendat. Causas exponit duas: impulsivam & finalem. Impulsivam, exemplum aliorum, ubi videtur notare infidelem aut falsam aut saltem imperfectam illorum relationem, v. 1. Finalem, ut Theophilus habeat veram & perfectam notitiam historiæ Christi, v. 4. Commendat verò hanc scriptionem ab adjunctis tribus: primùm à veritate: quam demonstrat testimonio discipulorum Christi, sive Apostolorum, v. 1. & 2. deinde à methodo sive ordine narrationis, v. 3. tum à perfectione. ibid. Simul autem v. 1. notatur subjectum de quo scribere instituit, ubi ait, *Earum rerum*

rerum quarum plena fides facta est nobis: Nobis scilicet qui sumus doctores Evangelii de Jesu Christo. Deinde v. 2. idem apertiùs significatur nomine *Sermonis*, si eo intelligatur Filius Dei D. N. J. Christus.

PARS SECUNDA.

Narratio de conceptione Joh. Baptistæ.

Fuit in diebus Herodis regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex classe Abia: uxor verò ipsius erat ex filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabet.

6 *Erant autem justi ambo in conspectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpatè.*

7 *Et non erat eis proles, eo quòd esset Elisabet sterilis, & ambo provecti jam essent ætate.*

8 *Factum est autem quum is sacerdotio fungeretur in ordine classis suæ ante Deum;*

9 *Secundùm ritum functionis sacerdotalis, sortitus est munus suffimenti faciendi, postquam ingressus est in templum Domini.*

10 *Et tota multitudo populi foris precabatur tempore suffitus.*

11 *Visus autem est ei Angelus Domini, stans ad dextram altaris suffitus.*

12 *Et Zacharias eo viso turbatus est, & pavor incidit in eum.*

13 *Dixit autem ei Angelus, Ne time Zacharia: nam exaudita est deprecatio tua: uxor quoque tua Elisabet gignet tibi filium; & vocabis nomen ejus Johannem.*

14 *Et is erit tibi gaudio & exultationi, multique super ejus nativitate gaudebunt.*

15 *Erit enim magnus in conspectu Domini, & vinum siceramque non bibet: & Spiritu sancto implebitur jam inde ab utero matris suæ:*

16 *Multosque filiorum Israelis convertet ad Dominum Deum ipsorum.*

17 *Nam ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum erga filios, & rebelles ad prudentiam justorum: ut paret Domino populum instructum.*

18 *Tunc dixit Zacharias Angelo, Quo* argumento *istud noscam? ego enim sum senex, & uxor mea provecta est ætate.*

19 *Et respondens Angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui adsto in conspectu Dei: missusque sum ut te alloquar, & hæc tibi lætæ nuntiem.*

20 *Et ecce, silebis, nec loqui poteris ad eum usque diem quo hæc fiant: eo quod non credidisti sermonibus meis, qui implebuntur tempore suo.*

21 *Erat autem populus expectans Zachariam: & mirabantur quòd u tarduret in templo.*

22 *Ille verò egressus non poterat eis loqui: & cognoverunt eum visionem vidisse in templo. Nam ipse innuebat eis, permanstique mutus.*

23 *Et factum est, ut impleti sunt dies ministerii ipsius, abiit domum suam.*

24 *Post illos autem dies concepit Elisabet uxor ejus: & occultavit se mensibus quinque, dicens,*

25 *Ita mihi fecit Dominus diebus quibus me inspexit ut auferret probrum illud meum inter homines.*

Lucas inceptur us historiam Christi à primâ illius (secundùm humanam quidem naturam) origine, videlicet conceptione in utero matris: præmittit narrationem de conceptione Johannis Baptistæ, eò quòd ille futurus esset Domini præcursor ac primus ex hominibus publicus testis: quæ narratio spectat ad testimonium Johannis commendandam. De conceptione igitur Johannis narrat primùm, quomodo illa divinitus sit promissa ipsius parenti Zachariæ, usque ad v. 23. deinde quomodo sit effecta, usq; ad v. 26. Præmittitur autem parentum Johannis descriptiò, pertinens ad illorum laudem, usque ad v. 8. Quo fit ut tria sint principalia hujus narrationis membra. Primùm igitur ad descriptionem parentum, à quod attinet: describitur primò pater, deinde mater, v. 5. tum ambo simul, v. 6. & 7. Pater describitur primùm ab adjuncto tempore quo vixit, deinde ab adjuncta conditione seu statu seu genere vitæ, idque tum generaliter, tum specialiter: tertiò à nomine proprio: quartò ab adjuncta uxore. Quæ ipsa, videlicet mater Johannis, describitur ab adjuncto genere seu familia, & à nomine. Ambo illi describuntur primùm ab adjuncto bono, videlicet justitia sincera, v. 6. deinde ab

adjunctis

adjunctis malis, nempe malis moleſtis: videlicet ἀτεκνία, & ſenectute: ubi nominatim commemoratur ſterilitas Eliſabetæ. Quæ quidem incommoda narrantur ad inſinuandum miraculoſam Johannis generationem. Atque hæc de membro narrationis primo.

Secundum eſt, quomodo conceptio Johannis divinitus ſit promiſſa ipſius parenti Zachariæ. Hujus promiſſionis narratio conſtat principalibus membris ſex. Primum, eſt conditio atque actio Zachariæ, quum ei promiſſio fuit facta, videlicet functio ſacerdotii, aç nominatim ſuffitio, v. 8. & 9. Secundum, eſt locus ubi facta fuit, videlicet templum, v. 9. Tertium, ſunt teſtes, ſaltem quod ad modum promiſſionis faciendæ; videlicet tota multitudo populi, v. 10. Quartum membrum, eſt tempus quo facta eſt promiſſio illa, videlicet hora ſuffitus, v. eodem. Quintum, eſt forma ſeu modus agendi, videlicet viſio ſeu apparitio angeli, v. 11. & deinceps. Hujus viſionis narratio tribus conſtat membris principalibus. Primum, eſt locus ubi ſtetit angelus, videlicet ad dextram altaris ſuffitus, v. 11. Secundum, eſt eventus apparitionis angeli, videlicet pavor in Zacharia, v. 12. Tertium, eſt ſermo angeli ad Zachariam, v. 13. & deinceps. Sermo ille continet hortationem, argumentum hortationis, & appendicem mandatorum. Hortatur ut timorem deponat: *Ne time*, inquiens, *Zacharia*. Argumentum hortationis ducit à promiſſionibus ampliſſimis, quæ ſunt numero ſex. Prima: *Uxor tua Eliſabet gignet tibi filium*, v. 13. Hæc promiſſio amplificatur expoſitione cauſæ impulſivæ, quæ Deum ſcilicet movit ut hoc beneficium in Zachariam conferre vellet. Ea ſignificatur his verbis: *Exaudita eſt petitio tua*, ἡ δέησίς σου. Secunda promiſſio: *Et erit tibi* (nempe ille filius) *gaudio & exultationi*, v. 14. Tertia, *Multiſq; ſuper ejus nativitate gaudebunt*, v. eodem. Quarta: *Erit enim magnus in conſpectu Domini*. Quinta: *Et Spiritu ſancto implebitur jam inde ab utero matris ſuæ*. Sexta: *Multosq; filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum*. Hæc ſexta promiſſio illuſtratur & confirmatur teſtimonio Prophetæ Malachiæ, ſaltem obliquè, quatenus verba illius recitan-

tur, idq; adhibitâ expositione seu declaratione, vers. 17. Mandata promissionibus istis annexa, sunt duo: unum de filii nascituri nomine, v. 13. *Et vocabis nomen ejus Johannem*, ubi latet confirmatio promissionis sextæ: quòd scilicet filius ille futurus sit præco gratiæ (quod nomine istō à gratia, quæ Hebraicè jn chén nominatur, deducto innuitur) atq; ita conversurus sit electos Israëlitas. Alterum mandatum, est de filii nascituri educatione, nempe ut educetur tanquam Naziræus indictivus: v. 15. *Et vinum sicera tamq; non bibet.*

Restat membrum sextum, quo continentur eventa, quorum alia ex aliis sunt consequuta. Sunt autem numero sex. Primum, incredulitas & contradictio Zachariæ, objicientis Angelo causas conceptionis corrumpentes, videlicet senectutem tum suam tum uxoris, vers. 18. Secundum, denuntiatio castigationis Zachariæ propter istam incredulitatem, quòd scilicet futurus sit mutus. Hanc denuntiationem Angelus amplificat primùm à qualitate suæ personæ, quòd videlicet sit legatus Dei, v. 19. Deinde à circumscriptione sive determinatione temporis quo castigatio illa sit duratura, videlicet ad eum usque diem quo promissa impleantur, v. 20. Tum indicatione causæ procreantis, videlicet incredulitatis. Postremò asseverationē promissionum dictarum. Tertium eventum fuit exspectatio & admiratio populi, v. 21. Quartum, Loquendi facultas Zachariæ adempta, & inde profectus nutus ad populum, v. 22. Quintum, Animadversio populi, quòd vidisset Zacharias visionem in templo, ibid. Sextum, castigationis in Zacharia continuatio: quòd scilicet permansit mutus: ibid. Atque hæc de conceptionis Joh. Baptistæ promissione. Restat membrum tertium, de conceptione ipsa: cujus narratio tribus cōstat membris. Primùm innuitur causa procreans, videlicet concubitus Zachariæ cum uxore Elisabeta, v. 23. Deinde conceptio ipsa narratur, v. 24. Postremò eventa illius duo in Elisabeta: unum, quòd se occultavit, v. eod. Alterum, quòd Deum gratiarum actione celebravit, v. 25.

TERTIA PARS.

Narratio de conceptione CHRISTI.

26 *Mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in urbem Galilææ cui nomen Nazareth,*

27 *Ad virginem desponsam viro cui nomen erat Joseph, ex domo Davidis: nomen autem virginis erat Maria.*

28 *Ingressus igitur Angelus ad eam, dixit, Ave gratiam nacta: Dominus tecum est: benedicta tu inter mulieres.*

29 *Illa verò quum eum vidisset, perturbata est super ejus sermone: & cogitabat qualis & quanta esset salutatio ista.*

30 *Tunc dixit ei Angelus, Ne time Maria: nacta es enim gratiam apud Deum.*

31 *Et ecce, concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus* JESUM.

32 *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: dabitq; ei Dominus Deus solium Davidis patris ipsius.*

33 *Regnabitq; super domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.*

34 *Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo erit istud, quandoquidem virum non sum cognitura?*

35 *Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi inumbrabit te: propterea etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

36 *Et ecce, Elisabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus ipsi quæ vocabatur sterilis.*

37 *Quia apud Deum non erit impossibile ullà res.*

38 *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Et abiit ab ea Angelus.*

Membra narrationis hujus principalia, sunt duo: primum de conceptionis Christi promissione divina, usque ad sententiam extremam versiculi 38. Alterũ de conceptione ipsa: in sententia modo dicta. De promissione divina conceptionis Christi narrantur sex: tempus quo facta est, v. 26. Minister sive legatus per quem facta est, ibid. Locus generalis seu communis ubi facta est, ibid. Mulier cui facta est, quæ habet rationem subjecti recipientis ad se, itemque adjuncti occupati, vers. 27. Locus specialis

seu proprius vbi facta est, nempe in conclavi illius mulieris: id quod significatur verbo εἰσῆλθεν, id est, *Quum esset ingressus*, in principio vers. 28. Postremò forma seu modus agendi, nempe sermo legati divini cum illa muliere, Angeli scilicet Gabrielis cum virgine Maria: à vers. 28. usq; ad extremam sententiam, vers. 38 Sermo ille Angeli tres habet partes: quæ singulæ illustrantur ex effectis in virgine Maria. Sunt autem illæ partes: præfatio, vers. 28. promissio ipsa, vers. 30. 31. 32. 33. & institutio Mariæ, vers. 35. 36. & 37. Præfatio continet salutationem, & testificationem generalem de gratia Dei erga Mariam: vers. 28. Effectum illius præfationis in Maria, fuit perturbatio animi & hæsitatio, vers. 29. Promissio ipsa amplificatur primùm corollario hortationis, v. 30. deinde appendice mandati de nomine filii nascituri, vers. 31. tum prophetatione de illius majestate regia, vers. 32. & 33. Effectum illius promissionis in Maria, fuit verecunda contradictio, orta ex dubitatione nonnulla & ex animo discendi: ut patet ex Angeli responsione: vers. 34. Institutio Angeli continet informationem de modo conceptionis, vers. 35. & den onstrationem possibilitatis, partim ab exemplo Elisabetæ, vers. 36. partim à sententia generali de natura Dei, vers. 37. Effectum istius institutionis in Maria, fuit professio obedientiæ ex fide profectæ, v. 38. Atque hæc de conceptionis promissione. Conceptio ipsa significatur expositione eventus, videlicet discessus Angeli à Maria. Is enim discessus fuit argumentum rei propter quam missus erat perfectæ. Missus autem erat, ut annuntiandâ promissione Dei, fidem in virgine efficeret, cujus vi illa Filium Dei è vestigio in utero conciperet: ut liquet ex dictis.

QUARTA PARS.

Recitatio prophetationis Elisabetæ & Mariæ de Christo.

39 *Quum autem surrexisset Maria per eos dies, profecta est in montanam* regionem *cum festinatione in urbem Juda.*

40 *Et ingressa est domum Zacharia, & salutavit Elisabetam.*

41 *Et*

41 *Et factum est, ut audivit Elisabeta salutationem Mariæ, exultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu sancto Elisabeta.*

42 *Exclamavitq; voce magnâ, & dixit; Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uteri tui.*

43 *Et unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me?*

44 *Ecce enim, ut pervenit vox salutationis tuæ ad aures meas, exultavit infans cum exsultatione in utero meo.*

45 *Et beata quæ credidit: nam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino.*

46 *Tunc ait Maria; Magnificat anima mea Dominum,*

47 *Et exsultat spiritus meus super Deo salvatore meo:*

48 *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. ecce enim, ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes etates.*

49 *Quia fecit mihi magnifica potens ille, cujus sanctum est nomen:*

50 *Et cujus misericordia in omnes etates* parata est *timentibus ipsum.*

51 *Fortè facinus fecit brachio suo: dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum.*

52 *Detraxit potentes è thronis, & exaltavit humiles.*

53 *Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.*

54 *Opitulatus est Israeli puero suo, ut memor esset misericordiæ:*

55 *Prout loquutus est patribus nostris,* nimirum *Abrahamo, & semini ejus in æternum.*

56 *Mansit autem Maria cum illa quasi menses tres: & postea revertit domum suam.*

In recitanda prophetatione Elisabetæ, 1. describit illius occasionem, 2. adjunctum adhærens proximè antegressum, 3. causam efficientem principalem, 4. adjunctum adhærens cum ipsa prophetatione conjunctum, 5. prophetationem ipsam.

Occasionem huic prophetationi præbuit salutatio Mariæ. Hanc describit 1. à tempore quo facta fuit, videlicet paulo postquam Maria Jesum concepisset: id quod significatur his verbis, *Quum autem surrexisset Maria per eos dies*: si illa verba conferantur cum narratione proxime-

præcedente de conceptione Mariæ, necnon cum verbis versiculi 56. 2. à loco ubi facta fuit, videl. domi Zachariæ. Hanc autem ipsam quoq; describit à loco ubi sita fuit, videlicet *in regione montana in urbe Juda*. Et insuper narrat, quomodo Maria eò pervenerit, videl. eò profecta cum festinatione. 3. ab eventis duobus: nempe *quòd subsiliit infans in utero Elisabetæ, & quòd ipsa repleta fuit Spiritu sancto*. Quorum eventuum prior est adjunctum ipsi prophetationi adhærens eamq; proximè antegressum: posteriore autem continetur causa illius efficiens principalis.

Adjunctũ verò adhærens, cum ipsa prophetatione conjunctũ, est contentio vocis: quòd Elisabeta prophetatura *Exclamavit voce magnâ*. Cæterùm prophetatio ipsa continet mẽbra principalia tria: gratulationem, gratiarũ actionem, & confirmationem fidei Mariæ. Primùm enim gratulatur Elisabeta Mariæ conceptionem Jesu, confirmans suam gratulationẽ expositione causæ, atq; hac occasione prophetans de præstantia pueri ex Maria nascituri quoad dona Spiritus sancti quibus fuerat replendus. Gratulatio ipsa continetur his verbis, *Benedicta tu inter mulieres*. Ætiologia ad confirmandũ gratulationem adhibita & prophetiam de præstantia pueri nascituri comprehendens, continetur istis verbis: *Et benedictus fructus uteri tui*. Atq; hoc est primum membrum hujus prophetationis, nempe gratulatio. Secundum membrum est gratiarum actio, qua gratias tum Deo tum Mariæ agit Elisabeta pro ista sui visitatione. Quæ gratiarum actio ipsa quoque confirmata est expositione causæ sive ætiologiæ, nempe quòd Maria sit mater domini Elisabetæ. qua ætiologia continetur altera pars prophetiæ, quæ est testimonium de præstantia pueri ex Maria nascituri quoad personam, nempe quòd sit dominus piorũ in ipsum credentium, ac proinde Christus filius ille Dei. Cæterùm beneficium istud visitationis insuper amplificat Elisabeta ab eventu miraculoso, nempe exsultatione infantis quem in utero gestabat. Cujus miraculi narratione significat, non se tantùm agnoscere grato ac lætoanimo beneficiũ istud, verùm etiam infantem in utero suo adhuc concluſum: ut qui & ipse agnoscat

ac

se gaudeat, se à domino suo visitari. Atq; hoc est membrũ secundum: gratiarum actio. Tertium membrum est confirmatio fidei Mariæ, continens prophetiam de certitudine beneficiorũ Mariæ per Angelum promissorum à Deo, suprà v. 31. 32. & 33. ac proinde de præstantia tota pueri ex Maria nascituri, videl. quoad dona S. sancti, quoad personam & quoad officii regii excellentiã. Nam quoad dona, futurus erat *magnus*, nempe insignis Propheta & Sacerdos: quoad personam, futurum erat ut vocaretur *Filius Altissimi*: deniq; quoad officii regii excellentiam, futurum erat ut regnaret *in solio Davidis super domum Jacob in æternum*. Hactenus de prophetatione Elisabetæ: sequitur de prophetatione Mariæ. Igitur canticum Mariæ continet gratiarum actionem, qua gratias Deo agit primùm pro beneficiis jam collatis in se & Elisabetam, usq; ad v. 53. deinde pro beneficiis deinceps conferendis in omnes pios. Beneficium collatũ in se, primùm innuit verbo generali, quum Deum nominat *servatorem suum*, v. 47. Deinde significat illud verbo *Respiciendi*, in principio v. 48. Quo verbo significat miraculosam illam atq; honorificentissimã impræg-nationem sui per Spiritum sanctum, quâ ipsa facta erat mater Christi, & cujus nomine Elisabeta ipsam benedictã atque beatam prædicaverat. Hoc autem beneficium amplificat primùm antithesi causæ corrumpentis, videl. suæ humilitatis, id est, humilis & abjectæ suæ conditionis, ut quæ esset paupercula & obscura. hoc significat quum ait, *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Deinde amplificat istud beneficium à testimonio communi omnium piorum qui deinceps erant victuri: ut qui omnes beatam se prædicaturi sint hoc nomine, quòd Deus ipsam tanto honore esset dignatus ut matrem Christi efficeret, reliquâ parte v. 48. Tertiò beneficium istud amplificat ab adjuncta magnitudine, quum ait: *Fecit mihi μεγαλεῖα, magnifica*, v. 49. Quartò beneficiũ istud amplificat à causis impulsivis antecedentibus in Deo benefactore, videl. potentia, sanctitate & misericordia, v. 49. & 50. Quintò indicat istius beneficii causam sine qua non, sive causam procatarcticam, videl. timorem Dei: quum ait, misericordiam Dei paratam esse

timentibus ipsum. Ubi simul gratias Deo agit pro beneficio collato in Elisabetam, quòd videlicet ex singulari gratia ipsam hactenus sterilem & jam vetulam, gravidam tamen ex ipsius marito effecisset, & quidem matrem prophetæ eximii, videlicet præcursoris Domini. Postea v. 51. & 52. prædicationem potentiæ, sanctitatis & misericordiæ Dei repetit, & antithesi illustrat: quòd scil. Deus in se quidem *fortè fecimus effecerit brachio suo*, contrà verò *dissipaverit superbos*: item quòd *potentes detraxerit è thronis*: contrà verò, *humiles exaltârit*. ubi rursus pro beneficio in Elisabetam collato simul gratias agit. Hactenus de priore cantici parte, videlicet gratiarum actione pro beneficiis collatis in Mariam & Elisabetam: sequitur de parte posteriore, ubi gratias agit pro beneficiis conferendis in omnes pios: videlicet remissione peccatorum, renovatione naturæ & glorificatione æterna: quæ beneficia significat primùm verbis metaphoricis sive similitudine saturationis, quum ait: *Famelicos implevit bonis.* Famelicos enim intelligit eos qui esuriunt justitiam, id est, desiderant tum remissionem peccatorum, tum renovationem naturæ & tandem glorificationem æternam. Et hanc sententiam illustrat antithesi, ubi ait: *Divites abiegavit inanes*: divites intelligens eos qui opinantur se à seipsis esse justos & vitâ æternâ dignos.

Deinde beneficia illa significat indicatione causæ antecedentis in Deo benefactore, videlicet curæ quam suscepit pro Israële, id est, Electis, & misericordiæ quam erga illos exercere constituit in æternum. Atque hanc de misericordia Dei sententiam confirmat testimonio promissionum sanctis patribus factarum. Postremò narrat Evangelista, quid istam Elisabetæ & Mariæ prophetationem sit consecutum: nempe quòd Maria manserit cum Elisabeta circiter menses tres, id est, ferme usque ad illius partum: ut percipitur ex collatione versiculi 36. ubi Angelus affirmat, mensem illum quo concepit Maria, esse ipsi Elisabetæ sextum. Deinde quòd Maria redierit domum.

QUINTA

QUINTA PARS.

Narratio de nativitate & circumcisione Johannis Baptistæ.

57 *Elisabeta verò impletum est tempus pariendi: & peperit filium.*

58 *Et audierunt accola & cognati ejus, Dominum magnificâ misericordiâ suâ usum esse erga eam: & ei gratulabantur.*

59 *Et factum est, die octavo venerunt ut circumciderent puerulum: & vocabant eum ex nomine patris ipsius, Zachariam.*

60 *Sed respondens mater ejus ait, Nequaquam: sed vocabitur Johannes.*

61 *Et dixerunt ad eam, Nemo est in cognatione tua qui vocetur isto nomine.*

62 *Innuebant autem patri ejus, quid vellet eum vocari.*

63 *Isq; postulatâ tabellâ scripsit, dicens, Johannes est nomen ejus. Et mirati sunt omnes.*

64 *Apertum est autem os ejus illico, & lingua ejus: & loquebatur benedicens Deo.*

65 *Obortus est igitur timor omnibus accolis eorum: & in tota montana* regione *Judææ divulgata sunt omnia ista.*

66 *Et omnes qui audierunt, retulerunt ea in corde suo, dicentes, Qualis nam puerulus hic erit? Manus autem Domini erat cum eo.*

Nativitas Johannis Baptistę describitur primùm à circumstantia temporis, quòd scilicet natus sit tempore legitimo & consueto, videlicet nono mense à conceptione: id quod significatur his verbis: *Elisabeta verò impletum est tempus pariendi.* Deinde ab eventis: quæ narrantur duo: primum, quòd nativitas illa innotuit accolis & cognatis Elisabetæ: alterum, quòd illi gratulati sint Elisabetæ. Tũ à causa efficiente principali, videlicet misericordia Domini erga Elisabetam. Quæ ipsa amplificatur ab adjuncta magnitudine. Circumcisio ejusdem describitur primùm à circumstantia temporis, quòd facta sit die octauo, scilicet à nativitate. Quod nimirum tempus erat legitimum, id est, in Lege Dei præscriptum. Deinde ab adjunctis te-

stibus: qui notantur verbo *Venerunt*. Tertiò ab adjuncta impositione nominis: quam apparet fuisse usitatam. Cæterùm impositio nominis illustratur ab adjuncta controversia. Nam testes voluerunt nominandum Zachariam: mater contrà, Johannem. Testes suam sententiam confirmarunt exemplo patris: & Elisabetæ sententiam refutarunt exemplis cognatorum. Tum ista controversia declaratur ex eventu, videlicet cõpositione per sententiam patris. Illa autem sententiæ dictio & controversiæ dijudicatio declaratur primùm è causa impulsiva procatarctica, videlicet petitione testium: quæ ipsa petitio declaratur ex modo agendi, videlicet nutu. Deinde ex modo agendi, videlicet scriptione: quæ ipsa declaratur è subjecto recipiente, nempe tabella. Tum ex eventis: quæ narrantur tria: admiratio testium, restituta Zachariæ facultas loquendi, & canticum illius. Porrò miraculosa ista restitutio facultatis loquendi & canticum Zachariæ illustratur ex eventis: quæ narrantur quatuor: timor accolarum, divulgatio in tota illa regione, admiratio eorum quibus miraculum istud innotescebat, & opinio præclara de futura conditione Johannis. Ad extremum narratur uno verbo de vita Johannis pueri: quæ commendatur ab adjuncto adhærente, videlicet singulari benedictione Dei: quæ manus Domini nominatur.

PARS SEXTA.

Recitatio prophetationis Zachariæ tum de Christo, tum de Johanne.

67 *Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: prophetavitq;, dicens,*

68 *Benedictus Dominus Deus Israelis quòd inviserit & redemerit populum suum,*

69 *Et erexerit cornu salutis nobis in domo David pueri sui:*

70 *Prout loquutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum.*

71 *Fore ut nos servaret ex inimicis nostris, & è manu omnium qui oderunt nos.*

72 Ut

72 *Ut misereatur misericordiâ erga patres nostros, ac memor esset fœderis sui sancti:*

73 *Juris jurandi* scilicet *quod juravit Abrahamo patri nostro*, nimirum se *daturum nobis*:

74 *Ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviremus ipsi.*

75 *Cum sanctitate & justitiâ in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ.*

76 *Tu verò puerule, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus.*

77 *Ut des* inquam *cognitionem salutis populo ejus, per remissionem peccatorum ipsorum:*

78 *Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus invisit nos Oriens ex alto:*

79 *Ut illucescat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

80 *Ipse autem puerulus crescebat & corroborabatur Spiritu: fuitq; in desertis ad eum usque diem quo se ostenderet apud Israelem.*

Primùm indicatur causa efficiens principalis hujus prophetationis seu cantici prophetici, nempe Spiritus sanctus replens Zachariam: deinde canticum ipsum recitatur. Quod duas continet partes: quarum prior est de Christo, posterior de Johanne Baptista. In priore parte gratias agit Deo pro tribus maximis beneficiis; missione Christi, redemptione Electorum per ipsum, & sanctificatione; atq; ita eâdem operâ prophetat de officio Christi. Missionem significat verbo *Invisendi.* Redemptionẽ amplificat copiâ verborũ idem significantium: ut quòd *erexerit cornu salutis*, quòd *servare velit ex inimicis & è manu osorũ*, *quòd liberare velit è manu inimicorum*, atque adeò *à metu.* Sanctificationem illustrat ex effectu, videlicet sincero cultu Dei: quem effectum amplificat ab adjuncta duratione, videlicet per cunctos dies vitæ. In posteriore parte prophetat de officio Johannis, nempe fore prophetam, seu doctorem extra ordinem divinitus excitatum, qui auditores præparet Christo & tradat doctrinam Evengelii de remissione peccatorum & salute percipienda per

Christum, ex misericordia Dei erga miseros peccatores. Postea narratur de educatione Johannis: quæ illustratur partim ab adjunctis bonis tum corporis tum animi, nempe quòd creverit & corroboratus sit Spiritu: partim à subjecto loco, quòd fuerit in desertis, donec prodiret ad docendum.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 *Componere.* ἀνατάξασθαι. In ordinem redigere, quasi dicas coordinare. *Earum rerum quarum plena fides nobis facta est.* περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Ad verb. De rebus quæ plenè persuasæ sunt inter nos. Νobis. ἡμῖν. Id est, mihi & aliis Apostolorum discipulis ac sectatoribus qui hodie Evangelium docemus.

2 *A principio.* ἀπ' ἀρχῆς. Jam inde ab eo tempore quo Dominus incepit administrationé officii sui Prophetici. Sic declaratur Act. 1. v. 1. *Qui à principio spectatores* &c. Periphrasis Apostolorum à proprio adjuncto, videlicet perpetua ac familiari cum Domino conversatione. *Sermonis.* τοῦ λόγου. Non satis liquet, sit ne hoc exponendum de sermone Evangelii, an verò potiùs de ipso Domino. Priori expositioni confirmandæ facit, quòd præter Johannem nullus scriptor novi Testamenti hoc nomine Filium Dei nominasse videtur. Quod si hic ipse locus Lucæ objiciatur: excipi potest, non satis id liquere, quum præter hunc locum nullus alius in utroque illius libro occurrat: sicut in duobus libris Johannis sit, videlicet cap. 1. Evangelii & cap. 1. item 5. epistolæ primæ. Contrà pro expositione posteriore facit ipsa phrasis. nam si intelligas sermonem Evangelii, dura fuerit catachresis, quum Apostoli dicuntur illius esse αὐτόπται, spectatores: quum sermo non spectetur, sed audiatur. Deinde nomen quoque ὑπηρέται non solet referri ad rem quæ ministratur, sed ad personam cui ministratur. Si verò τοῦ λόγου nomine intelligas Christum: utrumque illud propriè ac planè dicitur. Veruntamen si cui magis videatur intelligendus sermo Evangelii: illi erit dicendum, nomen αὐτόπται referendum ad miracula quæ sermoni

sermoni Domini fuerant annexa: nomen autem ὑπηρέτης exponendum per nomen διάκονος.

3 *Omnia à principio accuratè persequuto.* παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς. In hunc sensum verba ista exponit in suo Thesauro Henr. Stephanus: quæ mihi expositio ut simplex ac genuina probatur: ut nimirum ἄνωθεν παρηκολουθηκὼς τοῖς πράγμασιν, idem valeat Lucæ, quod Demostheni, ἐξ ἀρχῆς παρηκολουθηκὼς τοῖς πράγμασι: & ut παρακολουθεῖν τοῖς πράγμασι, sit persequi & perscrutari res, idq; ita ut earum notitiam (nempe quòd factæ seu gestæ sint) consequaris. Quo minùs autem verbum παρακολουθεῖν hoc loco videatur exponendum *Assequi*, scil. mente seu intelligentia, facit ipsa qualitas rerum de quibus hîc sermo est: quippe in quibus quoad historiam nihil erat difficile intellectu: de qualibus rebus Latini verbo *Assequi* utuntur. *Theophile.* Θεόφιλε. Hoc Lucæ inter Evangelii Scriptores peculiare est, quòd librum suum certo homini inscribit: non autem, ut illi, tanquam ad universam Ecclesiam. Videtur autem, ductus ratione hac: quòd cogitaret, se nec Apostolum esse, ut erant Matthæus & Johannes: nec Apostoli alicujus dictata excipere, ut dicitur Marcus excepisse dictata Petri: sed privatâ industriâ librum hunc, sicut & alterum qui acta Apostolorum narrat, componere. Interim hæc quæ scripsit, ab universa Ecclesia propter certissimam veritatem meritò sunt recepta & approbata. Ac nominatim hic liber ab Apostolo Johanne, non minùs quàm Evangelium Matthæi & Marci, approbatus fuit: ut testatur Eusebius hist. Eccles. lib. 3. cap. 21.

4 *Eorum sermonum quos audistione accepisti.* περὶ ὧν κατηχήθης λόγων. Elegans in Græco loquendi compendium: pro, περὶ τῆς λόγων ἐκείνων περὶ ὧν κατηχήθης. Puto autem nomen λόγων hîc rectiùs reddi *sermones*, quàm phrasi Hebraicâ *res*: quia propriè loquendo non audiuntur res, sed sermones qui habentur de rebus. Verbum autem κατηχεῖσθαι eâdem significatione reperitur act. 21. v. 21. & 24. ubi presbyteri Hierosolymitani dicunt Paulo de Judæis credentibus apud ipsos: κατηχήθησαν περὶ σοῦ, auditione acceperunt de te, quòd doceas defectionem à Mose: item, Et

nôrint omnes nihil esse eorum quæ de te auditione acceperunt, ὅτι οὐκ κατήχηται περὶ σοῦ, οὐδέν ἐστιν. Ad verbum significat *Circumsonari*, id est, sonum seu sermonem circumsonantem perpeti atque audire. *Veritatem.* τὴν ἀσφάλειαν. Ad verb. Securitatem vel potiùs lapsus vacuitatem. nam σφάλλεσθαι est labi, errare, decipi: unde σφάλμα lapsus sive erratum. ἀσφὴς, tutus à lapsu. Metonymia effecti. nam veritas facit ne labaris aut erres, tutum atque securum à lapsu sive errore te præstat. Et sic Galli dicunt *asseurer*, certò affirmare, q. d. assecurare sive securum reddere.

5 *Ex classe*, ἐξ ἐφημερίας. Ad verb. Ex vice. Metonymia adjuncti, nam sacerdotes distributi erant in certas classes, quæ certis hebdomadum vicibus sacerdotii munus obibant. Vide 1. Chron. 24 1. & 2. Chron. 23. 8. In propria significatione reperitur hæc vox in versione Græca 1. Chron. 9. 23 ubi de certa classe Levitarum dicitur, quòd fuerint constituti ad portas domus Domini, τῦ φυλάσσειν εἰς ἐφημερίας, pro κατ' ἐφημερίας ut custodirent sive observarent per vices.

6 *Inconspectu Dei.* ἐνώπιον τῦ Θεῦ. Sive, coram Deo: id est, sincerè, non hypocriticè. Sic Gen. 17. 2. ait Deus Abrahamo, *Ambula coram me, & esto integer.* Huic opponitur, Justificare se coram hominibus, infra 16. 15. ubi Dominus Pharisæis ait, *Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra.* id est, cordium vestrorum insinceritatem atque hypocrisin. *Incedentes* &c. πορευόμενοι. Epexegesis. his verbis declaratur quod præcessit, *Justi coram Deo. Mandatis & constitutionibus.* ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι. Priore vocabulo intelliguntur mandata de moribus sive Legis moralis, per synecdochen generis: posteriore verò mandata de ceremoniis sive Legis ceremonialis: quæ hîc nominantur δικαιώματα voce recepta ex versione Bibliorum Græca, ubi isto nomine redditur vox Hebraica חקים chukkim, id est statuta. Sonat autem vox Græca, quasi dicas justificamina seu justificamenta: eò quòd qui statuta illa observarent, justi viderentur.

7 *Proles.* τέκνον. Vox Græca (ut & Latina) utrumque sexum complectitur. *Provecti jam ætate,* προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις

ἡλικίας αὐτῶν. Sive, provectæ ætatis. Ad verb. *Progressi in diebus suis.* Phrasis Hebræa. Sic Gen. 18. 11. *Abraham autem & Sara senes erant progressi in diebus.* id est, vergentes ætate: ut recentiores verterunt, seu provecti ætate.

8 *Quum is sacerdotio fungeretur.* ἐν τῇ ἱερατεύειν αὐτόν. Id est, quum sacerdotio fungi deberet. neque enim prius sacerdotio fungebantur, quàm certum sacerdotii munus sortitus esset: ut colligitur ex versu sequente. *Classis sua.* τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ. Ponitur αὐτοῦ pro reciproco ἑαυτοῦ. *Ante Deum.* ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ. Id est, in templo ante arcam testimonii, in qua suo modo residebat Deus inter duos Cherubimos. Metonymia adjuncti.

9 *Sortitus est munus suffimenti faciendi.* ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι. Ad verb. Sortitus est suffire seu suffimentum facere. id est, per sortem nactus est illud munus.

10 *Foris.* ἔξω. Scil. extra Sanctum, mediam templi partem, in atrio.

11 *Visus autem est ei.* ὤφθη δὲ αὐτῷ. Id est, τότε αὐτῷ, ab eo, hoc est, ipse vidit. Græcismus. Sic Act. 2. v. 3. καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι: *Et visæ sunt eis* (nempe discipulis in domo quadam Hierosolymæ congregatis) *linguæ dispertitæ.* Id est, ipsi viderunt.

13 *Genuit.* γεννήσει. Pro, τέξεται, pariet. Catachresis orta ex homonymia vocis Hebraicæ יָלַד jalad, quæ & gignere & parere significat. Sic Matth. 1. 16. & 2. 4.

14 *Et* is *erit tibi gaudio & exsultationi.* καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις. Ad verb. *Et erit* (scil. filius ille tibi nasciturus) *gaudium tibi & exsultatio.* Phrasis Hebræa metonymica: est enim metonymia effecti: Erit tibi gaudium, id est, causa efficiens gaudii, efficiet te gaudio, afferet tibi gaudium. Potest tamen eodem manente sensu etiam aliter exponi, nempe ut verbum ἔσται non referatur ad nomen *filii* quod habetur versu præcedente: sed ponatur absolutè, ἔσται, Erit, id est, continget, accidet: & referatur ad nomina sequentia χαρὰ καὶ ἀγαλλίασις: ut syntaxis sit, *Et gaudium atque exsultatio erit* (id est eveniet) *tibi.* scil. ex filii istius nativitate. Atque in hunc modum exposuit Syrus: quippe qui illud, καὶ ἔσται, reddidit verbo generis fœminini נְהֵי

vetchevéh: quæ vox per ſyntaxin convenientiæ conſtruitur cum ſequente voce שמחה chaduthá, gaudium. Si autem retuliſſet ad nomen filii, ſcripſiſſet יהוה vejehevéh. *Nativitate.* γενήσει. Propriè, generatione. Catachreſis, ut modò v. ſup. Sic Matth. 1.18.

15 *Magnus.* μεγας. Scil. magnus propheta: ut declaratur ab ipſo Domino infrà 7.28. *Et vinum ſiceram̃ non bibet, καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ.* Periphraſis Naziræi. Vide Num. 6. 3. Talis autem Naziræus, videlicet inde ab utero & ſingulari mandato Dei cõſtitutus, erat olim & Sampſon ſive Simpſon, ut legitur Jud. 13. Porrò nomine ſiceræ ſignificatur quilibet potus inebrians, præter vinum: eſtq; nomen acceptum è verſione Bibliorum Græca, ubi ſubinde occurrit σίκερα, ſed indeclinabiliter: quod ipſum ſumptum eſt ex Hebræo שכר ſchécher, quo ſignificatur potus inebrians ſeu vim habens inebriandi, à verbo שכר ſchachár, ebrius fuit. *Jam inde.* ἔτι. Ad verb. Adhuc. Id eſt, quum adhuc erit in utero matris, quum nondum prodierit ex utero matris atq; adoleverit. Complementum hujus promiſſionis vide infrà v. 44.

16 *Convertet.* ἐπιστρέψει. Suâ ſcil. prædicatione.

17 *Nam ipſe.* καὶ αὐτὸς. Copulativa pro cauſali: ſequitur enim ætiologia. *Præcedet in conſpectu ejus.* προπορεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ. Vel, præcedet ante eum. *Cum Spiritu.* ἐν πνεύματι. Ad verb. In Spiritu. Pro, μετὰ πνεύματος. Hebraiſmus. Id eſt, habens Spiritum ſeu inſtructus Spiritu Eliæ, hoc eſt, donis Spiritus ſancti, qualia fuerunt in Elia. Synecdoche generis, & metonymia efficientis. *Spiritu & virtute.* πνεύματι καὶ δυνάμει. Id eſt, Virtute à Spiritu profecta atq; ſuppeditata. ἐνδιάδυο. Vel conjunctio copulativa ponitur ἐπιμυθητικῶς five ἐξηγητικῶς, pro τουτέστι, *id eſt.* Res eódem redit. *Ut convertat.* ἐπιστρέψαι. Pro, τὸ ἐπιστρέψαι. Scil. ἕνεκα. *Ad prudentiam.* ἐν φρονήσει. Pro, εἰς φρόνησιν. Enallage Hebraica. *Prudentiam juſtorum.* φρονήσει δικαίων. Id eſt, qua prædita atque ornati ſunt homines juſti ſeu pii. *Ut paret.* ἑτοιμάσαι. Pro, τὸ ἑτοιμάσαι. Scil. ἕνεκα. *Inſtructum.* κατεσκευασμένον. Vel, præparatum, id eſt προκατεσκευασμένον: ſcil. ad officia Deo præſtanda.

18 *Quo*

18 *Quo* argumento. *κατὰ τί.* Ad verbum, Secundùm quid, *Ego enim. ἐγὼ γάρ.* Prolepsis. quasi dicat: Nam quo minùs possim fidem habere tuis verbis, nisi certo argumento illa confirmaveris, causa hæc est, quòd sum senex &c. *Provecta ætate. προβεβηκυῖα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν.* Adverb. Progressa in diebus suis: ut suprà v. 7.

19 *Qui adsto in conspectu Dei. ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.* Id est, adstare soleo, cum aliis scilicet, idque ad capessendum mandata. Periphrasis Angeli boni metaphorica, metaphorâ ductâ ab exemplo Principum mundanorum sive terrenorum, in quorum conspectu adstare solent ministri ipsorum, expectantes mandata quæ expediunt. Sic Matth. 18. 10. Christus de bonis Angelis ait, eos in cœlis perpetuò videre faciem Patris sui. *Ut te alloquar. λαλῆσαι σοὶ.* Pro, τοῦ λαλῆσαι, scilicet ἵνα με.

20 *Ad* cum *usque diem quo. ἄχρι ἧς ἡμέρας.* Elegans loquendi compendium. Pro, ἄχρι ἐκείνης ἡμέρας ἧ sive ἐν ᾗ ἔσῃ καθ' ἣν. Simile exemplum fuit suprà vers. 4. *Tempore suo. εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν.* Pro, εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν. Enallage Hebraïca. Tempore autem suo, id est, divinitus ipsis implendis destinato atque decreto.

21 *Populus. ὁ λαὸς.* nempe populus qui erat congregatus in atrio templi, precandi causâ, suprà v. 10. Eò respicit articulus. *Expectans Zachariam. προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν.* Nempe dum egrederetur è Sancto, & egressus recitaret benedictionem solennem ad populum dimittendum, secundùm legem quæ extat Num. 6. sub finem. *Quòd in tardando. ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν.* Vel, Quum is tardaret.

22 *Non poterat eis loqui. οὐκ ἐδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς.* Id est, Non poterat pronuntiare ad illos benedictionem. Synecdoche generis. *Et suspicabantur. καὶ ἐπέγνωσαν.* Id est, animadverterunt, conjecerunt, nimirum ex illo casu Zachariæ, cui subitò adempta erat facultas loquendi. *Visionem. ὀπτασίαν.* Vox Græca propriè significat apparitionem, quæ differt ab eo visionis genere quod fit in spiritu seu per ecstasin: sed hîc videtur poni in significatione generali per synecdochen speciei: quia populo non constabat quale visionis genus vidisset Zacharias. *ὀπτασία* propriè nominatur,

quum Angeli hominibus apparent formâ humanâ induti, ut oculis cerni possint: qualis fuit hæc ipsa: item illa Angelorum qui apparuerunt mulieribus in sepulchro Domini, infrà 24.23. At visio quæ fit per ἔκστασιν seu cum mentis excessu, nominatur ὅραμα Act.10.17. ubi sermo habetur de vase illo linteo variis animalibus repleto ac cælitus demisso, quod viderat Petrus per mentis excessum, ut ibidẽ declaratur v. 10. Igitur ὅραμα est, quum hominis vigilantis menti species aliqua à Deo objicitur in quam contemplandam mens tota velut rapitur: adeò ut nihil eorum oculis cernat aliòve sensu percipiat quę extrà objecta sunt. Unde & raptus vulgo nominari consuevit ista ἔκστασις: id est raptus vel correptus. Confunduntur tamen ista, ut apparet ex hoc loco: licet revera fuerit ὀπτασία, id est apparitio, qua Angelus Gabriel Zachariæ vigilanti atque videnti, non autem in ἔκστασιν rapto, apparuit. Sicut idem postea apparuit Mariæ virgini, infrà v. 28. Contrà, ὅραμα pro ὀπτασία repetitur Matth.17.9. ubi ὅραμα nominatur apparitio illa Domini glorificati unâ cum Mose & Elia in monte, quos tres illi discipuli à Domino ad hoc spectaculum peculiariter assumpti & oculis suis viderunt, & auribus audiverunt vocem Dei patris, itemq; Mosis & Eliæ loquentium de exitu Domini, infrà 9.31.

24 *Concepit.* συνέλαβεν. Nempe semen genitale in utero, idq; ex marito: ut innuitur verbo sequente, *Uxor ejus. Occultavit se mensibus quinque.* περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε. Obscurum qua id fecerit ex causa.

25 *Intuitus est.* ἐπεῖδεν. Sive, respexit. Scil. gratiosè. Synecdoche generis, & metaphora à more hominũ: qui opẽ alicui laturi, benevolè eum aspiciunt. Et sic Latini dicunt, Respicere aliquem, pro, Rationem alicujus habere. Sic infrà v.48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ. Ut auferret.* ἀφῃρεῖν. Pro, τοῦ ἀφῃρεῖν scil. ἕνεκα. *Probrum illud meum.* τὸ ὄνειδός μου. Id est, sterilitatem meam, ex collatione v. 7. Metonymia effecti. nam sterilitas tum habebatur in populo Dei probrosa: quia nimirum Deus Abrahamo ut singulare beneficium promiserat numerosos posteros. *Inter homines.* ἐν ἀνθρώποις. Id est, quo laboro seu afficior inter homines.

26 Mense

26 *Mense autem sexto.* ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ. Scil. posteaquam concepisset Elisabet, ex collatione v. 24.

27 *Ex domo.* ἐξ οἴκου. Id est, ex familia seu gente seu deniquē prosapia Davidis.

28 *Gratiam nacta.* κεχαριτωμένη. Quasi dicas, *gratiata.* Est autem verbum χαριτόω factum à nomine χάρις, χάριτος, quo significatur gratia seu favor. Et verbū istud declaratur tum verbis sequentibus, *Dominus tecum est*, id est, tibi adest singulari gratiâ: tum maximè verbis v. 30. ubi ait, εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ, *Invenisti*, id est, nacta es, *gratiā apud Deum*: contigit tibi singularis gratia atq; beneficium à Deo. Ergo χαριτοῦν hoc loco est, gratiâ seu favore complecti atq; prosequi: χαριτοῦσθαι verò gratiam seu favorem experiri, gratiâ seu favore donari. Paul⁹ hoc verbo in alia significatione utitur, nempe pro gratū sive gratiosum efficere, Eph. 1. 6. ubi de spiritualibus Dei benedictionibus loquens, inter alia dicit, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Quâ (scil. gratiâ) gratos sive gratiosos effecit nos in illo dilecto. *Benedicta tu.* εὐλογημένη σύ. Pro, Benedicta es. Hebr. Latini dicerent, *Fortunata es*, sed voce parum probâ. Sensus est: Singulari beneficio præ cæteris mulieribus à Deo afficieris, ut scil. fias mater Filii Dei, seu Christi.

29 *Qualis & quanta.* ποταπός. Id est, quàm honorifica atq; magnifica, ac proinde supra sortē suam posita. Græca autem vox per utramque illam Latinam exprimi solet. Simile exemplum vide Matth. 8. 27. ποταπός ἐστιν οὗτος. *Qualis & quantus est iste, quòd etiam venti & mare obediunt ei?*

30 *Nacta es enim gratiam.* εὗρες γὰρ χάριν. Vide quæ notavimus ad v. 28. Ad verb. *Invenisti gratiam.* Cujus Hebraismi exempla vide Gen. 6. 8. *Noach invenit gratiam in oculis Jehovæ:* & 18. 3. ubi Abraham Angelos alloquens ait, *Domini mei, si nunc invêni gratiam in oculis tuis, ne quæso prætereas à servo tuo.* Et 19. 19. ubi Lot Angelo ait, *Ecce nunc invênit gratiam in oculis tuis servus tuus.*

31 *Concipies in utero.* συλλήψῃ ἐν γαστρί. Scil. semen genitale ex te ipsa productum. Phrasis elliptica: quæ quidem usitatior est altera magis elliptica, nempe *Concipere*, συλλαβεῖν: qua usus est suprà v. 24. *Et vocabis.* καὶ καλέσεις. Id est, Vocato.

Sunt enim hæc verba mandantis, ut percipitur ex collatione v. 21 cap. 2. & Matth. 1. 21. Præcedentia autem verba fuerunt promittentis. *Iesum.* Ἰησοῦν. Hebraicè יהושע Jeschúah: id est, salvator: cujus nominis ratio exponitur ab eodem Angelo, loco modo citato ex Matthæo.

32 *Magnus.* μέγας. Nempe magnus Prophera (ut suprà vers. 15.) potens operibus & sermonibus, ut habetur infrà 24. 19. *Filius Altissimi.* υἱὸς ὑψίστου. Id est, Filius Dei, scil. unigenitus. *Vocabitur.* κληθήσεται. Id est, Esse cognoscetur: nempe ex factis ipsius. Metonymia effecti. *Solium.* θρόνον. Scil. regale. id est, Dabit ei regnum. Synecdoche membri: vel metonymia adjuncti signi: simulq; metaphora. Intelligitur enim non regnum terrenum & corporale, quale erat Davidis: sed cælestе & spirituale. *Patris.* τοῦ πατρὸς. Synecdoche speciei. Intelligitur enim hoc loco pater non is ex quo quis ortus est proximè seu immediate, sed compluribus intervenientibus intermediis genitoribus. Et sanè proximæ generationis respectu, nullus fuit Domino pater. sed vice patris functus est Spiritus sanctus, ut Angelus declarabit v. 35.

33 *Super domum Jacob* ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ. Id est, super familiam Jacobi seu posteros: hoc est, super populum Dei universum. Synecdoche membri.

34 *Erit.* ἔσται. Id est, fiet. *Quandoquidem virum non cognovi.* ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω. Ad verb. Cognosco. Præsens pro præterito-pòst futuro. Percipitur enim ex his verbis, Mariam verba Angeli intellexisse tanquam de re è vestigio futura. Alioquin non ignorabat, se desponsam esse Josepho, ac proinde suo tempore cognituram illum: nisi quid interveniret. Est autem in ista phrasi synecdoche generis, Scripturæ usitata; qua modestè consuetudo atq; concubitus viri cum muliere generandi causâ significatur. Sic de Adamo dicitur, quod cognoverit Hevam.

35 *Inter.* ἐπὶ σὲ. Vel, Super te. *Et virtus Altissimi.* καὶ δύναμις ὑψίστου. Id est, Idem ille Spiritus sanctus qui est virtus procedens ex Altissimo, hoc est, Deo Patre. Reperitur enim κατ' ἐπεξήγησιν eadem sententia aliis verbis. Sic infrà 24. 49. Spiritus sanctus nominatur virtus ex alto, δύναμιν ἐξ ὕψους.

ὕψοις. *Inumbrabit.* ἐπισκιάσει. Vel, obumbravit. *Propterea etiã* &c. διὸ καὶ &c. Conjunctio καὶ, id est, ETIAM, est hic nota paris: & notat parem veritatem consequentis cum antecedente enthymematis. Quasi dicatur: Quàm verum est, te concepturam ex singulari operatione Spiritus sancti, ac proinde virginem: tam etiam verum est, filium illum quem sic cõceptura ac paritura es, fore Filium Dei. Si quæris quæ sit ratio consequentiæ: dico illam esse prophetiam quæ exstat Esa. 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabit nomen ejus Immanuel*, id est, Nobiscum Deus. Quibus verbis utrumque prædicitur: scil. Christũ fore & filium virginis & Deum, nempe filium Dei. Unde sic ratiocinatur Angelus:

Quæ mulier conceptura ac paritura est filium virgo, ejus filius nominatur Immanuel, Nobiscum Deus: id est, simul filius hominis & filius Dei: teste Esaia.

Atqui tu es illa mulier quæ conceptura es ac paritura filium virgo: quippe sine cognitione viri, seu non cognoscendo virum, per singularem operationem Spiritus sancti.

Tuus igitur filius appellabitur Immanuél, seu filius hominis ac Dei.

Ex dictis judicari potest, non rectè exponi hunc locum ab iis, qui conjunctionem ETIAM referunt ad naturam humanam à Filio Dei personaliter assumptam: quasi Angelus innuere voluerit, filium Mariæ vocatum iri Filium Altissimi, non solùm propterea quòd è substantia Altissimi (id est Dei Patris) ab æterno sit genitus: sed etiam propterea quòd ejus corpus è substantia Mariæ per singularem operationem Spiritus sancti sit creandum. At Angelus talem antithesin aut collationem hic nullam instituit: sed ad prophetiam Esaiæ respicit, atque inde argumentum de nomine atque persona filii nascituri deducit: ut declaravimus: & ampliùs apparet ex collatione eorum quæ narrat Matthæus cap. 1. v. 20. 21. 22. & 23. Quum enim recitasset verba Angeli ad Josephum, dicentis: id quod in Maria genitum sit, ex Spiritu sancto esse: & ipsam parituram filium: cujus nomen vocare debeat Jesum: subjungit Evangelista, totum hoc esse factum ut

impleretur prophetia illa Esa 7. Nec verò orthodoxum est dicere Christum etiam quatenus homo est, seu secundùm naturam humanam, esse filium Dei. Etenim sicut secundùm naturam humanam solam est filius hominis, licet verè dicatur, Deum in carne manifestatum esse filium hominis: ita quoque secundùm naturam divinam solam est filius Dei, licet verè dicatur, Hominem hunc qui dicitur Jesus Nazarenus, esse filium Dei. Quare non est hîc supplendum pronomen ID ante conjunctionem ETIAM: quia particula hæc pertinet ad totam sententiam sequentem, non autem ad solam illius partem antecedentem. *Quod nascetur.* τὸ γεννώμενον. Ad verb. Quod nascitur. Enallage temporis. Valet autem hîc rursus τὸ γεννώμενον idem quod τεχθὲν, id est partu edi: ut suprà v. 13. & Matth. 2. 1. At Matth. 1. 20. valet gigni seu generari, ubi dicitur, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. Utitur autem genere neutro, intelligens aliquod ὑποκείμενον. *Vocabitur.* κληθήσεται. Id est, Esse agnoscetur: ut suprà vers. 32. *Filius Dei.* υἱὸς θεοῦ. Nempe ex Dei substantia genitus: unde à Johanne nominatur ὁ μονογενὴς υἱὸς, unigenitus ille filius, Joh. 1. 18.

36 *Cognata tua,* ἡ συγγενίς σου. Erat igitur Elisabeta ex tribu Juda. Nec putandum, Zachariam illâ ducendâ egisse contra Dei legem. Etsi enim cæterarum tribuum viris nō licebat ducere uxorem ex aliena tribu: tamen sacerdotibus (qui erant ex tribu Levi) licebat ducere uxorem ex qua vellent tribu. *Concepit.* συνείληφεν. Subauditur ἐστὶν. Pro, συνείληφε. Hebraismus. Ulla res. πᾶν ῥῆμα. Ullum verbum. Hebraismus. Porrò nomen quantitatis universalis similiter usurpatur Rom. 3. 20. & Gal. 2. 16. ubi dicitur πᾶσα σὰρξ, ulla caro. Phrasis est Hebræa, πᾶν ῥῆμα ἀδύνατον, Omne verbum non erit impossibile: pro, οὐδὲν ῥῆμα ἀδύνατον, Nullum verbum erit impossibile. Si reddatur, Non erit impossibile omne verbum; sententia corrumpitur: quasi nimirum dicatur, non omne quidem verbum, sed tamen aliquod impossibile Deo esse.

38 *Ecce ancilla Domini.* ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου. Scil. εἰμὶ, sum. Id est, Agnosco me esse ancillā Domini: ac proinde debere

ipsius

ipsius voluntati obsequi quam mihi per te declarayit. Ergo fiat mihi &c. *Secundùm verbùm tuum.* κατὰ τὸ ῥῆμά σου. Quod scil. modò ex Dei mandato ad me pronuntiasti, annuntians mihi conceptionem Christi.

39 *In montanam* regionem. *εἰς τὴν ὀρεινὴν.* Scil. χώραν vel γῆν. *In urbem Juda. εἰς πόλιν Ἰούδα.* Videlicet Hebron: ut docet D. Beza.

41 *Repleta est Spiritu sancto.* ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου. Id est, virtute prophetandi: ut percipitur ex sequentibus. Metonymia efficientis.

42 *Benedicta tu.* εὐλογημένη σύ. Pro, Benedicta es. Hebr. ut suprà v. 28. *Et benedictus.* καὶ εὐλογημένος &c. Scil. ἐστι, est. *Fructus uteri tui.* ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. Id est, infans quem in utero gestas, & qui inde nasciturus est.

43 *Et unde mihi hoc.* καὶ πόθεν μοι τοῦτο. Id est, Quo officio promerui hoc beneficium?

44 *Cum exsultatione.* ἐν ἀγαλλιάσει. Id est, μετ' ἀγαλλιάσεως. Hebraismus.

45 *Perficientur ea quæ sunt dicta ei.* τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ. Ad verb. Erit perfectio sive consummatio illis quæ dicta sunt ei. *A Domino.* παρὰ Κυρίου. Ambiguum est, unde regatur præpositio παρὰ: an à participio λελαλημένοις, an à verbo ἔσται. Sed utrovis referatur, idem manet sensus: & in altero erit subintelligendum. Nam & à Domino dictum erat Mariæ per Angelum, ipsam concepturam & parituram Christum: & illa ipsa à Domino partim jam erant perfecta, partim restabant perficienda.

46 *Magnificat.* μεγαλύνει. Id est, Magnitudinem ejus prædicat, magnitudinem scil. bonitatis ac potentiæ: ut percipitur è verbis sequentibus.

47 *Spiritus meus.* τὸ πνεῦμά μου. Id est, anima mea: ut modò nominavit.

48 *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* ἐπέβλεψεν ὅτι τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Id est, ex gratia rationem habuit mei, dignando me tanto honore ut fiam mater Christi, nec spernando me propter humilem conditionem meam, ut quæ sim paupercula. Porrò nomen ταπεινὸς, id est, humilis, pro vili & abjecto, etiam apud Demosthenem reperitur:

εἰς μῆκος. id est magnus, opponitur: Philippicâ tertiâ, ὅτι μὲν δὴ μέγας ἐκ μικροῦ ἡ τοπαστοῦ τὸ κατ' αὐχὲς ὁ Φίλιππος ἦν ξυνῆκται. Id est, Philippum igitur magnum è parvo & humili ab initio excreviſſe. *Ancillæ ſuæ, τῇ δούλῃ αὐτοῦ.* Id est, meam. Elegans ſynecdoche generis, Hebræis familiaris: quum reverentiam ſuam erga illum quicum loquuntur, teſtari volunt. ut in hiſtoria Joſephi, ubi introducuntur fratres verba ad ipſum facientes, Gen 42. 10. *Servi tui venerunt ad comparandum cibarium* pro, Nos venimus. Sic in eâdem hiſtoria aliquoties. Sic 2. Reg. 5. 25. Gecházi ab Eliſæo interrogatus, unde adveniret: reſpondit, *Non ivit servus tuus huc aut illuc.* pro, Non ivi ego. Sic 2. Reg. 14. mulier Thecoënſis pro reſtitutione Abſalomi Davidem alloquens, ait: *Ancillæ tuæ duo erant filii.* pro, Mihi duo erant filii. Et ſic deinceps aliquoties. *Ex hoc* tempore. ἀπὸ τοῦ νῦν. Scil. χρόνου. Ex eo tempore quod nunc eſt. *Beatã me prædicabunt,* μακαριοῦσί με. Ad verb. Beatificabunt me. Hebr. *Omnes etates.* πᾶσαι αἱ γενεαί. Id est, Omnium futurarum ætatum ſive ſeculorum electi. Synecd. generis. & metonymia ſubjecti.

51 *Forte facinus.* κράτος. Ad verb. Fortitudinem ſeu robur. Metonymia efficientis.

52 *Humiles.* ταπεινούς. Vide vers. 48.

54 *Opitulatus eſt Iſraeli.* ἀντελάβετο Ἰσραὴλ. Ita Syrus, עזר לישראל haddár lejiſraél: opitulatus eſt Iſraëli. Quomodo etiam nomen ἀντιλήψεις 1. Cor. 12. v. 28 redditur *opitulationes*, tum à vetere tum à novo interprete: à Syro autem מעזרנא mehadranê, id est, opitulatores: μετριοπαθοῦς. Et ſic vertendum quoque videtur Act. 20. v. 35 ubi Paulus presbyteris Epheſinis ait, *In omnibus oſtendi vobis, oportere ſic laborando ἀντιλαμβάνεσθαι δεῖ ἀσθενούντων, opitulari infirmis. Puero ſuo.* παιδὸς αὐτοῦ ſervo ſuo. Hebraiſmus. Nomine autem Iſraëlis intelligit (per metonymiam efficientis) populum Iſraëliticum: & quidem non univerſum, ſed electos ex illo. Ad hos enim ſolos pertinet redemptio. Ut *memor eſſet.* μνησθῆναι. Pro, τοῦ μνησθῆναι, ſcil. ἕνεκα. Hoc ipſum autem (ex homonymia vocis Hebraicæ זכור liskór) hic poſitum eſt pro, ἐπὶ τῷ μνησθῆναι, id est recordando, ſeu quatenus recordatus eſt. Recordari autem miſericordiæ, hic ſignifi-

significat, misericordiam promissam ex recordatione promissionis præstare. Metonymia efficientis.

55 *Prout loquutus est.* καθὼς ἐλάλησεν. Id est, promisit: scil. se præstaturum misericordiam. Synecdoche generis. Nimirum *Abrahamo.* τῷ Ἀβραάμ. Præcessit, πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, ad patres nostros. Ergo quum hoc nomen illi præcedenti subjiciatur per appositionem, dicendum fuerat, τὸν Ἀβραάμ. Est igitur anomalia in syntaxi. *Semini.* τῷ σπέρματι. Id est, posteritati, nempe spirituali, id est, electis: sive sint ex Judæis, sive ex Gentibus: ut docet Apostolus Rom 4.v.16. & cap.9.v.8. *In æternum.* εἰς τὸν αἰῶνα. Hęc verba nonnulli retulerunt ad finem versus præcedentis. Sed quum illa trajectio videatur nimis dura, & commodus sensus exsistat si jungatur cum sententia proximè præcedente: malo sic exponere, ut intelligantur hæc verba regi à verbo in proximè præcedente sententia subintellecto, nempe sic: *Prout loquutus est* (scil. se misericordiæ memorem fore, id est, misericordiam præstaturum) *Abrahamo & semini ejus, in æternum.* Vel, *Et semini ejus* futuro (id est duraturo) *in æternum.*

56 *Revertit domum suam.* εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς. Quæ scil. erat in urbe Galilææ cui nomen Nazareth, suprà v.26.

57 *Peperit.* ἐτέκεν. Pro, ἔτεκεν: ut suprà v.13.

58 *Magnificâ misericordiâ suâ usum esse erga eam.* ὅτι ἐμεγάλυνε τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς. Ad verb. Magnificasse misericordiam suam cum ea.

64 *Apertum est os ejus.* ἀνεῴχθη τὸ στόμα αὐτοῦ. Id est, Restitutus est illi usus vocis atq; sermonis. Synecdoche generis & metonymia effecti destinati. Quū enim homines os aperire soleant, nunc ad loquendum, nunc ad cibum capiendum &c. hìc intelligitur, os apertū esse ad loquendum: & ex apertione oris ipse loquēdi actus intelligitur. Sic Gen. 21.19. *Deus aperuit oculos Hagaræ:* id est, effecit ut videret fontem vicinum, quem antea quamvis apertis oculis non videbat. Sic infrà 24. 31. *Et lingua ejus.* καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ Scil. fuit aperta: id est, soluta. Metaphora, quâ ἀδυναμία movendi linguā ad loquendum, comparatur vinculis quibus illa fuerit astricta, ut se movere non posset. Aperiri

autem dicitur lingua pro eo quod est solvi, phrasi Hebraicâ. ut Esa. 5. 27. Non solvetur zona lumborum ejus. In Hebræo est, Non aperietur. *Benedicens Deo.* εὐλογῶν τὸν Θεόν. Ad verb. Benedicens Deum. Phrasis Hebræa. Id est, laudans Deum, seu gratias illi agens: iis nempe verbis quæ recitantur paulo pòst v. 68. & seqq.

65 *In tota montana regione.* ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ. scilicet χώρᾳ vel γῇ: ut suprà v. 39. *Omnia ista.* πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα. Ad verb. Omnia verba ista: id est, omnes res istæ. Hebraismus, qualis suprà v. 37.

66 *Qualis nam erit.* τί ἄρα. Ad verb. Quid erit, q. d. In qualem & quantum virum evadet? cujus gratiâ tanta miracula facta sunt. *Manus Domini.* χεὶρ Κυρίου. Id est, virtus Domini. Metonymia subjecti & metaphora.

67 *Repletus est Spiritu sancto.* Id est, virtute seu facultate prophetandi. Metonymia efficientis.

69 *Cornu salutis.* κέρας σωτηρίας. Id est, salvificũ. Genitivus effecti. Id est, Salvatorem qui instar bovis cornupetæ inimicos populi Dei dejiciat atque prosternat, id est vincat & aboleat. *Pueri sui.* τοῦ παιδὸς αὐτοῦ. Id est, servi sui: ut suprà v. 54.

70 *A sæculo.* ἀπ' αἰῶνος. Id est, inde à mundo condito.

72 *Ut misereretur misericordiâ erga patres nostros.* ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν. Ad verb. Ut faceret misericordiam cum patribus nostris.

72 *Memor esset.* μνησθῆναι. Id est, reipsa declararet se memorem esse. Metonymia efficientis.

73 *Juris jurandi* scilicet. ὅρκον. Hoc nomen cum præcedente nomine διαθήκης, id est, *fœderis* cohæret per appositionem: quare aut irrepsit ὅρκου pro ὅρκου, accusativus pro genitivo, aut manifesta est anomalia syntaxeos: qualis fuit & sup. v. 55. D. Beza ex Theophylacto refert, ὅρκου ἢ ὄμοσε, quæ lectio sic erit resolvenda, ὅρκου ἐκείνου ὃν ὤμοσε.

75 *Cum sanctitate.* ἐν ὁσιότητι. Id est, μεθ' ὁσιότητος. Hebr.

77 *Ut des inquam.* τοῦ δοῦναι. Cohæret hoc verbum cum præcedente ἑτοιμάσαι per appositionem. *Per remissionem.* ἐν ἀφέσει. Id est, δι' ἄφεσιν. Vel, Quæ est *in remissione*: ut ante ἐν ἀφέσει subaudiatur articulus τῇ, referendus ad nomen σωτη-

σωτηρίας. Etenim salus nostra in remissione peccatorum consistit, ab eáve dependet.

78 *Per viscera misericordiæ.* διὰ σπλάγχνα ἐλέους. Pro, διὰ σπλάγχνα. Sic Rom. 3. 25. διὰ τῆς πάρεσιν, per remissionē: pro διὰ τῆς παρίσεως Sic Johan. 6. 57. Ego vivo διὰ τῆς Πατέρα. per patrem. *Oriens ex alto.* ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Ad verbum, Ortus ex alto: videlicet ortus Solis aut alterius stellæ (id enim vox Græca propriè significat) hoc est, stella oriens, vel sol oriens. Metonymia adjuncti. Sic autem nominatur hoc loco Christus per metaphoram, quæ mox declaratur versu sequente. Puto autem respicere Zachariam ad prophetiam vel Bileami Num. 24. 17. *Procedit stella ex Jacobo,* &c. vel potiùs Malach. 4. 2. *Exorietur autem vobis, o timentes nominis mei, sol iustitiæ* &c. Etsi enim nomen ἀνατολὴ Tzémach, id est, germen, in prophetiis de Christo quæ extant Jer. 23. 5. & Zach. 3. 8. & 6. 12. Græci interpretes reddiderunt ἀνατολὴν: tamen quò minùs eò respexisse Zacharias videatur, facit epexegesis continenter adjecta; ex qua apparet, sermonem hic esse non de germine, sed de stella aliqua oriente atque illucescente, & quidem stella lucidissima, qualis est sol. Sequitur enim, *Ut illucescat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ab dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Utrumque enim hoc corporis lucidi effectum est: neutrum verò germinis.

79 *In tenebris & umbra mortis.* ἐκσκότει καὶ σκιᾷ θανάτου. Id est, in tenebris mortiferis, itemque in umbra mortifera. Zeugma, & genitivus effecti. Sic autem metaphoricè nominantur calamitates & mœstitia: sicut contrà nomine lucis intelligi solet felix rerum status & gaudium: ut Esteræ 8. 16. *Judæis erat lux & lætitia, gaudiúmque & gloria.*

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex parte prima. Historia hæc Lucæ, fide digna est: quia habet oculatos testes. Huc etiam facit, quòd approbata fuit à Johanne Apostolo, teste Eusebio Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 21.

δ.δ. Ex parte secunda. Miraculosa conceptio Johannis Baptistæ, facit ad commendandum testimonium illius de Christo. Quo testimonio quum nitatur fides nostra: sequitur eam veram ac certam esse.

ἀπ. λόγ. Ex v. 6. Cum hac laude parentum Johannis videntur pugnare quædam Scripturæ dicta: ut illud Davidis: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Item illud Salomonis, *Non est homo qui non peccet.* Item confessio illa Pauli Rom. 7. *Bonum quod volo, non ago: malum quod odi, hoc ago: Vemundatus sum sub peccatum &c.* Item illud Johannis, *Si dixerimus nos non peccavisse, mentimur &c.* Sed non pugnant ista. nam Lucas non affirmat, parentes Johannis absque omni peccato fuisse, aut nunquam ex infirmitate peccavisse: sed tantùm tribuit eis sincerum ac serium studium vivendi secundùm omnia Dei mandata, & vitam talem, nemo hominum jure culpare posset.

δ.δ. Ex v. 9. 10. & 11. Quòd sacerdos interim dum populus in templo precabatur, offerebat suffitum aromatum super altare ad hoc destinatum: eo ritu testatum voluit facere Deus, se preces sui populi ex fide profectas exaudire nam ut suffitus sursum feruntur: ita preces fidelium sursum feruntur & nubes penetrant, donec perveniant in conspectum Dei. Per altare autem suffitus, significatus fuit Christus. Confer Act. 9. 4.

δ.δ. Ex v. 12. Quòd etiam sancti (ut hoc loco Zacharias) expavescunt ad cõspectum sanctorum Angelorum. argumentum est sanctos dum hic vivunt, conscios sibi esse peccati. Aliâs enim non expavescerent Angelos, tanquam ministros Dei & exequutores judiciorum illius. Similiter expaverunt mulieres quærentes Dominum in sepulchro: Matth. 28. v. 5. & 8. item Cornelius Act. 10. v. 4. Item Johannes Apoc. 1. v. 17.

δ.δ. Ex v. 13. Deus preces piorum etiam in corporalibus bonis exaudit, quando id facit ad gloriam ipsius & illorum salutem.

δ.δ. Ex eodem versu. Johannem nominari voluit Deus Zachariæ filium, quia futurus erat primus præco gratiæ in novo Testamento. Deductum est enim istud nomen à

nomine

nomine in chén, quo gratia significatur.

Ex v.15. Exemplo Johannis Baptistæ monemur, Spiritum sanctum in infantibus electis operari modo nobis incognito. διδ.

Ex v.16.& 17. Exemplo ministerii Johannis monemur, Spiritum sanctum per prædicationem Evangelii efficacem esse in cordibus electorũ, convertendo illa ad Deum. Quare Evangelium studiosè audiendum est. διδ.

Ex iisdem versib. Continetur hîc illustre testimonium de deitate Christi, quia certum est ex Malachia, Christũ esse illum cujus præcursor fuit Johannes Baptist: at ille apertè hîc nominatur Dominus (id est Jehova) Deus filiorum Israëlis. διδ.

Ex v.18. In Zacharia proponitur nobis exemplum nostræ infirmitatis, quòd scil. difficulter credamus promissionibus divinis. Talis incredulitas fuit etiam in Sara, quũ Deus illi promitteret filium, Gen.18. διδ.

Ex v.20. Exemplo puniti Zachariæ monemur, Deo displicere incredulitatem: ac proinde illam esse fugiendam, Deumque orandum ut augeat nobis fidem. διδ. παιδ.

Ex v. 24. Quæcunque Deus promittit, ea etiam præstat suo tempore. Quare promissionib. divinis credamus. διδ. παιδ.

Ex v. 25. Exemplo Elisabetæ, gratias Deo agere debemus quoties beneficio aliquo insigni ab eo affecti sumus. παιδ.

Ex parte tertia. Ex hac narratione habemus confirmationem articuli fidei nostræ, Conceptus est ex S. Sancto. διδ.

Ex v. 28. *Ave gratiam nacta* &c. Cavendus horum verborum abusus, qui usitatus est in Papatu: ubi his verbis invocant Mariam matrem Domini. Ineptissimè ac perversissimè. Quum his verbis Angelus Mariam non invocarit, sed salutarit: quumque invocatio religiosa soli Deo debeatur. ἐκδίκ. ἔλ. ἐπ.

Ex v.32.& 34. Notentur testimonia de deitate Christi: quippe qui nominatur filius Altissimi, & filius Dei. Quum enim sit filius Altissimi, id est Dei patris, unigenitus: sequitur, ipsum ejusdem esse cum illo naturæ atque essentiæ, ac proinde verum Deum. At hæretici contrariũ hinc inferunt: quare hic locus ab illorum corruptela erit vin- διδ.

ἐκδίκ. dicandus. Sic autem ratiocinantur:

Verus Deus est Altissimus ille extra quem nullus est Deus.
At Christus non est Altissimus ille: quia est filius ejus.
Christus igitur non est verus Deus.

Respondeo. Si nomen Altissimi in assumptione intelligatur eodem modo quo intelligitur in propositione, videlicet ad significandum Jehovam, tum assumptio est falsa: nec probatur ex eo quòd Christus dicitur esse filius Altissimi. Nam quum Christus dicitur esse filius Altissimi: tum nomen Altissimi per synecdochen generis intelligitur de solo Patre. At nihilominus Christus unâ cum Patre est Altissimus ille, id est, Jehova. Si verò nomen Altissimi in assumptione intelligatur de Patre: tum quatuor existunt termini ἐκ διττότητος τῶν μέσου, nempe ex ὁμωνυμία vocabuli *Altissimi*: quippe quod in propositione accipitur propriè seu simpliciter, & significat ipsum Jehovam: in assumptione verò accipitur synecdochicè, & significat Deum Patrem.

διδ. Ex v. 33. Quum regnum Christi sit æternum: sequitur, nos quoque qui in Christum credimus, in æternum regnaturos ac beatos fore: quia regnabimus cum ipso: teste Apostolo, 2. Tim. 2. 12. Hoc facit ad nostram consolationem.

ἐκδίκ. Ex vers. 34. *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Hæc verba vindicanda sunt à falsa expositione Bellarmini: qui ex illis asserere conatur votum continentiæ. His verbis (inquit) virgo sanctissima significat, impedimentum se habere, quo minùs filium concipere & parere posset: impedimentum autem illud non aliud esse potuit, quàm votum continentiæ jam emissum. Illa enim verba, *Virum non cognosco*, non significant, Jam actu non cognosco? sed, Non licet mihi cognoscere. Alioqui ineptissima interrogatio fuisset: quum posset statim responderi: Etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulo pòst cognosces. Itaque sicut dicimus in Quadragesima, Ego non vescor carnibus, id est, Non licet mihi hoc tẽpore carnibus vesci: sic beata virgo dixit, Virum non cognosco: id est, Prohibeor virũ cognoscere. Cur autem prohiberetur, nulla

Controvers. tomo 1. de Monachis lib. 2. cap. 22. pag. 1589. C.

nulla ratio poteſt reddi, niſi votum. nam & virum habebat, & juvenis erat: nec eſt credibile, ſterilem aut impotentem fuiſſe: vel certè id ipſa ſcire nondũ poterat, quũ ad virum nondum perveniſſet. Nec denique prohibebatur virum cognoſcere lege aliqua communi, ut notum eſt. Igitur lege particulari, id eſt, voto. Hactenus Bellarminus. Quæ in ſyllogiſmos reſolvemus, ut fraus magis appareat. Syllogiſmus principalis hic eſt:

Si Maria quum diceret, Virum non cognoſco, *ſignificavit ſe impedimentum habere quo minus filium conciperet & parere poſſet: neceſſe eſt ut impedimentum illud fuerit votum continentiæ.*

Sed verum eſt antecedens.

Ergo & conſequens.

Propoſitionem confirmat multis verbis, ibi, *Nam & virum habebat* &c. Sed otiosè, more Sophiſtarum: quum τὸ ἀντιλαμβανον ſit in aſſumptione. Ejus autem probatio quam affert, tali concluditur ſyllogiſmo:

Quum Maria dixit, Virum non cognoſco: *intellexit aut ſic, Jam actu non cognoſco: aut ſic, Non licet mihi cognoſcere, ſeu, Prohibeor cognoſcere.*

At non intellexit priore modo. Alioqui ineptiſſima interrogatio fuiſſet &c.

Ergo intellexit poſteriore modo.

Reſpondeo. Hîc probat aſſumptionem: ſed iterum otiosè atque ſophiſticè, quum illa careat controverſia. Falſa eſt autem propoſitio: cujus probationem ille nullam affert: quia diſjunctio illa non eſt neceſſaria: quum dari poſſit tertium: nempe, *Aut intellexit ſic, Non ſum cognitura.* Etenim interdum præſens tempus ponitur pro futuro, ut Mar. 12. 26. *De mortuis verò, quòd ſuſcitantur, ἐγείρονται*: id eſt, quòd ſuſcitandi ſint. Sic in hoc ipſo loco verſ. ſeq. *Propterea etiam quod naſcitur ex te ſanctum* &c. τὸ γεννώμενον: pro, quod naſcetur. Atque hoc ipſum ſit quoque in iſtis verbis Mariæ. Intelligebat enim ex verbis Angeli, ſe filium illum paulo pòſt concepturam, abſque concubitu viri.

dñs. Ex v. 35. Ex hoc loco ducitur argumentum ad probandum dictatem Spiritus ſancti: videlicet Spiritum ſanctum eſſe Jehovam ſeu Deum illum qui creavit cælum & terram. Etenim qua virtute ſeu potentia (δυνάμει) Altiſſimus ille, id eſt, Deus pater, creavit corpus Chriſti: eâdem creavit quoque cælum & terram. At virtus illa ſeu potentia qua Altiſſimus ille creavit Chriſto corpus, eſt ipſe Spiritus ſanctus: ut planum eſt ex hoc loco. Ergo per Spiritum ſanctum creavit quoque cælum & terram: & per conſequens Spiritus ſanctus eſt unus ex illis Elohím, de quibus ait Moles, In principio creavit Elohím cælum & terram, Gen 1.1.

dñs. Ex v. 36. Exemplo Eliſabetæ, quæ quum ad ſenectutem uſque ſterilis fuiſſet, concepit filium: monemur de omnipotentia Dei, ſimulque de bonitate ipſius erga illos qui ipſum ſanctè colunt. Simile exemplum proponitur nobis in Sara uxore Abrahæ. Ergo ne dubitemus, Deum poſſe nobis dare omnis generis bona: atque etiam daturum, quatenus id faciet ad gloriam ipſius & ſalutem noſtram æternam.

exdix. Ex v. 37. Cavendum ne hac ſententia de omnipotentia Dei abutamur ad ſtabiliendum falſa dogmata: qualia ſunt, Corpus Chriſti ſubſtantialiter ſimul eſſe in cælo & in pane S. Cænæ: item penetraviſſe lapidem ſepulchri, & fores conclavis in quo congregati erant diſcipuli. Quæ dogmata quum implicent cõtradictionem, ne Deus quidem efficere illa poteſt: quippe qui non poteſt mentiri. Itaque abutuntur nomine Dei qui ex Dei omnipotentia defendere iſta dogmata conantur.

dñs. Ex v. 38. collato cum v. 31. & 42. Fide adipiſcimur res naturæ impoſſibiles. Etenim Maria virgo fide adepta eſt, ut conciperet virgo, & quidem Filium Dei: quatenus is ex ipſa carnem & ſanguinem aſſumpſit. Confer exemplum Abrahæ & Saræ procreantium Iſaacum. Oremus igitur Deum ut augeat nobis fidem.

exdix. Ex eodem verſu. Hoc loco abuſi ſunt doctores Scholaſtici ad ſtabiliendũ transſubſtantiationem panis Euchariſtici in corpus Chriſti: dicentes, Sicut Maria Chriſtum concepit

concepit vi quinque istorum verborum, FIAT, MIHI, SECUNDUM, VERBUM, TUUM: ita sacerdotem ex pane Eucharistico creare corpus Christi vi quinque istorum verborum, super panem demurmuratorum: HOC, EST, ENIM, CORPUS, MEUM. Sed primò falsum est, Mariam pronuntiasse quinque illa verba: quum constet non loquutam Latinè, sed Syriacè: in Syriaco autem sermone pronuntiatum istud constat verbis quatuor. Deinde falsum quoque est, Mariam vi istorum verborum pronuntiatorum concepisse Dominum: concepit enim vi fidei quam habuit promissioni Dei per Angelum annuntiatæ: unde Elisabeta ei dicebat: Beata quæ credidit: nam perficientur ea quę dicta sunt ei à Domino, infrà v. 45. Ad hęc etiam si Maria vi istorum verborum Dominum concepisset: inde tamen non posset concludi, sacerdotem Papisticum vi aliorum quinque verborum ex pane creare Domini corpus.

Ex v. 41. & seq. Notandum hìc est testimonium Spiritus sancti de persona & officio Christi. Etenim Elisabeta ex afflatu Spiritus sancti pronuntiat, Christum esse fructum uteri Mariæ, & Mariam esse matrem Domini sui. Unde colligitur, Christum esse verum hominem, ortum è substantia matris: sicut fructus nascitur è substantia arboris: & esse plus quàm hominem (videlicet Deum) ut qui sit dominus Elisabetæ, atque adeò omnium piorum. Quo ipso significatur quoque officium ejus, & maximè regium: quòd scil. electos sibi sit acquisiturus & vindicaturus in libertatem filiorum Dei; idque tribus modis: sua morte, ut sacerdos: sua doctrina, ut propheta: & suo spiritu atque potentia divina, ut Rex. Et rectè à veteribus orthodoxis contra Nestorium ex isto loco Maria dicta fuit Θεοτόκος, id est, Deipara, quia etsi non peperit deitatem, tamen peperit Deum quia peperit Filium Dei secundùm carnem ab illo ex ipsa assumptam. Et hinc erroris convincuntur Anabaptistæ, qui dicunt, corpus Christi non esse è substantia Mariæ ortum, sed è cælo illatum per ipsam tanquam per canalem transiisse.

Ex v. 41. & 44. Exemplo Johannis Baptistæ mone-

mur, Spiritum ſanctum operari cognitionem aliquam Chriſti etiam in electis infantibus. Etenim apparet, exſultationem iſtam Johannis adhuc in utero matris concluſi, profectam fuiſſe ex agnitione Chriſti præſentis & in utero Mariæ latentis. Etſi autem cognitio illa non videatur nominanda Fides: quum Fides ſit ex auditu: cujus infantes capaces non ſunt: tamen hauddubiè talis eſt ut illis ad ſalutem ſufficiat.

diſ. Ex v. 45. Deus credentib. præſtat quicquid eis promiſit.
uſus. Uſus hujus doctrinæ eſt conſolatio ex promiſſione remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ propter Chriſtum.

uſus. Ex v. 46. & ſeq. Deus propter beneficia in nos collata,
diſ. exemplo Mariæ, meritis laudib. celebrandus eſt. Sed laudes illas is demum rectè Deo canet, qui ad hoc impelletur à Spiritu ſancto.

diſ. Ex v. 53. Ad bona cœleſtia percipienda ii demum idonei ſunt, qui ſunt famelici: id eſt, qui inopiam atque egeſtatem ſuam ſpiritualem agnoſcentes, ſe ſcilicet deſtitui verâ juſtitiâ qua placeant Deo, juſtitiam illam deſiderant & à Deo petunt. Contrà qui ſibi videntur divites, ebrii ſcil. ac turgidi propriæ juſtitiæ opinione, veram juſtitiam & inde manantem vitam æternam nunquam adipiſcuntur. Huc pertinet illud pronuntiatum Dominicum Matth. 5. verſ. 6. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Item dulciſſima illa promiſſio Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis: & ego refocillabo vos.*

diſ. Ex v. 54. & 55. Ex eo quòd Maria Deum celebrat, quòd promiſſiones Patribus factas jam tum cœperit implere per conceptionem Chriſti in utero ipſius: monemur, Deum in promiſſionibus ſuis veracem eſſe. Hinc pii percipiunt conſolationem contra omne genus tentationis.
uſus. nam contra tentationes ſpirituales conſolationem habent ex promiſſionibus remiſſionis peccatorum factis cuivis reſipiſcenti & in Chriſtum credenti: contra corporales verò, ex promiſſionibus protectionis Dei vel corporalis, ſi id faciat ad gloriam illius & ſalutem æternam ipſorum: vel certè ſpiritualis, id eſt, doni perſeverantiæ in fide,

fide, ut fide vincentes persequutionem reportent præmium vitæ æternæ.

Ex v. 57. & sequentibus. Rursus hîc proponitur exemplum veritatis Dei in præstandis promissis: quòd scil. Elisabeta Zachariæ pererit filium, quòdq; eo nomine amici ei gratulati sunt: secundùm promissionem illi factam per angelum suprà v. 13. 14. & 15. *dil.*

Ex v. 58. Exemplo amicorum Elisabetæ, debemus gaudere rebus secundis proximorum, maximè verò piorum. Idem præcipit Paulus Rom. 12. ubi ait, *Gaudete cum gaudentibus.* *mul.*

Ex v. 59. In Zacharia proponitur nobis exemplum pietatis quòd scil. filium suum circumcidi curavit die octavo, sicut Deus præceperat. *mul.*

Ex eodem versu. Sicut in vetere Testamento nomen imponebant in circumcisione, ad testandum, illum qui circumcidebatur, addici Deo ut domino: item rectè fit in novo Testamento, in baptismo: qui circumcisioni successit. *dil.*

Ex v. 60. & 63. Proponitur hic nobis exemplum obedientiæ erga mandata Dei, in parentibus Johannis. Imponunt enim illi istud nomen de quo acceperat Zacharias mandatum Dei per Angelum, suprà v. 13. *exp.*

Ex v. 64 Proponitur hic nobis exemplum veritatis Dei in præstandis comminationibus, ac promissionibus. Dixerat enim Zachariæ per Angelum, suprà v. 20: fore ut non posset loqui ad eum usque diem quo implera fuerit promissio de nascituro ipsi filio ex Elisabeta. *dil.*

Ex eod. versu. Exemplo Zachariæ celebrare debemus Deum, quum nos insigni aliquo beneficio afficit. *mul.*

Ex v. 65. & 66. Deus pro sua sapientia corda piorum per miracula, quoties opus est, præparat ad audiendum verbum ipsius ex ore servorum suorum. *dil.*

Ex v. 67. & seq. Exemplo Zachariæ, tota Ecclesia & omnes ac singuli fideles, gratias debent agere Deo pro missione Filii & redemptione per illum facta. Considerandum est autem, quinam sint inimici illi à quibus nos liberavit Christus, & ampliùs liberaturus est. Sunt autem *mul.* *dil.*

illorum alii ſpirituales, videlicet diabolus, peccatum & mors æterna: alii corporales, videlicet homines impii qui pios religionis nomine oderunt & perſequuntur. Diabolus eſt inimicus noſter: quia ſtatim ab initio primos noſtros parentes, & nos in illis, decepit & ad peccandum induxit & à Deo nos avertit: & adhuc perpetuò nobis inſidiatur, circumiens velut leo rugiens, quærens quem devoret: item excitat contra nos potentiam tyrannorum ut nos propter fidem Chriſtianam ad necem uſque perſequantur: denique accuſat nos apud Deum die ac nocte. Deinde peccatum eſt noſter inimicus: quia facit nos reos iræ Dei & æternæ damnationis: & facit ut ſubinde rebellemus Deo. Tertiò, Mors æterna eſt noſter inimicus: quia nos æternis cruciatibus in gehenna torquere deſiderat. Deniq; mundus eſt noſter inimicus, quia nos propter fidē Chriſtianam odit & hoſtiliter perſequitur. Hoſce inimicos Chriſtus pro nobis partim jam devicit, partim adhuc vincit quotidie, partim deniq; ſuo tempore plenè victurus eſt. Devicit diabolum, peccatum & mortem æternam, ſuo merito: quatenus peccata noſtra per mortem ſuam expiavit, atque ita nos à poteſtate diaboli & morte æterna liberavit. Vincit adhuc quotidie diabolum, dum eum coercet ne nos inducat in tentationem: peccatum verò in nobis habitans, dum ipſum infringit ac refrænat per Spiritum ſanctum: mundum denique, dum tyrannos vel coercet à lædendis corporibus noſtris, vel conſtantiam confitendi veritatem cæleſtem in mediis ſuppliciis nobis largitur. Victurus eſt plenè in die judicii, quum diabolum unà cum angelis ſuis & impiis hominibus relegabit in gehennam: nos verò ad ſe recipiet in cælum ut cum ipſo regnemus in æternum.

Gen. 3.

1. Pet. 5, v. 8

Apoc. 12, v. 10.

ibid. Ex v. 77. Salus noſtra dependet à remiſſione peccatorum. Sicut hoc loco ait Zacharias: *Ut des cognitionem ſalutis populo ejus, per remiſſionem peccatorum ipſorum.* Et ſanè ſicut propter peccatum rei eramus damnationis æternæ: ſic per remiſſionem peccatorum conſequimur ſalutem æternam. Hinc eſt, quòd Paulus Juſtificationem (quam conſtituit in remiſſione peccatorum) nominat *juſtificationem vitæ,*

vita, Rom. 5. v. 18. Et Gal. 4. v. 5. ait, *Christum redemisse nos* (videlicet impetrando nobis remissionem peccatorum sua morte) *ut adoptionem acciperemus. Si autem sumus filii, sumus etiam hæredes:* Rom. 8. 17.

Ex v. 78. Tota nostra salus misericordiæ Dei principaliter accepta ferenda est. Non igitur nostri vel aliorum hominum meritis. *Principaliter* illud addo, ne videatur excludi meritum Christi. *Nb.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Quatuor in hoc capite de Christo narrantur: primùm nativitas ejus, usque ad v. 21: deinde circumcisio, v. 21. tum præsentatio in templo, usque ad v. 41. postremò speciem & quasi tirocinium muneris prophetici, nec non speciem muneris regii, usque ad finem.

PRIMA PARS.

Nativitas Christi.

F*Actum est autem diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur totus orbis.*

2 *Hæc descriptio prima, facta est præsidente Syriæ Cyrenio.*

3 *Ibant igitur omnes ut describerentur, in suam quisque urbem.*

4 *Ascendit autem etiam Joseph à Galilæa, ex urbe Nazareth, in Judæam in urbem Davidu quæ vocatur Bethlehem, propterea quòd esset ex domo & familia Davidis:*

5 *Ut describeretur cum Maria desponsa sibi uxore, quæ erat pregnans.*

6 *Factum est autem, quum essent illic, completi sunt dies quibus ipsa pareret.*

7 *Peperit igitur filium suum primogenitum, & fasciis eum involvit, reclinavitq; eum in præsepi: eo quòd non erat eis locus in diversorio.*

8 *Erant autem pastores in eadem regione excubantes, & agentes vigilias noctis super gregem suum.*

9 *Et ecce, Angelus Domini supervènit ipsis, & gloria Domini circumfulsit eos: & timuerunt timore magno.*

10 *Tunc dixit eis Angelus, Ne timete: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo:*

11 Nempe *natum esse vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis.*

12 *Hoc autem vobis signum* erit, *invenietis infantem fasciis involutum, jacentem in præsepi.*

13 *Et repentè adfuit cum Angelo multitudo exercitus cælestis, laudantium Deum, & dicentium;*

14 *Gloria in locis altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplaciti.*

15 *Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum, tunc pastores illi dixerunt alii ad alios, Eamus sanè Bethlehemum usq;, & videamus rem hanc quæ facta est: quam Dominus notam fecit nobis.*

16 *Venerunt igitur festinantes, & invenerunt Mariam & Josephum, & infantem jacentem in præsepi.*

17 *Eo autem viso, divulgaverunt id quod dictum fuerat ipsis de puerulo hoc.*

18 *Et omnes qui audierunt, mirati sunt ea quæ ipsis dicta fuerant à pastoribus.*

19 *Maria verò ista omnia conservabat, conferens ea in corde suo.*

20 *Reversi sunt autem pastores, glorificantes & laudantes Deum super omnibus quæ audierant & viderant, prout ipsis dictum fuerat.*

Primùm describitur nativitas ipsa, usque ad v. 8. deinde patefactio ejus, parte reliqua. Nativitas ipsa describitur principaliter à subjecto loco seu à circumstantia loci, quòd scilicet natus sit in urbe Judææ, nomine Bethlehem, v. 4. 6. & 7. deinde ab adjuncto adhærente, videlicet miserabili & contempta curatione recens-nati, quòd scilicet mater fasciis eum involuerit & in præsepi reclinare coacta sit, v. 7. Cæterùm narratio loci illustratur narratione occasionis qua mater Domini eò venit, quum ibi non habitaret: nempe quòd eò venerit unà cum Josepho qui erat desponsa, impulsa edicto Cæsaris Augusti de describendis

scribendis subditis, id est, censendis illorum facultatibus. hujus enim rei causâ Josephum oportuit proficisci Bethlehemum urbem Davidis, propterea quòd ex illius familia esset. Atq; sic simul narratur circumstantia temporis: quòd scil. natus sit Dominus imperante Augusto, præsidente Syriæ Cyrenio, v. 1. & 2.

Atque hæc de nativitate ipsa. Patefactio illius describitur è subjectis occupantibus sive objectis, id est personis quibus patefactio illa contigit, & ex causis efficientibus, id est personis qui illam perfecerunt. Personæ quibus recens facta nativitas Domini patefacta fuit, fuerunt pastores Bethlehemitici, tum postea alii in quos illi inciderunt. Personæ qui nativitatem Domini recens factam pastoribus patefecerunt, fuerunt Angeli: ac primò Angelus unus, deinde complures. Personæ qui aliis eandem patefecerunt, fuerunt ipsi pastores. Cæterùm patefactio ab Angelo uno facta pastoribus describitur primùm à circumstantia loci & temporis, quòd facta sit in agro apud gregem, idque noctu, v. 8. Deinde à præparatione illorum qua ad attentè audiendum Angeli nuntium fuerunt præparati: nempe partim per timorem ortum ex aspectu fulgoris Angeli, vers. 9: partim verò per solatium quod perceperunt ex amico Angeli alloquio, in principio versus decimi. Tum recitatur ipse Angeli sermo, quæ fuit patefactionis istius forma. Sermo ille constat duobus membris: nuntio nativitatis Christi, vers. 10. & 11: & nuntii illius confirmatione, v. 12. Nuntium partim amplificatur, partim illustratur. Amplificatur ab effectu rei nuntiatæ, videlicet gaudium magnum toti populo Dei ex illa oriturum, vers. 10. Illustratur autem idem nuntium à circumstantia temporis & loci: nempe Christum natum esse illo ipso die, idque in urbe Davidis, hoc est, Bethlehemi, v. 11. Confirmatio sumpta est ab adjuncto signo, videlicet deprehensione infantis fasciis involuti & in præsepi jacentis, v. 12. Atque hæc de patefactione per Angelum unum: Patefactio per Angelos complures constat hymno, quo gratias agunt Deo pro nato Christo. Argumentum gratiarum actionis sumptum est à nativitatis

tum efficiente tum fine: quòd scil. natus sit puer ille ex beneplacito Dei erga homines electos, ut eos Deo reconciliet, v. 13. & 14. Porrò confirmatio ab Angelo allata, comprobatur ab eventu, videlicet signi dati conspectu, v. 15. & 16. Quod jam est tertium testimonium de nativitate Christi, nempe experientia pastorum Bethlehemiticorum sive sensus oculorum. Hoc testimonium describitur à causis impulsivis illius percipiendi, videlicet tum cohortatione mutua, v. 15. tum studio singulari, in principio versus decimisexti. Deinde ab effectu, videlicet divulgatione testimonii Angeli, v. 17. Quo ipso jam significantur personæ aliæ quibus nativitas Domini patefacta fuit, nempe obvii quivis, saltem amici, in quos pastores illi inciderunt. Atque hoc jam est testimonium quartum, videlicet ipsorum pastorum. quod quidem illustratur ex eventis duobus: videlicet admiratione omnium qui illud audierant, v. 18: & attenta consideratione matris Domini, v. 19. Postremò testimonia tria priora illustrantur ex effectu in pastoribus, videlicet glorificatione Dei, v. 20.

PARS SECUNDA.

Circumcisio Christi.

21 *Et quum advenisset dies octavus, ut circumciderent puerulum; tunc vocatum est nomen ejus Jesus; quod vocatum fuerat ab Angelo, priusquam ipse in utero conciperetur.*

Circumcisio Christi describitur primùm à circumstantia temporis, quòd sit circumcisus die octavo: deinde ab adjuncto adhærente, videlicet impositione nominis, quòd tunc vocatum sit nomen ejus Jesus. Cujus nominis impositio amplificatur expositione causæ, videlicet mandati Dei per Angelum. Quod ipsum mandatum illustratur indicatione temporis quo fuit pronuntiatum, videlicet priusquam Jesus in utero conciperetur: quum scilicet Angelus conceptionem ejus paulo pòst futuram Mariæ virgini annuntiavit.

PARS

PARS TERTIA.

Præsentatio Christi in templo.

22 *Et quum impleti fuissent dies purgationis Marie secundùm legem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymam, ut ſiſterent eum Domino,*

23 *(Prout ſcriptum eſt in Lege Domini, Omne maſculinum adaperiens matricem, ſanctum Domino vocabitur)*

24 *Et ut darent victimam, ſecundum id quod dictum eſt in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

25 *Et ecce, erat homo Hieroſolymis cui nomen Simeon: & homo iſte erat juſtus ac religioſus, exſpectans conſolationem Iſraelis: & Spiritus ſanctus erat ſuper eum.*

26 *Fueratq; ipſi divinitus promiſſum à Spiritu ſancto, ipſum non viſurum mortem priuſquam vidiſſet Chriſtum illum Domini.*

27 *Iſ igitur vênit impulſore Spiritu in templum. & quum introducerent puerulum Jeſum parentes, ut de ipſo facerent quod ex Lege conſuetum erat:*

28 *Tunc ipſe cepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deo, ac dixit;*

29 *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum, in pace:*

30 *Quia viderunt oculi mei ſalutem tuam,*

31 *Quam paraſti ante faciem omnium populorum:*

32 *Lumen patefaciendum Gentibus, & gloriam populi tui Iſraelis.*

33 *Joſeph autem & mater ejus mirabantur ſuper eis quæ dicebantur de eo.*

34 *Et benedixit eis Simeon, dixitq; Mariæ matri ejus; Ecce propoſitus eſt iſte in caſum & reſurrectionem multorum in Iſraële; & in ſignum cui contradicatur:*

35 *(Quin & tuam ipſius animam trajiciet gladius) ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.*

36 *Erat etiam quædam Anna prophetiſſa, filia Phanuelis ex tribu Aſeris: hæc proceſſerat in multam ætatem, vixeratq; cum viro annos ſeptem à virginitate ſua.*

37 *Et hæc vidua erat quaſi annorum octoginta quatuor: quæ non abſcedebat à templo, jejuniis ac deprecationibus ſerviens Deo nocte ac die.*

38 *Hæc igitur eo ipso momento quum supervenisset, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Hierosolymis.*

39 *At* illi *ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt* proficiscentes *in Galilæam, in urbem suam Nazareth.*

40 *Puerulus autem crescebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturq; sapientia: & Dei gratia erat super eum.*

Prælentatio Christi in templo describitur primùm à circumstantia temporis, quando facta est, videlicet quum impleti fuissent dies purificationis Mariæ secundùm legem Mosis: hoc est, die quadragesimo à partu. Secundò, à causis efficientibus, id est personis à quibus in templum fuit allatus. Illi fuerunt Joseph sponsus Marię & ipsa Maria mater: qui notantur verbo *Adduxerunt*, & exprimuntur v. 33. Tertiò, à fine seu causa finali, propter quam parentes eum in templum attulerunt. Fines indicantur duo: unus, ut sisterent eum Domino, v. 22. hoc est, ut publicè coram sacerdote testificarentur, se illum Domino consecrare & tanquam ipsius proprium tradere: ubi per synecdochen membri simul intelligenda actio altera, nempe ut illum à sacerdote redimerent pretio in Lege præscripto. Hic finis illustratur expositione causę impulsivæ, videlicet mandati Dei, v. 23. Alter finis fuit, ut eâdem operâ darent victimam pro purificatione Mariæ: qui finis similiter expositione causæ, mãdati scilicet divini, illustratur: simulq; expressione objecti, id est rei quam in victimam obtulerunt: quæ quidem significatur indefinitè per enuntiatum disjunctivum, nempe quòd voluerint offerre par turturũ aut duos pullos columbarum, v. 24. Quartò narratur adjunctum quoddam adhærens, videl. prophetatio Simeonis, à v. 25. usque ad 36. Huic prophetationi præmittitur descriptio ipsius Simeonis, causa impulsiva, & adjunctus gestus. Simeon describitur primùm à subjecto loco ubi habitabat, videl. Hierosolymis: deinde ab adjunctis inhærentibus, justitia, pietate & dono prophetandi. Cæterùm pietas declaratur à speciali spe, qua exspectabat Christũ: donum verò prophetandi significatur expositione causæ

effici-

efficientis, ubi dicitur, *Et Spiritus sanctus erat super eum.* Præterea describitur Simeon ab adjuncto quodam adhærente proprio (quod erat proprium τὸ ἴδιον) videlicet factâ illi promissione Dei singulari de Christo nascituro dum ipse adhuc in vivis esset, & exhibendo oculis ipsius. Promissio autem illa declaratur ab adjuncto modo agendi, videlicet revelatione arcana per Spiritum sanctum. Atque hactenus descriptio Simeonis. Causa impulsiva qua ad prophetandum fuit impulsus, est Spiritus sanctus, & conspectus pueruli Christi in templũ allati, v. 27. Gestus prophetationi adjunctus, fuit acceptio pueruli in ulnas: ad significandum, hoc fore prophetationis suæ objectum: id est, se de hoc puerulo verba facturũ. Prophetatio ipsa constat formâ cantici: quo Simeon gratias agit Deo pro præstita sibi promissione seu exhibito oculis suis Christo: eâque occasione atque ideò eâdem operâ testimonium perhibet huic puerulo, affirmans ipsum esse Christum: id quod significat ex effectu, quatenus eum nominat salutem Dei sive salutare Dei, τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ: id est, personam à Deo ordinatam in authorem salutis omnibus electis. Deinde effectum illum amplificat tacitâ distributione è subjectis recipientibus, monens salutis illius participes fore non solùm Judæos, verumetiam gentes. Simul quoque participationis modum declarat, videlicet cognitionem ipsius Christi, qua illum pro authore salutis suæ sunt cognituri ex verba Evangelii. Præterea alium quoque effectum Christi indicat, qui proprius erat Judæorum: nempe gloriam ipsorum, quippe ex quibus ortus esset Christus salvator mundi. Cæterùm hæc prophetatio Simeonis amplificatur ab effectu, videlicet admiratione parentum pueruli, v. 33. Postea subjungitur altera equidem Simeonis prophetatio quæ nominatim directa est ad Mariam Domini matrem: ad cujus fidem confirmandam atque muniendam prædicit tum mala & bona Israëlitis à Christo eventura ex decreto Dei, tum etiam mala eventura ipsi Christo ab illis. Decretum Dei significatur verbo κεῖται, *positus est.* Mala Israëlitis (nempe reprobis) à Christo eventura, nulla quidem illius, sed suâ ipsorum culpâ,

significantur nomine πτῶσις, id est, *casus*: quo significatur, fore ut reprobi Judæi per incredulitatem in Christũ tanquam lapidem impingant & ex illa impactione sive offensione cadant, id est, in æternum exitium ruant. Contrà bona Israëlitis electis à Christo eventura, significatur nomine ἀνάστασις, id est, *resurrectio*: quo significatur, ipsos tanquam à diabolo per peccatum à spe vitæ æternæ dejectos ac prostratos, apprehenso Christo tanquam lapide, illoq; sese fulcientes per fidem, resurrecturos & spem vitæ æternæ recuperaturos. Jam mala eventura Christo ab impiis Judæis, significantur verbo *contradicendi*: quo significatur Scribas & Pharisæos imprimis doctrinæ Christi contradicturos, ipsumq; eo nomine ex immani odio unâ cum principibus sacerdotum cæterisque primoribus ad supplicium capitis adducturos. Hoc eventum amplificatur primùm ab adjuncto singulari contradicentium studio, quod notatur vocabulo *signi*: quo significatur fore ut Scribæ & Pharisæi Christum tanquam scopum sibi proponant contra quem tela suæ contradictionis certatim dirigant atq; ejaculentur. Deinde contradictio illa & persecutio Christi amplificatur ex effectis duobus videlicet summo cruciatu Mariæ, qui significatur metaphorâ *gladii per animam trajecti*: & manifestatione hypocritarum in plebe, qui scilicet in gratiam Scribarum & Pharisæorum à Christo sint defecturi, ipsumque ad supplicium postulaturi. Id significatur his verbis, *Ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.* Atque hæc de prophetatione Simeonis, quæ est quartum institutæ narrationis membrum. Quintò narratur aliud adjunctum adhærens, videlicet prophetatio Annæ. Huic prophetationi similiter præmittitur descriptio prophetãtis, & causa impulsiva. Persona prophetans, ipsa scilicet Anna, describitur primùm ab adjuncto dono prophetandi, quum nominatur *prophetissa*. Secundò à causis procreantibus: tum propinquâ, videlicet à parente, quum dicitur *filia Phanuelis*; tum remotâ, videlicet atavo seu authore suæ familiæ atque tribus, quum dicitur fuisse ex *tribu Aser*. Tertiò ab adjunctâ senectute, ubi dicitur *progressa esse in diebus multis*. Quartò ab adjuncto conjugio præteriti temporis,

temporis, ubi dicitur *vixisse cum viro*: quod ipsum conjugium declaratur ab adjuncta duratione, ubi dicitur *vixisse cum viro septem annos*. Quintò ab adjuncta pudicitia virginali ante conjugium, ubi dicitur vixisse cum viro *à virginitate sua*. Sextò ab adjuncta viduitate: quæ ipsa declaratur ex adjuncta duratione: ubi dicitur fuisse *vidua quasi annorum octoginta quatuor*. Septimò à piis factis, videlicet precibus ad Deum: quæ preces illustrantur & amplificantur primùm à subjecto loco, videlicet *templo*: deinde à causa adjuvante sive effecto destinato, videlicet *jejuniu*: tum ab adjuncta duratione: ubi dicitur, *Non abscedebat à templo*: & *Serviens Dei noctem ac diem*. Hactenus descriptio Annæ, instituta ad prophetationem ejus commendandam. Causa impulsiva notatur duplex: una, conspectus pueri Jesu in templum illati, ubi dicitur Anna *superveniſſe eo ipso momento*, quo scilicet de puero Jesu prophetabat Simeon: altera, ipsa prophetatio Simeonis, ubi dicitur ἀνθωμολογεῖτο, *vicissim ac velut è regione confitebatur Domino*: excipiens videlicet prophetationem Simeonis. Prophetatio ipsa significatur verbis generalibus, & continet duo membra: gratiarum actionem ad Deum pro Christo exhibito, quæ significatur verbis illis, *Vicissim confitebatur Domino*: & prophetationem de Christo ad obvios quoque pios, nimirum de iis quæ facturus & passurus erat ad redimendum populum Dei ex potestate diaboli id quod significatur his verbis, *Et loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Hierosolymæ*. Atque hoc quintum est institutæ narrationis membrum. Sextò & postremò narrantur eventa paulo post actum illum in templo consecuta, numero duo: videlicet profectio parentum Jesu in urbem Nazareth ubi habitabant, & benedictio Dei in puero Jesu. Benedictio illa indicatur duplex: incrementum corporis & corroboratio spiritus seu animæ, quatenus implebatur sapientiâ. Utraque hæc benedictio illustratur è causa procreante, videlicet gratia seu favore Dei, quum dicitur, *Gratia Dei erit super eum*, ubi nomine *gratiæ* intelligitur benedictio ex gratia seu favore profecta & in Christum collata.

Specimen & quasi tirocinium muneris Prophetici, nec non specimen muneris regii Christi.

41 *Ibant verò parentes ejus quotannis Hierosolymam in festo Paschæ.*

42 *Quum igitur factus esset annorum duodecim; posteaquam ascendissent ipsi Hierosolymam secundum morem illius festi,*

43 *Et peregissent illos dies: quum reverterentur ipsi, remansit puer Jesus Hierosolymis: & nescivit illud Joseph & mater ejus.*

44 *Existimantes autem eum esse in comitatu, iverunt viam unius diei: & requirebant eum inter cognatos & inter notos.*

45 *Et quum eum non invenissent, reversi sunt Hierosolymam, quærentes eum.*

46 *Et factum est, triduo post invenerunt eum in templo, sedentem in medio Doctorum, & audientem eos & interrogantem eos.*

47 *Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, super intelligentiâ & responsis ejus.*

48 *Et viso eo, attoniti redditi sunt: & dixit mater ejus ad eum; Fili, cur ita fecisti nobis? ecce, pater tuus & ego cum cruciatu quærebamus te.*

49 *Tunc dixit ad eos, Quid est quòd quærebatis me? an nesciebatis, in negotiis Patris mei oportere me esse?*

50 *Sed ipsi non intellexerunt verbum illud quod loquebatur eis.*

51 *Descendit autem cum eis, venitq; Nazaretham: & erat eis subjectus. Et mater ejus diligenter conservabat omnia gesta hæc in corde suo.*

52 JESUS *autem proficiebat sapientiâ, & staturâ, ac gratiâ apud Deum & homines.*

Primùm narratur occasio quam Dominus arripuit ad specimen muneris Prophetici edendum, videlicet præsentia ipsius festo Paschæ: quæ ipsa declaratur ex causa procreante duplici: principali, more scilicet festi divinitus præcepto; & instrumentali, nempe deductione parentum, v. 41. & 42. Deinde indicatur adjuncta ætas, quum scilicet factus esset annorum duodecim, v. 42. Tum adjuncta negligentia parentum, quippe qui à festo revertesi sunt, relicto puero Jesu, vers. 43. Quartò ignoratio ipsorum,

ipsorum, ex ista negligentia orta: uterque enim nescivit, Jesum Hierosolymam remansisse, ibid. Hæc ignoratio declaratur ex effectu, videl. sollicita inquisitione pueri Jesu, v. 44. & 45. Quæ ipsa inquisitio declaratur ex eventis duobus inter se contrariis: nam primò non invenerunt, deinde invenerunt. Utrumque hoc eventum declaratur ex adjuncto tempore: Non invenerunt die primo, v. 44. & 45: at invenerunt die tertio, v. 46. Porrò inventio declaratur è subjecto loco, ubi cum invenerunt, videlicet in templo, ibid. c. Quintò narratur ipse agendi modus, quòd scilicet *sederit in medio Doctorum, illósque & audierit & interrogârit*, ibid. Sextò narrantur actionis istius Propheticæ eventa, numero tria: Admiratio auditorum, v. 47. Perculsio parentum, v. 48. & Expostulatio matris, v. 48. Ista autem expostulatio declaratur ex eventu, videlicet apologia Domini, conjuncta cum reprehensione parentum: qua reprehendit tum indignationem eorum de hoc suo facto, tum ignorantiam unde ista indignatio oriebatur, quòd scilicet ignorarent officium ipsius, ver. 49. Atque hoc ipsum fuit specimen muneris regii ipsius; quòd tanquam authoritatem habens, parentes reprehendit. Cæterùm hæc apologia Domini declaratur similiter ex eventu, quòd scilicet non fuit à parentibus intellecta. Postea totius hujus actionis eventa narrantur tria: quòd Jesus cum parentibus domum rediit, quòd eis fuit subjectus, & quòd Maria hæc gesta in memoria conservavit, v. 51. Postremò additur brevis narratio de statu adolescentiæ Christi, videlicet de benedictione Dei erga ipsum tum in animo tum in corpore, v. ult.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Ut *describeretur*. ἀπογράφεσθαι. Hic infinitivus regitur à participio subintellecto ad nomen δόγμα: nempe κελεῦσαν, vel ἐπιτάξαν: id est, edictum jubens seu imperans. *Describi* autem pro *censeri* dicitur per metonymiã disjuncti: nã cujusq; census describebatur. Porrò hujus descriptionis meminit Joseph. Antiq. Jud. lib. 18. cap. 1. & narrat, Judæos

etsi primùm ægrè ferrent mentionem descriptionis, non tamé reluctatos esse pertinaciter: sed suasu pontificis Joazari censeri se passos esse. *Totum orbu πάσαν τὴν οἰκουμένην.* hoc est, omnes regiones seu provinciæ quæ parebant Romanis. Synedoche integri hyperbolica. Item orbis, pro incolis orbis, per metonymiam subjecti. Porrò ad vocem *οἰκουμένη* subauditur *γῆν*: quod sonat terram habitabilem. nam magna pars terræ habitabilis non est; nempe quantacunque aquis est oppleta.

2 *Cyrenio.* Κυρηνίου. Hunc Latini scriptores Quirinum nominant.

In suam urbẽ. εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. Id est, in eam urbem ubi ipse erat natus, aut saltem in ejus agro.

4 *In urbem Davidis.* εἰς πόλιν Δαβίδ. Id est, in urbem ubi erat natus David.

7 *Primogenitum.* πρωτότοκον. Sic nominabatur qui primus nascebatur: sive alii sequerentur, sive non: propterea quòd plures sequuturos, probabiliter sperabant. Quare ex hoc epitheto non licet colligere, Mariam postea alios liberos peperisse. Epitheton autem hoc exprimitur, ut significetur, redimendum fuisse à Domino secundùm legem: id quod suo tempore factum esse, narratur infrà v.22.23.& 24.

8 *Agentes vigilias.* φυλάσσοντες φυλακὰς. Ad verb. Custodientes custodias: sive, observantes observationes. Hebræi vocant שמורת aschmuróth. Sic Marc. 6.48. τετάρτῃ φυλακῇ τῆς νυκτὸς, quarta vigilia noctis. Ex quo loco colligitur, noctem apud Hebræos distributam fuisse in quatuor vigilias: quod idem manifestiùs exprimitur Marc.13 35.

9 *Supervênit ipsis.* ἐπέστη αὐτοῖς. Ex improviso supervenit astitit eis. Sic Act.4.1 Loquentibus autem ipsis (Apostolis) ad populum, supervenerunt (ἐπέστησαν αὐτοῖς) Sacerdotes &c. *Gloria Domini.* δόξα Κυρίου. Id est, splendor seu fulgor cœlestis atque divinus, effulgens nimirum & radians tum ex facie tum ex veste Angeli: Confer historiã resurrectionis Domini: item historiam transformationis Domini in monte: ubi Moses & Elias dicuntur esse visi seu conspecti ἐν δόξῃ, cum gloria. Et sic usurpatur quoq; nomẽ

δόξα,

δόξα, id est, gloria, 1.Cor.15. v.40. & 41. *Timuerunt timore.* ἐφοβήθησαν φόβον. Ante φόβον subauditur κατὰ. Ellipsis Græca. Sic Matth. 1.10. ἐχάρησαν χαρὰν, gavisi sunt gaudio.

10 *Toti populo.* παντὶ τῷ λαῷ. Nempe toti populo Dei: id quod innuit articulus. Intelligitur autem populus Dei electus. nam reprobi qui erant Hierosolymis, nativitate Domini non gavisi, sed terrefacti fuerunt: teste Matthæo cap. 2. v.3.

11 *In urbe Davidis.* ἐν πόλει Δαβίδ. Scilicet Bethlehem: suprà v. 4.

13 *Cum Angelo.* σὺν τῷ ἀγγέλῳ. Nempe illo cujus modò facta mentio: id quod notat articulus, vim habens ἀναφορικὴν *Multitudo exercitus cælestis.* πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου. Id est, exercitus cælestis longe-numerosissimus: copiæ scil. Angelorum, quibus Deus tanquam imperator militibus, utitur ad judicia sua exsequendũ. *Laudantium.* αἰνούντων. Præcessit nomen numeri singularis generis fœminini, στρατιᾶς. Sed syntaxis refertur ad sensum: quia illud στρατιᾶς οὐρανίου idem valet quod ἀγγέλων. Nisi potiùs dicendum, hoc participium cum præcedente nomine cohærere non per syntaxin convenientiæ, sed rectionis: ut intelligamus dici στρατιὰν αἰνούντων, exercitum laudantium, quomodo dicitur στρατιὰ Ῥωμαίων, exercitus Romanorum.

14 *Gloria.* δόξα. Scil. ἔστω, sit. *In locis altissimis.* ἐν ὑψίστοις. scil. τόποις. Periphrasis summi cæli: quod Paulus 2.Cor.12. cælum tertium & paradisum nominat: & Salomon 1.Reg. 8.27. cælum cælorum, id est, altissimum atque amplissimũ cælum, cæteros cælos omnes suo complexu ambiens atq; continens. *Et in terra pax.* καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Scil. ἔστω, sit. *In hominibus beneplaciti.* ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Pro εὐδοκία, nominativo scilicet casu, omnino censeo legendum εὐδοκίας casu genitivo: ut D. Beza testatur in vetustissimo suo codice, & in commentariis Origenis atque Chrysostomi plurimis locis legi: ut etiam veterem interpretem legisse apparet, ut qui verterit, *Hominibus bonæ voluntatis.* Apparet enim, tria tribus è regione opponi. nam primùm inter se opponuntur δόξα & εἰρήνη: deinde ἐν ὑψίστοις & ἐπὶ γῆς: tum Θεῷ & ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. Priore membro exoptant

Angeli, ut per Domini nativitatem & actiones inde dependentes illustretur gloria Dei: posteriore verò ut per eandem easdemq; promoveatur salus Electorum. Et duo tantùm esse doxologiæ hujus membra, planum est ex unica conjunctione copulativa. Quod si tria essent: requireretur copulativa altera, sic, καὶ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Adhæc si legatur εὐδοκία casu nominativo, atque ita tria membra constituantur: sive nomen illud referatur ad Deum, sive ad homines, tertium membrum à secundo non nisi ratione differet. nam pax illa de qua hic sermo est, ex Dei erga homines (scil. electos) beneplacito atq; benevolentia manat: beneplacitum verò hominum quo in Christo acquiescunt, ex illa ipsa pace oritur. Atqui talis παυπλογία in tam brevi hymno locum non videtur habere. Homines autem beneplaciti aptissimè nominantur Electi à proprio adjuncto: quia in illis solis beneplacitum illud Dei occupatur, quo placuit illi ipsos prædestinare atq; eligere ad vitam æternam, Eph. 1. v. 5. Præterea ipsa veritas doctrinæ Christianæ lectionem hanc postulare videtur. Certum est enim pacem illam cum Deo, itemque εὐδοκίαν illam Dei, non pertinere ad omnes promiscuè homines, sed ad solos Electos. Quare hæc verba, *Pax sit in hominibus beneplaciti*, sic expono, quasi dicant Angeli, Optamus hominibus à Deo ex ipsius beneplacito ad vitã æternam electis, ut pax illa Dei, id est sensus reconciliationis cum Deo per Christum, sit in ipsis, videlicet in cordibus ipsorum, eaq; tanquam præsidio custodiat: quod ipsum fidelibus Philippensibus exoptat Apostolus Philip 4.7.

15. *Tunc.* καὶ. Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum. *Rem hanc.* τὸ ῥῆμα τοῦτο. Metonymia adjuncti Hebraica. Sic sup. cap. 1. v. 37. & 65.

16 *Igitur.* καὶ. Copulativa pro transitiva, per Hebraismũ. *Infantem.* τὸ βρέφος. Græcum expressius, propter articulum διαφορικὸν. videlicet infantem illum de quo in præcedentibus facta mentio: quem recens natum esse Angelus pastoribus Bethleëmiticis nuntiarat.

19 *Ista omnia.* πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα. Ad verb. Ista verba omnia: pro, istas res omnes. ut sup. 1. 65. *Cõferens.* συμβάλλουσα.

Comparans

Comparans inter se & quasi trutinans: nempe cõparans inter se testimonia divina de filio suo per Angelum pronuntiata, videl. promissionẽ de Christo ex ipsa nascituro, sup. 1. 31: & testificationem de eodem ex ipsa jam nato, suprà v. 10. & 11. Hæc duo testimonia inter se & cum narratione pastorum conferens, confirmabatur in fide.

21 *Quum advenisset dies octavus.* ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ. Adverb. Quum impleti essent dies octo. Phrasis Hebræa. Intelligitur autem dies octavus à Domini nativitate, ex collatione præcedentiũ. *Ut circumciderent.* τοῦ περιτεμεῖν. Scil. ἵνα. Subaudiendũ ante hæc verba, *Et congregati essent*, nẽpe parentes & cognati Jesu. hos enim istius rei gratiâ cõgregari solitos fuisse, liquet ex historia circumcisionis Johannis Baptistæ, sup cap 1. v. 58. & 59. Porrò, *Ut circumciderent*, id est, circumcidi per aliquem curarent: metonymia subjecti. Vel, ut aliquis ex ipsis circumcideret: synecdoche integri. Item, *Ut circumciderent*, scil. secundùm legẽ quæ exstat Gen. 17. 12. & Levit. 12. 3. *Puerulum.* τὸ παιδίον. Græcum expressius propter articulum. *Tunc.* τότε. Copulativa pro relativa temporis, ut sup. v. 15. *Quod vocatum fuerat* &c. τὸ κληθὲν &c. Vide suprà 1. 31.

22 *Quum impleti fuissent dies*, &c. ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι &c. Videlicet dies quadraginta: ut colligitur ex Levit. 12. v. 3. & 4 *Purgationis Mariæ.* τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς. Adverb. Purgationis ipsius, scil. Mariæ: ut in Græco percipitur ex ipsa voce quæ est generis fœminini. Sed consulendũ fuit perspicuitati: ne quis forte pronomen EJUS in peritè referret ad puerulum Jesum, cujus proximè facta mentio. Intelligitur autem hîc purgatio ab impuritate seu immunditia Legali, qua mulier immunda censebatur è sanguinis profluvio: ut videre est Levit. 12. *Secundùm legem Mosis.* κατὰ τὸν νόμον Μωσέως. Quæ exstat Levit. 12. *Ut sisterent.* παραστῆσαι. Pro, τοῦ παραστῆσαι: scil. ἵνα.

23 *In lege Domini.* ἐν νόμῳ Κυρίου. Videcet Exod. 13. 2. Verbis tamen parumper diversis. ait enim ibi Dominus Mosi, *Consecra mihi omne primogenitum, quicquid aperit vulvam ullam in filiis Israelis, ex hominibus & ex jumentis: meum* enim *est. Omne masculinum.* πᾶν ἄρσεν. Sive ex

hominibus scilicet, sive ex jumentis: ut percipitur ex loco modo-citato. Ad ἄρσεν igitur subauditur ζῶον. *Adaperiens matricem.* διανοῖγον μήτραν. Scil. primò, quũ nunquam antea aperta fuerit ad pariendum atque in pariendo. Synecdoche generis Hebraica, eademq; periphrasis τοῦ πρωτοτόκου, id est primogeniti. *Sanctum Domino.* ἅγιον τῷ Κυρίῳ. Consecratum Domino, ita ut illi tanquam proprium ipsius reddatur, & ab ipso, prout certi generis fuerit, redimatur. *Vocator.* κληθήσεται. Ad verb. Vocabitur. Enallage modi Hebraica. Continetur enim his verbis Lex.

24 *Ut darent.* τοῦ δοῦναι. Scil ἕνεκα. *Victimam.* θυσίαν. Id est, animalia jugulanda & sacrificanda: ut mox pleniùs declarabitur. Itaque nomen θυσία non est hîc reddendum *Oblatio*: quæ vox respondet Græcæ voci προσφορὰ, & generalis est, inanimatis quoq; muneribus competens, quæ mactari non poterant. *Secundùm id quod dictum est.* κατὰ τὸ εἰρημένον. Id est, mandatum est, seu præceptum est. Synecdoche generis. *In lege Domini.* ἐν νόμῳ Κυρίου. Levit. 12. v. ult. *Par turturum aut duos pullos columbarum.* ζεῦγος τρυγόνων ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν. Unum scilicet in holocaustum, & alterum in peccatum, hoc est, sacrificium pro peccato: ut habetur ibidem. Ubi notandum, hanc fuisse legem latam pauperibus, quibus tantæ non erant facultates ut absque damno rei familiaris possent comparare parvam pecudem, puta agnum vel hœdum: qui aliâs offerendus erat in holocaustum. Vide Levit. 12. v. 6. & 8.

25 *Religiosus.* εὐλαβὴς. Videtur εὐλαβὴς propriè is dici qui caurè ac timidè capit quod porrigitur aut quod prehendere vult, ὁ εὐλαμβάνων. Inde per synecdochen speciei cautum ac timidum in genere significat. Pestea per synecdochen generis pro religioso ponitur, id est, eo qui Deum timet. Sunt igitur hîc duo tropi inter se contrarii: synecdoche speciei & synecdoche generis. Simile exemplum exstat infrà cap. 6. vers. 9. *Licétne sabbathis animam servare, an perdere?* Animam, id est, hominem: & hominem, id est, corpus hominis: duæ synecdochæ contrariæ: una membri, altera integri. *Consolationem Israelis.* παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ. Periphrasis Messiæ seu Christi: qui vocatur

catur Consolatio Israëlis, per metonymiam effecti, eò quòd vero & spirituali Israëli (h. e. credentibus) solidam consalationem afferat. Porrò Israël pro Israëlitis, per metonymiam efficientis, Scripturæ usitatam: & Israëlitæ pro credentibus, per metaphoram dicuntur. Nam quemadmodum Israëlitis terra Canaan promissa erat, & suo tempore attributa: sic credentibus cœlum promissum est, suoq; tempore tribuetur. *Spiritus sanctus erat super eum.* πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν. Id est, donum prophetandi erat in eo: ut percipitur ex sequentibus. Metonymia efficientis, & synecdoche generis.

26 *Divinitus promissum.* κεχρηματισμένον. Videlicet per arcanam atque immediatam ipsius Dei alloquium, non interveniente scilicet ministerio Angeli aut hominis. Confer Matth. 2. 12. ubi de magis qui Christum recens narum adoraverant, dicitur: κ) χρηματισθέντες κατ' ὄναρ, *Et divinitus admoniti in somno.* Item Rom. 11. 4. ubi Apostolus de Elia loquens ait, *Sed quid dicit ei ὁ χρηματισμὸς, divinum responsum? Non visurum mortem.* μὴ ἰδεῖν θάνατον. Id est, non morituram. Periphrasis Hebraica. Et *visurum* pro *sensurum*, synecdoche speciei καταχρηστικὴ. Alibi eodem sensu dicitur, *Mortem gustare*; ut infrà 9 27. *Christum illum Domini.* τὸν χριστὸν Κυρίου Vel, unctum illum Domini: ut sit periphrasis Christi. Unctum autem Domini, id est, à Domino unctum, oleo scilicet exsultationis, hoc est, Spiritu sancto, Heb. 1. 9. Cæterùm articulus respicit ad promissiones Patribus factas.

27 *Impulsore Spiritu.* ἐν τῷ πνεύματι. Ad verb. In Spiritu. scil. sancto. Synecdoche generis. Id est. Per Spiritum seu vi Spiritus. Hebraismus. *Quum introducerent.* ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν. Pro, εἰσαγαγεῖν, id est, intrò ferrent. Catachresis. *Quod ex Lege consuetum erat.* κατὰ τὸ εἰθισμένον τῷ νόμου. Seu, fieri consueverat. Ad verb. Secundùm consuetum Legis.

28 *Tunc.* καὶ. Copulativa pro relativa temporis. *Benedixit Deo.* εὐλόγησε τὸν θεὸν. Ad verb. *Benedixit Deum*: phrasis Hebræa: id est, laudavit Deum. Sic sup. 1. 64.

29 *Nunc dimittu.* νῦν ἀπολύεις. Id est, Nunc est tempus ut dimittas, scil. è vinculis corporis. *Servum tuum.* τὸν δοῦλόν σου.

Id est, me. Synecdoche generis: qualis suprà 1. 48. *Domine.* δέσποτα. Id est, ô Deus. *Secundùm verbum tuum.* κατὰ τὸ ῥῆμά σου. Id est, secundum promissionem tuam: de qua sup. v. 26. Synecdoche generis. *In pace.* ἐν εἰρήνῃ. Pendet à verbo ἀπολύεις, dimittis.

30 *Salutem tuam.* τὸ σωτήριόν σου. Quasi dicas, *Salutare tuum.* Pro, τὴν σωτηρίαν σου. Id est, salutis authorem à te olim promissum, jam verò missum atque exhibitum. Metonymia effecti. Articulus autem respicit ad promissionem.

31 *Patefaciendum Gentibus.* εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν. Id est, ἀποκαλυπτέον τοῖς ἔθνεσι. Nomen participiale hic habet significationem passivam. hoc est, *lumen ad illuminandum Gentes.* At non dicitur Græcè, ἀποκαλύπτειν τινὰ, illuminare aliquē: sed φωτίζειν, ut Johan. 1. 9. Diversum paulò sensum habet illud Rom 8. 19. *Creatura exspectat* τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τῶν Θεοῦ, *patefactionem filiorum Dei*: qua scil. patefient filii Dei, id est, gloria filiorum Dei. *Gloriam.* δόξαν Id est, authorem gloriæ. Metonymia effecti.

34 *Benedixit eis.* εὐλόγησεν αὐτοὺς. Ad verb. *Benedixit eos*: phrasis Hebræa. Id est, bene precatus est eis, fausta atque felicia eis exoptavit. Alius sensus hujus phrasis quàm erat suprà v. 28. *Propositus est.* κεῖται. Ad verb. *Jacet.* Sed τὸ κεῖσθαι speciali significatione valet propositum esse: cujus significationis hæc exempla in suo Thesauro affert Henr. Stephanus. Thucyd. lib. 3. προδείξαντων ὑμῶν, τὴν αὐτὴν ζημίαν τοῖς τε ἀδικοῦσιν ὁμοίων κεῖσθαι, noxiis propositam esse eandē pœnam. Rursus apud eundem, κεῖνται μεγίστων ἀδικημάτων μεγακώτεραι ζημίαι, propositæ sunt pœnæ, vel (ut alii) constitutæ. Itidem apud Sophoclem, ὅπλων ἔκειτ' ἀγὼν πέρι, propositum de armis erat certamen. Neque certè temere jacet Christus, sed propositum est ab ipso Deo toti mundo, idq; per Evangelium. *In casum & resurrectionem multorum.* εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν σπολλῶν. Id est, in casum multorum & in resurrectionem multorum. ὑπόζευγμα. Sed utiq; non eorundem multorum, sed diversorum: nempe in casum reproborum & in resurrectionem electorum. Affinis huic est sententia illa Apostoli 2. Cor 2. v. 15. & 16. *Christi bona fragrantia sumus* (scil. nos Apostoli, dum prædicamus

Evange-

Evangelium) *Deo in iis qui servantur, & in iis qui pereunt. his quidem odor mortis ad mortem; illis verò odor vitæ ad vitam.* Notatur autem præpositione εἰς, propositum atq; consilium Dei, seu finis cujus gratiâ Christũ mundo exhibuit, & adhuc quotidie per Evangeliũ exhibet ac proponit. Potrò similis loquutio exstat 1. Cor. 1. 12. *Hoc autem dico, singulos vestrûm dicere: Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo*, &c. Utiq; non eosdẽ singulos, sed alios atq; alios. Neq; enim singuli Corinthii dicebant ista omnia: sed alii hoc, alii aliud ex istis. Cæterùm nomine *casus* intelligitur hîc ruina in exitium æternũ. In eodem sensu utitur Paulus verbo πτῶσις, & nomine παραπτώματος. Rom. 11. v. 11. *In Israele.* ἐν τῷ Ἰσραὴλ. Id est, in populo Israëlitico. Metonymia efficientis usitata. *In signum.* εἰς σημεῖον. Veluti scopum, contra quem tela suarum contradictionum dirigant inimici ipsius.

35 *Tuam animam trajiciet gladius.* σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία. Nomine ῥομφαίας (ut Grammatici tradunt) significatur propriè telum quoddam nationis Thracicæ, jaculum videlicet oblongum. Græci Bibliorum interpretes illo reddiderunt nomen Hebræum חרב chéreb, quo significatur gladius, Gen. 3. v. ult. Significantur autem hac metaphora acerbissimi dolores qui cor Mariæ cõpunxerunt atq; transfixerunt, potissimùm quum videret Dominum pendentem in cruce. *Ut detegantur* &c. ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν. Hæc verba pendent à participio ἀπολογούμενον, & exponitur iis alterum effectum illius contradictionis: nempe apostasia populi in gratiam Scribarũ & Pharisæorum atque Sacerdotum postulantium Dominum ad crucem, eiq; in cruce pendenti illudentium. *Ex multis cordibus.* ἐκ πολλῶν καρδιῶν. Sive, ex multorum cordibus. *Cogitationes.* διαλογισμοὶ. Nempe cogitationes perversæ, quibus nimirum cogitabant adhærere Christo, si esset ipsis author felicitatis terrenæ.

36 *Processerat.* προβεβηκυῖα. Scil. ἦν. Pro, προβεβηκὼς ἦν. Hebraismus: qualis sup. 1. 8. προβεβηκότες ἦσαν, pro, προβεβήκασιν. *Processerat in multam ætatem.* προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς. Ad verb. *Processerat* seu *progressa erat in diebus multis.* Hebraismus: id est, erat provectæ ætatis, seu erat grandæva.

Vixerat ἐζησεν. Pro, ἡ ἔζησεν. Scil. ἰῶ: id est, ἔζησεν. *A virginitate sua.* ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς. Id est, post virginitatem suam, μετὰ τὴν παρθενίαν αὐτῆς. His verbis significatur, hanc Annam castè pudicéque in virginitate sua vixisse, ita ut marito suo casta virgo nupserit.

37 *Et hæc vidua erat.* ἡ αὐτὴ χήρα. Subaudi ἰῶ. *Quasi annorum* &c. ὡσεὶ &c. Id est, per tot annos vixerat in viduitate. *A templo.* ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. Græcum expressius, propter articulum: quo notatur certum templum, nempe Hierosolymitanum sive Salomonis. *Nocte ac die.* νυκτὸς καὶ ἡμέρας. Subauditur χρόνῳ. Pro, νυκτὸς καὶ ἡμέρας. Quæstio est, non quamdiu, sed quando. Respondetur, Non solùm die: sed etiam nocte: ad notandum assiduitatem.

38 *Quum supervenisset.* ἐπιστᾶσα. Sic sup. v. 9. *Vicissim confitebatur Domino.* ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ. Vel, palàm confitebatur Domino. Est autem *Confiteri Domino*, phrasi Hebraicâ idem quod Dominum laudare seu celebrare. Sic Matt. 11. 25. ἐξομολογοῦμαί σοι, Confiteor tibi, id est, celebro te. Synecdoche generis: nam qui aliquem celebrant, illi confitentur, ac potiùs profitentur, res præclarè ab eo gestas, vel beneficia ab eo accepta. *Redemptionem Hierosolymis.* λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. Omnino videtur legendum, λύτρωσιν Ἰσραὴλ, redemptionem Israëlis: sicut suprà v. 25. Simeon dicitur exspectasse παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ, consolationem Israëlis. Et sic infrà 24. 21. duo illi discipuli, commeantes Emmauntem, dicebant Domino: *Nos autem sperabamus, eum esse illum qui redempturus esset Israelem.* Ac nisi hìc legatur Ἰσραὴλ, oratio erit imperfecta, & id ipsum erit subaudiendum: præsertim quum in Græco omissus sit articulus ante λύτρωσιν. Videtur autem ἐν Ἱερουσαλήμ, illis verbis τῷ Ἰσραὴλ substitutum esse ad restringendum nomen πᾶσιν, *Omnibus*: quòd Anna non posset loqui nisi iis qui erant Hierosolymis, ubi ipsa erat.

39 *Reversi sunt* proficiscentes *in Galilæam.* ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Adverb. *Reversi sunt in Galilæam.* Quod perinde sonat, ac si è Galilæa Hierosolymam profecti essent. at profecti erant Bethlehemo: ibi enim Mariam nato Domino, commorari oportuit, donec secundùm Legem implerentur

plerentur dies purgationis ipsius. Itaq; perspicuitatis causâ supplevi participiũ *Proficiscentes*, πορευόμενοι: ita ut verbum ὑπέστρεψαν hîc ponatur absolutè, nec regat verba sequẽtia εἰς τὴν Γαλιλαίαν: intelligaturq́; illos Hierosolymis quo nuper advenerant, iterũ abiisse. Atq; adeò ne profecti quidem tunc rectà videntur in Galilæam: quippe quum testetur Matthæus, paulò pòst reditum magorũ, translatũ esse Jesum fugâ in Ægyptum: atque inde demũ in Judæam, & mox in Galilæam reductum esse. *In urbem suam.* εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν. Id est, ubi ipsi habitabant, ut sup. 3.

40 *Spiritu.* πνεύματι. Id est, animo. *Implebaturq; sapientiâ.* πληρούμενον σοφίας. Epexegesis. *Dei gratia erat super eum.* χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό. Sic suprà v. 25. πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν.

43 *Illos dies.* τὰς ἡμέρας. Nempe dies pertinentes ad festum. Articulus habet vim ἀναφορικήν. *Quum reverterentur,* &c. ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς. &c. Hîc incipit apodosis periodi. Quæ clarior esset, si diceretur: *Accidit ut* quum reverterentur illi, remanserit puer Jesus &c. γέγονε ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς ὥστε ὑπομεῖναι Ἰησοῦν.

46 *Triduo pòst.* μεθ' ἡμέρας τρεῖς. Ad verb. *Post dies tres.* Id est, ipso tertio die posteaquam redire cœperunt ad Dominum quærendum. Neq; enim illâ phrasi notantur tres dies pleni quibus demũ exactis res gesta sit: sed ipse tertius dies significatur esse is quo res gesta sit. Sic quod dicitur Marc 8. 31. *Oportet Filium hominis occîdi, & post tres dies* (μετὰ τρεῖς ἡμέρας) *resurgere*: id Matth. 16. 21. enunciatur his verbis: *Jesus indicavit discipulis, oportere se occîdi, & tertio die* (τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ) *resurgere. Doctorum.* τῶν διδασκάλων. puta Scribarum & Pharisæorum.

47 *Super intelligentiâ & responsis ejus.* ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ τοῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ. Id est, Super sapientibus responsis, sive super intelligentiâ quæ elucebat ex responsis. ἐν Γραδύο.

48 *Fili.* τέκνον. Græcum nomen generale est, filiam quoque complectens. Est igitur synecdoche generis. *Pater tuus.* ὁ πατήρ σου. Id est, Josephus: qui ipsum curabat ut pater, licet eum non genuisset. Confer infrà 3. 23. *Cum cruciatu.* ὀδυνώμενοι. Ad verb. *Dolentes*: sed significatur isto

verbo dolor vehemens, quem Latini cruciatū nominant.

49 *Quid* est *quòd.* τί ὅτο. Pro, τί ἐστιν ὅτι. quasi dicat, Quid tum postea? Vel, Quid causæ est quòd quærebatis me? q.d. Nullam justā causam poteritis mihi indicare qua me reprehendatis. Sunt verba contemnentis objurgationem & recriminātis: ut patet ex proxime-sequentib. *An nescie-batis* &c. q. d. Certè scire hoc debebatis, ac proinde non debebatis me reprehendere. *In negotiis patris mei.* ἐν τοῖς τ πατρός μου. Scil. πράγμασιν. Id est, In negotiis quæ Pater mihi mandavit ad expediendum: puta ad docendum qui sim & cujus rei gratiā à Patre missus sim in mundum.

50 *Sed.* καὶ. Copulativa pro adversativa. *Non intellexe-runt.* σ' συνῆκαν. Unde istud? Nempe quia putabant fore nō Prophetam sive doctorem, sed Regem mandanū. *Verbum.* τὸ ῥῆμα. Hic verbum pro dicto vel sententia ponitur per Hebraismum. Sic vocantur decem verba Legis.

51 *Diligenter conservabat.* διέτηρει. Adverbio *Diligenter* vo-lui exprimere emphasin præpositionis διὰ, unde verbum διατηρεῖν, compositum est. Videtur enim plus esse διατηρεῖν, quàm σωτηρεῖν: quo verbo usus est suprà v. 19. *Omnia gesta hæc.* πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα. Ad verb. *Omnia verba hæc,* Meto-nymia adjuncti Hebraica: qualis suprà v. 19.

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Ad 1. Ex parte prima tota. Notanda est pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum in quem credimus, esse Chri-stum, id est, dominum ac servatorem nostrum: quia scil. natus est in oppido Judææ Bethlehem: sicut de Christo per prophetam Michæam fuerat prædictum, Mich. 5. v. 2.

Ad 1. Ex v. 1. Consideranda hîc est mirabilis providentia Dei: qui ut prophetiam de Christo in Bethlehem nasci-turo impleri curaret: in mentem indidit Cæsari Augusto ut edictum ederet de describendis subditis suis: cujus edi-cti vi ac jure Joseph cum matre Domini sibi desponsa ac partui vicina Bethlehemum se contulit: atque ita fa-ctum, ut illa ibi pareret.

Εὐδία. Ex v. 1. & 2. Vulgo ex hac circumstantia temporis quo natus

natus est Jesus, ducunt argumentum ad probandum, ipsum esse Christum: quia scilicet in eo impleta sit prophetia patriarchæ Jacobi, quæ extat Gen. 49. *Non auferetur sceptrum à Juda, neque legislator è medio pedum ejus, donec veniat Schilo*, id est, Christus. Impletam autem esse judicant, quatenus tum quum Jesus nasceretur, sceptrum jam à Juda fuerit ablatum: quod ipsum probant ex eo quod hic narratur, Judæos tum subditos fuisse Cæsari Romano. Sed hoc argumentum nullum videtur. Nam si sceptrum non fuit à Juda auferendum, donec veniret Christus: fuit ergo tum demum auferendum, posteaquam is venisset. Quare non potest dici, jam tum quum Christus nasceretur, illud fuisse ablatum. Attamen, inquies, Judæi jam tum parebant Cæsari Romano. Verùm (inquã ego) nõ idcirco sceptrum à Juda prorsus fuerat ablatum. Relicta enim erat Judæis αὐτονομία, ut constat ex verbis Pilati de Jesu, *Accipite eum vos, & judicate eum secundum legem vestram.* Joh. 18 31. Et potestas judiciaria erat penes concilium sive synedrion, quod vocabatur Sanhedrin: quod constabat ex judicibus de tribu Juda. Denique verbis patriarchæ Jacobi significatur, brevi post adventum Christi fore ut sceptrum à Juda penitus auferatur & legislator à pedibus ejus. Quòd ipsum quum acciderit Hierosolymâ per Romanos eversâ, firmum inde argumentũ ducitur, quòd Christus jam sit exhibitus.

Ex v. 3. 4. & 5. Proponitur hîc nobis in Judæis, ac præcipuè in Josepho marito matris Domini, exemplum obedientiæ erga magistratum in pendendo tribũto. Huc pertinet præceptum Pauli Rom. 13. v. 7. *Reddite omnibus quod debetis: cui tributum, tributum, &c.* Item illud Christi, *Date Cæsari quæ Cæsaris sunt.* *mus.*

Ex v. 5. Consideranda hîc providentia Dei in custodienda virginitate matris Domini: quòd scil. in mentem indidit Josepho sponso illius, viro pio ac Dei timenti, teste Matthæo cap. 1. v. 19. ut ipsam secum assumeret, Nazarethâ (ubi Maria habitabat) iter faciens Bethlehemum: ut ita custodem pudicitiæ suæ perpetuò secum haberet: nec diabolus occasionem haberet excitandi suspicionem de *dis.*

pudicitia matris Domini violata, ad labefactandum fidem nostram.

Eadem. Ex v. 7. Ex eo quòd Jesus nominatur filius Mariæ primogenitus, non rectè olim collegit Helvidius, Mariam postea plures peperisse, videlicet ex Josepho cóceptos. Nàm primogenitum in Scriptura nominatur, quod primùm aperit uterum matris, seu quod primum nascitur ex matre: sive postea plura nascantur, sive non, Exod. 13. v. 2. An autem mater Domini postea plures pepererit, nec ne: Scriptura nunsquam docet: ac proinde id scire nostra nihil interest. Satis est, nos scire: quòd Jesum Dominum ac servatorem nostrum peperit virgo.

Dis. Ex eodem versu. Quòd Christus natus est in paupere ac humili statu: argumento est eum non venisse ad erigendum regnum humanum: ac proinde non debemus

mus. apud ipsum quærere opes mundanas: necnon patienter ferre paupertatem humilemque statum: scientes interim, nos suo tempore cum Christo regnaturos in cœlo: ut qui ideo pauper factus sit, ut nos ditaret: nempe opibus illis cœlestibus impetratis atque acquisitis sanguine suo.

Dis. Ex v. 8. & seqq. Quòd Deus Angelum misit ad pastores, ad annuntiandum illis nativitatem Domini: hinc monemur, potentiam humanam non esse certum argumentum favoris Dei, nec humilitatem seu paupertatem certum esse argumentum odii Dei. Item monemur, Deum fere patefacere se humilibus, neglectis potentibus. Sicut dicitur in cantico Mariæ, *Detraxit potentes è throno, & exaltavit humiles: famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes*: suprà cap. 1. v. 52. & 53. Et Christus ad apostolatum elegit viros plebeios, opificio piscatores. Et Paulus ad fideles Corinthios ait, *Videte vocationem vestram, fratres: vos non esse multos sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles: verùm quæ stulta sunt in mundo, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: & quæ sunt infirma in mundo, elegit Deus, ut pudefaciat robusta: & quæ ignobilia sunt in mundo, elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat: ut ne glorietur ulla caro coram ipso.* 1. Cor. 1. v. 26. 28. & 29.

Stud. Ex v. 8. In pastoribus illis proponitur nobis exemplum

studii

studii in obeundis laboribus nostræ vocationis.

Ex v. 9. In iisdem proponitur nobis exemplum infirmitatis humanæ quæ non potest sustinere fulgorem gloriæ cœlestis. *διδ.*

Ex v. 10. Quærat aliquis, quomodo cum his verbis Angeli, *Gaudium erit toti populo*, conveniat quod narrat Matthæus cap. 2. quum magi de nato rege Judæorum inquirerentur, totam Hierosolymam turbatã esse. Respondeo. Etsi initio turbati sunt omnes, metu turbarum exoriturarum in mutando regno Herodis: tamen postea suo tempore populus Dei electus, de quo Angelus loquitur, Christo rectè cognito, gaudio vero ac spirituali gavisus fuit. *ἀπλόσ.*

Ex v. 13. & 14. Exemplo Angelorum istorum, debemus laudare Deum, quòd misit nobis Filium suum unigenitum ad nos servandum: celebrando ipsius sapientiam, misericordiam, justitiam & veritatem: quæ virtutes omnes in negotio salutis nostræ elucent. *παιδ.*

Ex v. 14. Gloria Dei potissimùm conspicitur in salute Electorum. Hinc enim primùm cognoscitur summa ipsius potestas, quòd ab æterno sibi proposuit servare illos, cæteros verò perdere: item quòd condidit ipsos ad decus seu ut essent vasa gloriæ, cæteros verò ad dedecus seu ut essent vasa iræ: item quòd post lapsum elegit ipsos ad salutem, cæteros verò reprobavit: item quòd ipsos vocavit efficaciter, id est, per Evangelii prædicationem fide donavit, quodque per illam fidem eos justificavit: cæteros verò aut prorsus non vocavit, aut saltem non efficaciter, ac proinde nec justificavit: denique quòd ipsos solos glorificaturus est, cæteros verò damnaturus. Deinde cognoscitur ex salute Electorum, summa Dei sapientia, simulq; perfecta tum misericordia, tum justitia: quòd scil. Deus viam invenit, qua perfectam misericordiam erga Electos exerceret salvâ suâ justitiâ: nempe ordinando illis mediatorem Christum, qui pro ipsorum peccatis pœnam sufficientem lueret, atque ita justitiæ ipsius satisfaceret. Justitiam igitur suam in puniendis peccatis Electorum perfectè exercuit in Christo: misericordiam verò suam in parcendo Electis, eisdemque propter satisfactionem Christi *διδ.*

ſervandis, perfectè exercet in ipſis.

δδ. Ex eodem verſu. Pax illa Dei: id eſt, tum reconciliatio Dei cum homine, tum reconciliationis illius ſenſus & inde oriens animi tranquillitas, propriè pertinet ad homines beneplaciti, id eſt, ad electos. Ergo ut poſſimus frui beatiſſimâ illâ pace, demus operam ut ſciamus nos eſſe in numero Electorum. Id autem ſcire poſſumus ex eo, ſi demus operam pietati, obediendo ſanctis Dei mãdatis. Nam quicunque in ſe hoc ſtudium pietatis ſentiunt, illos in numero Electorum eſſe certum eſt: quum illud ſtudium proficiſcatur ex fide, fides autem ſit proprium donum Electorum.

ε Ex v. 15. & 16. In paſtoribus proponitur nobis exemplum obedientiæ erga mandata Dei, & quidem conjunctæ cum ſingulari alacritate. Iverunt enim quò juſſi erãt, feſtinantes.

ζ Exv. 17. Doctrina ſalutis æternæ per eos quibus innotuit, quantum cujuſque vocatio fert, divulganda eſt: ut publicè innoteſcat: ut nimirum fidem & ſpem inde concipiant Electi, reprobis verò omnis excuſatio adimatur.

η Ex v. 18. & 19. Debemus quidem mirari, quum audimus narrari miranda Dei opera ſalutis noſtræ causâ ſuſcepta: ſed in illa admiratione non oportet ſubſiſtere, ſed inſuper eventa cum prædictionibus divinis conferre, exemplo Mariæ: ut ita in fide confirmemur.

θ Ex v. 20. Exemplo paſtorum, debemus Deum laudare pro profeſſione myſterii ſalutis noſtræ.

Ex parte ſecunda, quæ continetur v. 21. Oritur hic

ἀπ. λύσ. quæſtio, Cur oportuerit Chriſtum circumcidi: quum circumciſio fuerit inſtituta ad obſignandum fedus Dei, id eſt, promiſſionem divinam remiſſionis peccatorum & renovationis naturæ: Chriſtus autem neutrius illius beneficii divini fuerit capax: quippe qui non fuit natus in peccato & corruptione naturæ, ſed ſanctus, per ſingularem operationem Spiritus ſancti. Reſpondeo: Etſi duæ illæ cauſæ non habuerint locum in Chriſto: tamen fuerunt aliæ cauſæ cur circumcidi eum oportuerit: nempe ut parentes ipſius obedirent mandato Dei, quod primùm

Abrahamo

Abrahamo datum est Gen.17.v.10. *Hoc est fœdus meum inter me & vos & semen tuum post te, ut circumcidatur vobis omne masculinum.* Postea verò repetitum est & datum populo Israëlitico per Mosen Levitic.12.v.2. & 3. *Mulier quum profert semen, si pepererit masculum, die octavo circumciditor caro præputii ejus.* Deinde oportuit Christum circumcidi ut ita obligaretur ad servandum legem Dei. Legi autem observandæ obligari eum oportuit, ut ex Legis observatione perfectâ perfectam sibi justitiam posset acquirere. Perfectam autem justitiam acquirere eum sibi oportuit: ut justus pro nobis injustis posset pati pœnam Legis à nobis violatæ, atque ita nos à maledictione Legis liberare. Adhæc circumcidi voluit, ut testatum faceret, se velle habere communionem cum circumcisis in ipsum credentibus, nempe communionem regni Dei seu vitæ æternæ & gloriæ cœlestis: quippe quum & ipse sibi promeritus est sanctè secundùm legem Dei vivendo: & illis quoque, sanctam pro illis victimam, suum videlicet corpus & animam, Deo patri offerendo. Atque hæc etiam causa fuit, cur Dominus voluerit baptizari, ut scilicet testatum faceret, se velle communionem habere cum baptizatis in ipsum credentibus.

Ex eodem versu. Pius mos est, ut infantibus Christianorum imponatur nomen in baptismo seu quum baptizantur. Nititur enim hic mos exemplo piorum in V. Testamento: qui nomina infantibus suis imponebant in circumcisione: cui Baptismus successit. Quumque per baptismum Deo consecrati simus: eiq; tanquam imperatori milites nomen dederimus, promittentes nos ipsi in omnibus obedituros, & contra hostem ipsius diabolum fortiter militaturos: ipso scilicet nomine officii nostri perpetuò admonemur. *διδ.* *παρ.*

Ex eodem versu. In parentibus Domini Jesu proponitur nobis exemplum obedientiæ: quippe qui nomen Jesu illi imposuerunt, sicut jussi erant à Deo per Angelum, Matth.1.21. *παρ.*

Ex eod.versu. Quòd Jesus Dominus noster hoc nomen ex divino mandato accepit, argumento est ipsum à Deo *διδ.*

ordinatum esse ut id nobis præstet, quod nomine ipso significatur: nempe ut nos servet à peccatis nostris, Matth. 1.21. Servat autem nos partim merito, partim efficaciâ. Merito: quatenus nobis sacrificio mortis suæ meritus est remissionem peccatorum, regenerationem Spiritus sancti & vitam æternam. Efficaciâ: quatenus per Spiritum sanctum in prædicatione Evangelii in nobis efficit Fidem justificantem, & semel effectam in æternum conservat, ac subinde auget; idque tum per Verbi prædicationem tum per usum Sacramentorum.

ἀπ. λύσ. Ex tertia parte. Oritur hîc quæstio, cur oportuerit Mariam matrem Domini observare legem de purgatione puerperarum: quum tamen ratio legis non habuerit in ea locum. Ratio enim legis illius fuit, ut tum ipsa puerpera tum cæteri omnes qui ritus illius spectatores erant, admonerentur: puerperam ex partu immûdam coram Deo esse redditam, eò quòd peperisset hominem peccato pollutum. At Mariæ filius, Dominus noster Jesus Christus, peccato pollutus non erat. Erat enim conceptus non vulgari & communi more, sed ex Spiritu sancto, id est, per singularem operationẽ Spiritus sancti ex virgine. Respondeo: Etsi ratio illa in Maria non habuit locum: tamen debuit legem illam observare: quia lex lata fuerat omnibus puerperis populi Israëlitici, absque ulla exceptione. Quum autem Deus legem hanc ferens, probè sciverit, eam à matre quoque Domini observandam fore, nisi diserte excipiatur: apparet hinc, ideò ab illa quoque observari voluisse, ut admoneremur, Christum in sua natura purum atque impollutum, sordes nostrorum peccatorum in sese recepisse, ut eas suo sanguine ablueret.

παιδ. Ex v. 22. 23. & 24. Exemplo parentum Jesu monemur, in cultu Dei simpliciter ex Dei præscripto agendum esse. hoc enim nomine commendantur parentes Jesu, quòd egerint *secundum legem Mosis*: item, *prout scriptum est in lege Domini*: item, *Secundùm id quod dictum est in lege Domini*.

ἴδ. Ex v. 23. Quum lex illa de masculis primogenitis, qui primi in partu aperiebant matricem, accõmodetur Christo, tanquam in illo quoque observata: planum fit hinc, Mariam

Mariam peperisse modo naturali: ac proinde falsum esse, quòd pepererit utero clauso, id est modo miraculoso: imò impossibili, propter implicationem contradictionis, penetrationem scilicet dimensionum. Item, ineptè hinc argumentum duci ad probandum, non esse impossibile, quòd Dominus corpore suo penetrarit lapidem sepulchri, & januas clausas: quia nimirum transierit per uterum matris clausum. *Inepta*

Ex v. 24. Ex munere quod parentes Jesu pro illo obtulerunt, apparet fuisse eos pauperes, nam si divites fuissent: non par turturum aut duos pullos columbarum, sed agnum offerre eo oportuisset. Hęc Domini paupertas pauperibus piis servit ad consolationem. Neque enim eo minùs gratus Deo patri fuit Christus, quòd pauper natus esset, & per omnem quoque vitam in paupertate vixisset: quippe qui non habuit ubi caput reclinaret, & ex muneribus piarum mulierum sustentatus fuit. Deinde apparet ex hoc, regnum Christi non esse de hoc mundo sive terreno: sed cæleste & spirituale. Ad hæc paupertas illa Christi externa & corporalis monet nos de ejuldem paupertate interna & spirituali, quam nostra causâ suscepit & expertus est; dum in cruce pendens, ad tempus desertus est à Deo propter nostra peccata. Quâ de re loquitur Paulus 2. Cor. 8. v. 9. ubi ait, *Christum propter nos pauperem factum esse, quum esset dives: ut nos illius paupertate diteſceremus.* Ubi vocabulo *paupertatis* per ἀσθένειαν significatur paupertas illa spiritualis, quum sibi omni ope destitutus & à Deo desertus visus est. Etenim ex verbo Dei constat, Christum divitias illas cælestes, videlicet remissionem peccatorum, regenerationem per Spiritum sanctum & vitam æternam nullâ re aliâ quàm morte sua promeritum nobis esse: unde sequitur, non esse illas divitias nobis promeritum externâ seu corporali suâ paupertate. *Ex.* *Pauperes.* *Nota.* *Nota.* *Nota.*

Ex v. 25. Exemplo Simeonis monemur, pios in V. Testamento fide exspectasse Christum, tanquam authorem veræ ac solidæ consolationis. Ea autem demum vera & solida consolatio est, qua cor certificatur de paterno favore Dei, remittentis peccata propter satisfactionem Christi, *Nota.*

& regenerantis nos per S. sanctum in spem vitæ æternæ.

διδ. Ex v. 26. & seq. Jesum esse Christum, probatur testimonio Simeonis, quod per os illius pronuntiavit Spiritus sanctus. Frustrà igitur Judæi alium Christum exspectant.

ἐλ.

διδ. Ex v. 29. & 30. Mors piorum, est veluti dimissio animæ ipsorum è vinculis tum corporis tum peccati, & transmissio in statum feliciorem. Cujus rei consideratione pii terrores mortis vincunt: quæ aliâs omnium terribilium terribilissimum videtur, ut Aristoteles scripsit: ὁ θάνατος πάντων τῶν φοβερῶν φοβερότατον. Itaque qui terrores mortis vincere, & in pace (hoc est, animo tranquillo & firma spe vitæ æternæ prædito) mori cupit: is exemplo Simeonis intueatur oportet Christum, tanquam salvatorem suum. Etsi enim nobis intueri illum jam non licet oculis corporis, quod contigit Simeoni: tamen ad spem salutis nobis sufficit, intueri eum oculis fidei: quomodo ipse Simeon eum intuitus est, & ante illum omnes sancti in veteri Testamento. unde de Abrahamo patre credentium expressè dicitur, quòd viderit diem Domini, & gavisus sit, Johan. 8. Interim solatur nos certa spes, quòd ipsi quoq; suo tempore oculis nostris visuri eũ sumus cùm ineffabili gaudio. Qua spe sanctus ille Job sese sustentabat, Job. 19. v. 26. & 27. Et Johannes illam facit omnibus credentibus, 1. Joh. 3. v. 2. Imò Christus ipse Joh. 17. v. 24.

παρ.

παιδ.

διδ. Ex v. 31. 32. Christus in servatorem à Deo ordinatus est non tantùm pro gente Judaica, sed pro quibusvis gentibus: nempe pro iis quibus ille tanquam lumen patefit per vocationem efficacem, hoc est, qui fide justificante donantur per Evangelii prædicationem, virtute Spiritus sancti.

διδ. Ex v. 32. Etsi Christus communis est servator omnium credentium, sive ex Judęis sive ex Gentibus: tamen peculiaris gloria est populi Israëlitici: quippe cui & peculiariter jam olim à Deo fuit promissus, atque etiam in plenitudine temporis exhibitus. Quò detestabilior est ingratitudo Judæorum incredulorum nostræ ætatis: qui Christum repudiant ac blasphemant, temere interim alium

ἐπ.

exspectantes

exspectantes. Interim nostri officii est, ipsam gentem Judaicam quam Deus tanto honore dignatus fuit, non odisse: sed potiùs studere ut ipsos Christo lucrifaciamus. παθ.

Ex v. 33. Electi, quum revelatur eis mysterium Evangelii de persona & officio Christi, rapiuntur in admirationem. Nec mirum. Superat enim mysterium illud omnem intellectum. Confer 1. Cor. 2. v. 7. & deinceps. Et 1. Pet. 1. v. 12. διδ.

Ex v. 34 Non debemus de veritate religionis Christianæ dubitare, propterea quòd maxima pars Judæorum Christum rejecit & etiamnum hodie rejicit. Nam ita fore prædixit Spiritus sanctus: & quidem ita fore ex decreto Dei: in quo tanquam justo & sapiente omnib. piis est acquiescendum. Idem sentiendum de incredulitate aliorũ. Interim officii nostri est, gratias agere Deo, quòd per Spiritum S. in nobis effecit, ut ope Christi tanquam lapidis à lapsu nostro resurgeremus: operamq; dare ut & alii eodem modo resurgant. Confer 2. Cor. 2. v. 16. ubi ait Apostolus, prænones Evangelii *alius esse odorem mortis ad mortem: alius vero odorem vitæ ad vitam.* πατ. παθ.

Ex v. 35. Exemplo Mariæ, quum blasphemiatur Christus aut veritas fidei Christianæ, acerbissimè id ferre debemus. παθ.

Ex eodem versu. Quum videmus contradici veritati fidei Christianæ: consolari nos debemus à sapiente consilio Dei: qui hoc modo detegere vult hypocrisin eorum qui eandem fidem ad tempus unâ nobiscum profitentur, sed non sincerè. Confer 1. Cor. 11. v. 19. ubi ait Paulus: *Oportet hæreses inter vos esse: ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* παρ.

Ex v. 36. & 38. Etsi munus docendi in Ecclesia ordinariè à Deo commissus est viris: tamen ut Deus suam agendi libertatem ostenderet, interdum mulieres quoque spiritu Prophetico donavit. qualis fuit ista Anna: & olim Mirjam soror Mosis, Exod. 15. v. 20. Item Hanna uxor Elkanæ, 1. Sam. 2. item Hulda, 2. Reg. 22. & pòst filiæ quatuor Philippi Evangelistæ, Act. 21. v. 9. διδ.

Ex v. 36. & 37. In Anna proponitur exemplum casti-

tatis in triplici vitæ ſtatu, videlicet virginitate, conjugio & viduitate.

mist. Ex v. 37. In eâdem Anna proponitur exemplum ſingularis pietatis.

dist. Ex v. 40. Notanda hîc duo argumenta pro veritate naturæ humanæ Chriſti. Unum eſt, quòd crevit: alterum, quòd corroboratus fuit ſpiritu & impletus ſapientiâ.

mist. Ex quarta parte. Ex v. 41. & 42. In parentibus Domini proponitur exemplum pietatis: in eo quòd non ſolùm ipſi iverunt ad feſtum paſchæ, ſed etiam puerum Jeſum aſſumpſerunt.

in. Ex v. 43. In iiſdem proponitur exemplum negligentiæ & incuriæ circa vitam filii.

mist. Ex v. 44. 45. & 46. Rurſus in iiſdem proponitur exemplum paternæ ac maternæ ſollicitudinis erga filium amiſſum.

dist. Ex v. 46. & 47. In facto Chriſti pueri, differentis cum Doctoribus Hieroſolymitanis, conſiderandum ſapiens Dei conſilium, quod fuit, præparare electos in illo populo ad hunc propheram ſuo tempore audiendum & amplectendum, reprobis verò illum repudiaturis adimere excuſationem.

mist. Ex v. 48. In Maria proponitur exemplum pietatis in filio, quem peccaſſe putabat, reprehendendo.

dist. Ex v 49. Exemplo Domini docemur, officia quæ debemus hominibus, poſtponenda eſſe gloriæ Dei ſecundùm vocationem noſtram. Confer ſimile exemplum Matth. 12. v. 46. & ſeq.

cudit. Ex eod. verſu. Quòd Dominus duriùs reprehendit parentes, non eſt trahendum in exemplum: quia fuit non ſolùm filius, ſed dominus ipſorum: quatenus Deus. Simile reprehenſionis exemplum vide Johan. 2. v. 4.

mist. Ex v. 51. In Domino proponitur exemplum pietatis erga parentes.

mist. Ex eodem verſu. In Maria proponitur exemplum pietatis in obſervandis ac meditandis operibus Dei. Confer ſuprà v. 19.

dist. Ex v. ult. Notanda argumenta pro veritate naturæ humanæ

humanæ Chriſti, contra dogma de ubiquitate corporis Chriſti. quod ſi ubique fuiſſet, proficere ſtaturâ non potuiſſet.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hactenus de iis quæ pertinent ad Chriſti nativitatem & pueritiam atque adoleſcentiam: deinceps ſequuntur ea quæ pertinent ad ætatem ejus virilem, videlicet quomodo adminiſtrarit munus Propheticum & Sacerdotale, & ex parte quoque regium. Initio autem præmittuntur ea quibus ad munus Propheticum adminiſtrandum fuit præparatus: quæ ſunt numero tria: Miniſterium Johannis Baptiſtæ quo præparati ſunt auditores; Baptiſmus Chriſti, in quo voce Dei præſentatus fuit & donis Spiritus ſancti repletus; & tentatio ipſius à diabolo. In hoc capite narratur primò miniſterium Johannis Baptiſtæ, uſque ad v. 21. Deinde baptizatio Chriſti, v. 21. & 22. Poſtremò genealogia ſeu recenſio majorum Chriſti, inde uſque ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Miniſterium Johannis Baptiſtæ.

ANno autem decimoquinto imperii Tiberii Cæſaris, *Pontio Pilato procurante Judæam, tetrarcha Galileæ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarchâ Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lyſaniâ Abilenes tetrarcha,*

2 *Sub Pontificibus maximis Anna & Caiapha, factum eſt verbum Dei ad Johannem Zachariæ filium, in deſerto.*

3 *Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans Baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum:*

4 *Ut eſt ſcriptum in libro ſermonum Eſaiæ Prophetæ, dicentis, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, complanate ſemitas ejus.*

5 *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur: & quæ curva ſunt, fient* via *recta, & aſperæ viæ* fient *planæ:*

6 *Videbitq; omnis caro ſalutem Dei.*

7 *Dicebat igitur turbæ exeunti ut baptizaretur ab ipso; Progenies viperarum, quis præmonstravit vobis quâ effugiatis futuram illam iram?*

8 *Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ: & ne cœperitis dicere apud vosipsos, Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, posse Deum* etiam *ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.*

9 *Jam verò etiam securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.*

10 *Tunc interrogavit eum turba, dicens, Quid igitur faciemus?*

11 *Respondens autem dixit eis; Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.*

12 *Venerunt autem & publicani ut baptizarentur: & dixerunt ei, Magister, quid faciemus?*

13 *Ipse verò dixit eis, Nihil amplius quàm quod constitutum est vobis, exigite.*

14 *Interrogaverunt autem eum etiam milites, dicentes, Et nos quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque per calumniam opprimite: & contenti estote stipendiis vestris.*

15 *Exspectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, an forte ipse esset Christus;*

16 *Respondit Johannes, dicens omnibus, Ego quidem baptizo vos aquâ: sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus qui solvam corrigiam solearum: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.*

17 *Cujus ventilabrum in manu ipsius est, & perpurgabit aream suam: & coget triticum in horreum suum, paleam autem exuret igni inextinguibili.*

18 *Multa igitur etiam alia exhortans evangelizabat populo.*

19 *Herodes autem tetrarcha quum argueretur ab eo de Herodiade uxore Philippi fratris ejus, deq; omnibus sceleribus quæ ipse fecerat,*

20 *Adjecit & hoc supra omnia, quòd inclusit Johannem in carcere.*

Primùm describitur tempus quo Johannes Baptista ad

ad prædicandum surrexit: 2. indicatur causa impulsiva quæ ipsum ad prædicandum movit: 3. locus ubi prædicavit: 4 subjectum occupans sive objectum in quo prædicando elaboravit: 5. adjunctus ritus: 6. adjuncta prophetia Esaiæ: 7. Objectum repetitur ac specialiter declaratur: 8. eventus, nempe præmium prædicationis ab Herode tributum. Tempus describitur v. 1. & 2. ab illustribus viris quorũ imperio Judæi tunc subjecti erant. Causa impulsiva fuit mandatum Dei: quod significatur his verbis, *Factum est verbum Dei ad Johannem* &c. Hoc mandatum illustratur à subjecto loco ubi fuit pronuntiatum, videlicet in deserto illo Judęę ubi unâ cum parentibus degebat Johannes: v. 2. Locus ubi prædicavit, fuit omnis regio circumjacens Jordani, v. 3. Objectum prædicationis fuit Resipiscentia & Remissio peccatorum. Hortatus fuit auditores ad resipiscentiam & fidem in Christum: & resipiscentibus atq; credentibus promisit remissionem peccatorum: ibid. Adjunctus ritus fuit baptismus: quo doctrinã suam obsignavit, testificando scilicet, sanguine Christi ablutum iri sordes peccatorum omnibus resipiscentib. & in Christum credentibus: ibid. Adjuncta prophetia Esaiæ recitatur v. 4. 5. & 6. qua prædicitur, Johannem prædicaturum in deserto, exhortaturum ad resipiscentiam, & Christum exhibitum demonstraturum.

Objecti declaratio sive narratio specialis continetur v. 7. & deinceps usque ad 19. ubi primùm narratur, quibus verbis auditores hortatus sit ad resipiscentiam, v. 7. 8. & 9: deinde quibus verbis eos informavit de officiis, à v. 10. usque ad 15: tum quibus verbis testimonium dederit Christo, v. 15. 16. & 17. Cui toti narrationi annectitur κατάκρισις v. 18. Ad resipiscentiam hortatus est reprehendendo eos acerrimè propter insignem malitiam, ubi ait, *Progenies viperarum*: deinde denuntiando iram Dei nisi resipuerint, ubi ait, *Quis præmonstravit vobis ut fugeretis à futura ira:* tum exhortando ad resipiscentiæ effecta, videlicet bona opera, ubi ait, *Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ.* adhæc refutando inanem ipsorum fiduciam qua acquiescebant in origine suæ gentis ex Abrahamo, ubi ait,

Et ne cæperitis dicere, Patrem habemus Abrahamum &c. Poſtremò iterum denuntiando iram Dei non reſipiſcentibus, ubi ait, *Jam verò etiam ſecuris* &c. De officiis informavit eos diſtinctè: primùm turbam ſeu plebem, v. 10. & 11. Deinde publicanos, v. 12. & 13. tum milites v. 14. In quibus membris ſingulis narratur cauſa impulſiva iſtius informationis, videlicet petitio illorum quos informavit. Narratio teſtimonii quod perhibuit Chriſto illuſtratur indicatione cauſæ impulſivæ, videlicet falſæ opinionis populi de Johanne, quaſi ipſe eſſet Chriſtus, v. 15. deinde antitheſi diverſorum & collatione imparium. Suum enim officium officio Chriſti tanquam diverſum opponit; quum ait, Se baptizare aquâ: Chriſtum verò baptizaturum Spiritu ſancto & igni. Item ſuam perſonam cum perſona Chriſti comparat tanquam multo inferiorem: ubi ait, *Sed venit qui validior me eſt, cujus non ſum dignus* &c. Tum expoſitione ſpeciali officii Chriſti: quod notat duplex; primò Regium, ubi ait, *Baptizabit vos Spiritu ſancto & igni*: deinde Propheticum, quod ſignificat ſimilitudine ventilantis triticum: ubi efficaciam regiam ſimul connotat: quam ſignificat duplicem, ſalutem ſcilicet Electorum & exitium reproborum: quorum illos nomine tritici, iſtos verò nomine paleæ ſignificat. Eventus, nempe præmium Johanni pro fideli ſua prædicatione tributum ab Herode, fuit carcer: ubi per ſynecdochen membri ſimul intelligendum ſupplicium capitis quod in carcere juſſu Herodis perpeſſus eſt: ut Matthæus narrat. Iſtius autem ſceleris Herodis indicatur cauſa impulſiva ſpecialis, videlicet objurgatio ipſius à Johanne propter adulterium cum Herodiade.

PARS SECUNDA.

Baptizatio Chriſti.

21 *Factum eſt autem quum baptizaretur omnis populus, & Jeſus baptizatus eſſet, & precaretur, ut apertum ſit cælum:*

22 *Ac deſcendit Spiritus ſanctus corporea ſpecie tanquam columba, ſupra eum; & vox de cælo exiterit, dicens, Tu es Filius meus dilectus, in te acquieſco.*

Baptizatio

Baptizatio Chriſti illuſtratur ab adjunctis: ac primùm ab adjuncta baptizatione populi: deinde ab adjunctis precibus Chriſti: tum ab adjuncto miraculo columbæ ſuper ipſum è cælo deſcendentis, & vocis de ipſo indidem audiræ: poſtremò ab adjuncta ætate, in principio v. 23. quod huc eſt aſſumendum. Cæterùm illo miraculo continetur teſtimonium divinum vocationis Jeſu ad munus propheticum. Etenim columba fuit ſymbolum præſentiæ ſingularis & gratioſæ operationis ſpiritus ſancti, replentis Jeſum donis ad fungẽdã munere ipſius Prophetico neceſſariis: vox verò Dei Patris vim habuit mandati de hoc doctore audiendo: ut qui ſit Filius ille Dei dilectus, in quo Pater unicè acquieſcit. Et ſanè mandatum illud aliâs, quũ eadem vox fuit pronuntiata, expreſſè fuit adjectum: videl. *Ipſum audite*, Matth 17 v. 5 quum Jeſus in monte transformatus eſſet coram tribus diſcipulis.

PARS TERTIA.

Genealogia Chriſti.

23 *Ipſe autem Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta, filius (ut exiſtimabatur) Joſephi, filii Heli,*

24 Filii *Matthat*, filii *Levi*, filii *Melchi*, filii *Janna*, filii *Joſeph*,

25 Filii *Mattathiæ*, filii *Amos*, filii *Naum*, filii *Eſly*, filii *Naggæ*,

26 Filii *Maath*, filii *Mattathiæ*, filii *Semei*, filii *Joſeph*, filii *Juda*,

27 Filii *Joanna*, filii *Rheſa*, filii *Zorobabel*, filii *Salathiel*, filii *Neri*,

28 Filii *Melchi*, filii *Addi*, filii *Coſam*, filii *Elmodam*, filii *Er*,

29 Filii *Joſe*, filii *Eliezer*, filii *Jorim*, filii *Matthat*, filii *Levi*,

30 Filii *Simeon*, filii *Juda*, filii *Joſeph*, filii *Jonan*, filii *Eliacim*,

31 Filii *Melea*, filii *Mainan*, filii *Mattatha*, filii *Nathan*, filii *David*,

32 Filii *Jeſſe*, filii *Obed*, filii *Boos*, filii *Salmon*, filii *Naaſſon*,

33 Filii *Aminadab*, filii *Aram*, filii *Eſron*, filii *Phares*, filii *Judæ*,

34 Filii *Jacob*, filii *Iſaac*, filii *Abraham*, filii *Thara*, filii *Nachor*,

35 Filii *Saruch*, filii *Ragau*, filii *Phalec*, filii *Heber*, filii *Sale*,

36 Filii *Arphaxad*, filii *Sem*, filii *Noe*, filii *Lamech*,

37 Filii *Mathuſala*, filii *Henoch*, filii *Jared*, filii *Maha-laleel*, filii *Cænan*,

38 Filii *Henos*, filii *Seth*, filii *Adam*, *qui fuit* DEI.

Progenitores Chriſti recenſentur aſcendendo, inde à Joſepho ſponſo Mariæ virginis uſq; ad Adamum primum hominem. Ubi obſervandum, recenſeri hîc genus Chriſti maternum: nam quòd Joſeph dicitur fuiſſe filius Heli, id intelligendum ac ſi diceretur gener Heli: cujus deinde progenitores ordine recenſentur. Qua de re diximus plura in Analyſi Matthæi.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 *Tetrarchâ Galilea Herode.* τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρῴδου. Græcum expreſſius, quia plenius. nam in Latino oportet ſubaudiri inuſitatum participium verbi ſubſtantivi; quaſi dicatur, *tetrarchâ ente*, τετραρχοῦντος ὄντος. id eſt, quum eſſet tetrarcha, ſive eo tempore quo erat tetrarcha. Græcum ſonat, ac dicas, *tetrarchante*, id eſt, *quum tetrarcharetur*. Sic mox iterum, Φιλίππου τετραρχοῦντος &c.

2 *Factum eſt verbum Dei ad Johannem.* ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην. Ad verb. Super Johannem. Id eſt, Spiritus ſanctus quaſi deſcendit ſuper Johannē ſive in Johannem, eumq; inſtigavit ut prodiret atque ſurgeret ad obeundum miniſterium ſuum, cui ab utero matris fuerat conſecratus, & de quo hauddubiè à patre Zacharia jam pridem fuerat edoctus. Formula iſta crebrò occurrit in Prophetis, præſertim in Jeremia: & nomine *verbi* ſignificatur mandatū docendi, per ſynecdochen generis. *In deſerto*, ἐν τῇ ἐρήμῳ.

Nempe

Nempe in deserto Judææ: quod innuit articulus. Illic enim degebat cum parentibus. Confer suprà 1.39.

3 *In omnem regionem circumjacentem Jordani.* εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου. Subaudi γῆν vel χώραν. *Prædicans baptismũ resipiscentiæ in remissionẽ peccatorũ.* κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Quomodo hæc verba sunt intelligenda, exposui in Marc. 1.4.

4 *Vox clamantis* &c. φωνὴ βοῶντος &c. Hæc verba exposui in Matth. 3.3.

5 *Vallis.* φάρυγξ. Vox Græca propriè significat barathrum, id est, profundam atque præruptam terræ cavitatem sive hiatum. *Fient via recta.* ἔσται εἰς εὐθεῖαν. Scil. ὁδὸν. Ad verb. Erunt (id est evadent) in viam rectam. Phrasis Hebræa. Sic mox, καὶ αἱ τραχεῖαι (scil. ὁδοὶ. scil. ἔσονται) εἰς ὁδοὺς λείας: *Et asperæ viæ erunt in vias planas*, hoc est, fient viæ planæ. Nomen λεῖος, α, ον, propriè est levis, e, è longo. Metonymia effecti. nam planities reddit corpus leve: sicut curvitas & inæqualitas asperum.

6 *Omnis caro.* πᾶσα σάρξ. Id est, Omnis homo: ut in illo, *Omnis caro fœnum.* Et alibi passim. Synecdoche membri. *Salutem Dei.* τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. Ut suprà v.30.

7 *Exeunti.* ἐκπορευομένοις. Id est; quæ domo profecta, ad eum venerat. Synecdoche membri metonymica: nam unâ cum effecto destinato intelligitur finis. *Ut baptizaretur.* βαπτισθῆναι. Pro, τοῦ βαπτισθῆναι. Scil. ἕνεκα. *Quis præmonstravit.* &c. τίς ὑπέδειξεν &c. Vide scholia in Matth. 3.7.

8 Etiam *ex lapidibus.* ἐκ τῶν λίθων. Subaudienda conjunctio καὶ, nota majoris. Est enim amplificatio à majori: quasi dicat, Non solùm ex hominibus, sed etiam ex lapidibus: quod scilicet plus est & magis mirabile.

13 *Exigite.* πράσσετε. Ad verb. *Agite* vel *Facite.* Synecdoche generis Græca. quam Syrus quoque interpres intellexit, ut qui reddiderit verbo *Quærendi* מתבע methbáh, id est, poscendi sive exigendi.

14 *Neque per calumniam opprimite.* μηδὲ συκοφαντήσητε. Synecdoche membri metonymica: nam unâ cum effecto destinato intelligitur finis. Verbum συκοφαντεῖν, quod Plautus reddidit *sycophantari*, significat falsò aliquem crimina-

ri: deductum à nomine συκοφάντης, quo apud Athenienſes propriè ſignificabatur is qui magiſtratui indicaſſet illum qui ficus extra regionē exportaſſet, περὶ τῶν σύκων φαίνειν, ex eo quòd ficus indicaret, hoc eſt, quid de ficubus actum eſſet. Hinc συκοφαντεῖν per ſynecdochen generis, falsò criminari: ex eo nimirum quòd ſycophantæ iſti Athenienſes falsò ſæpenumero criminarentur, lucri causâ. Eodem verbo in ſimili ſignificatione utitur Lucas infrà cap. 19. v. 8. in ſermone Zachæi, inter alia dicētis εἴ τινός τι συκοφάντησα, Si quid cuipiam per calumniam eripui &c. *Stipendiis veſtris.* τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. Id eſt, cibarii & pecunia. Synecdoche membri: nam ὀψώνια propriè cibaria ſunt.

15 *An forte.* μήποτε. Pro εἰ ποτε vel εἰ ἄρα: ut 2. Tim. 2. 25. μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν, Si forte det eis Deus reſipiſcentiam. Alii *Numnam.* Sed ejus vocis uſus tantùm eſt (quod ſciam) in interrogatione directa: ut apud Terent. *Nymnam periimus?* Adverbium autem ποτὲ, id eſt, *aliquando*, in hac phraſi notat eventum, incertum quidem illum, veruntamen veriſimilem. Nec Latini (quod ſciam) alia voce eam exprimere ſolent, quàm illa *Forte:* cujus quidem vis nativa impiam opinionem connotat: quaſi ſcilicet res humanæ eveniāt gubernante Forte, idque fictitia illa Dea quæ uſitatiùs Fortuna nominatur. Verūmenimverò quum ſacri ſcriptores Novi Teſtamenti non abhorruerint à verbo χρηματίζεσθαι & nomine χρησμὸς, quibus profani authores ad diabolica ſua oracula ſignificanda ſunt uſi: puto pari ratione licere uti vocabulo *Forte*, ad eventum incertum ſignificandum.

16 *Spiritu ſancto.* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ad verbum, In Spiritu ſancto. Hebraiſ. *Et igni.* וְאֵשׁ. Vide ſcholia in Matthæum.

18 *De Herodiade.* τῆς Ἡρῳδιάδος. Id eſt, propter Herodiadem, quòd ſcil. illam ſecum haberet, eāque pro uxore uteretur, Marth. 14. v. 3. & 4. *Deſ; omnibus* &c. καὶ τῆς πάντων ὧν ἐποίησε. Pro, ἐκείνων ἃ ἐποίησε. Helleniſmus. *Ipſe.* ὁ Ἡρῴδης. Repetitio antecedentis Hebraica.

23 *Incipiebat eſſe.* ὢν ἀρχόμενος. Ad verb. Erat incipiens. Hypallage. Senſus eſt. Nuper ingreſſus erat annum ætatis trigeſimū: ſcil quum baptizaretur, ac paulo pòſt prodiret

ad

ad prædicandum: ex collatione præcedentium & sequentium. Ut *existimabatur. ὡς ἐνομίζετο.* Scil. falsò. Filii *Heli. τοῦ Hεί.* Ad pronomen *τοῦ*, subaudiendum *υἱοῦ*, hîc & deinceps, usque ad membrum ultimum. nam Adam non fuit filius Dei, id est, è substantia Dei genitus, sed à Deo è pulvere terræ creatus. Quanquam hîc nomen *filii* significat generum: qui loco filii habebatur: sicut in libro Ruth pia illa vidua Noomi nurus suas, filias suas nominat, Ruth. 1. v. 11. Cæterùm de discrimine hujus genealogiæ à genealogia quæ extat Matth. 1. vide Analysin illius loci.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Exv. 1. 2 & 4. Testimoniũ Johannis Baptistæ de Christo recipiendum est: tum quia certò fuit pronuntiatum, *διδ. πιστ.* tum quia pronuntiatum ex mandato Dei, tum quia per Prophetas prædictum.

Exv. 3. Baptismus divinum testimonium est, quòd *διδ.* Deus peccata remittat resipiscentibus & credentibus in Christum.

Exv. 4. Notanda pars argumenti quo probatur, Jesum *διδ.* Mariæ virginis filium, esse Christum: quia scilicet habuit præcursorem Johannem Baptistam, sicut de Christo prædictum fuit per Esaiam.

Exv. 4 & seqq. usque ad 15. Ut Christus tanquam ser- *παρ.* vator noster ad nos veniat & ut effugiamus futuram illam iram, oportet nos parare illi viam per veram resipiscentiam, & ferre fructus convenientes resipiscentiæ.

Exv. 7. 8 & 9. In Johanne proponitur exemplum justæ *παιδ.* severitatis à pastoribus Ecclesiæ adhibendæ in reprehendendis hypocritis.

Exv. 8. Carnalis origo ex Abrahamo per se nihil facit *διδ.* ad consequendam vitam æternam: sed illi demum vitam æternam cum fideli Abrahamo consequentur, qui incedunt vestigiis fidei ipsius: undecunque genus ducant.

Exv. 11. Fides in Christum, operibus charitatis erga proximum demonstranda est.

Exv. 13. & 14. Evãgelium non abolet ordines politicos: *παιδ.*

quales sunt publicanorum & militum; sed officia justitiæ à singulis requirit. Errant igitur Anabaptistæ, qui putant, hominem Christianum non posse bonâ conscientiâ militare.

Ex v.15.16.& 17. Notandum testimonium Johannis de Christo: quo continentur tria argumenta pro deitate Christi. Primum, quòd Johannes, tantus Propheta, fatetur se non esse dignum qui solvat corrigiam solearum ipsius: secundùm, quòd affirmat eum baptizaturum Spiritu sancto: tertium, quòd significat eum vitam æternam daturum piis, impios verò damnaturum.

Ex v. 17. Evangelium est veluti ventilabrum quo reprobi ab electis, quibus tanquam paleæ tritico, admixti sunt, separantur. id quod fit, dum Electi promissionem Evangelii fide accipiunt, reprobi verò eandem repudiant. Hinc Paulus ait, præcones Evangelii esse *aliis odorem vitæ ad vitam, aliis odorem mortis ad mortem*, 2.Cor.2.v.15.& 16.

Ex v. 19. & 20. In Johanne proponitur exemplum sinceri & constantis pastoris Ecclesiæ. In Herode verò proponitur exemplum tyranni.

Ex v. 21. Quemadmodum Christus fuit circumcisus, ut testatum faceret, se communionem habere velle cum circumcisis in ipsum credentibus: ita fuit quoque baptizatus, ut testatum faceret, se communionem habere velle cum baptizatis in ipsum credentibus.

Ex v.22. Notanda insignis patefactio S.Trinitatis.

Ex eod. versu. Christi doctrina citra ullum dubium vera ac cœlestis est: quum vivâ Dei voce cœlitus demissâ, in Prophetam seu doctorem Ecclesiæ, audiente Dei populo, sit ordinatus.

Ex eodem versu. Notandum testimonium pro deitate Christi.

Ex v.23.& deinceps usque ad finem capitis. Ex eo quòd genealogia Christi ad Adamum usque primum nostrum parentem deducitur, monemur: Christum essem semen illud mulieris (nempe Evæ, uxoris Adami) quod contriturum erat caput serpentis, hoc est, diaboli, Gen. 3. v. 15. Deinde monemur, Christum communem esse servatorem

torem omnium electorum hominum, videlicet tum ipsius Adami & Evæ, tum ortorum ex ipsis. Confer Rom. 5. v. 18. & 19. item 1. Cor. 15. v. 22. Heb. 2. v. 14 & deinceps.

ANALYSIS CAP. IIII.

ARGUMENTUM.

Sequitur alia præparatio Christi ad munus ipsius propheticum fungendum, videlicet tentatio à diabolo, usque ad v. 14. Deinde narratur initium prædicationis Christi, v. 14. & 15. Tum sermo habitus Nazarethæ, usque ad v. 31. Præterea ejectio dæmonii in synagoga Capernaumi, usque ad v. 38. Adhæc sanatio socrus Petri, v. 38. & 39. Postea sanatio multorum ægrotorum & dæmoniacorum, v. 40. & 41. Postremò continuatio prædicationis in Galilæa. Ita sunt septem partes.

PARS PRIMA.

Tentatio Christi à diabolo.

1 *Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus à Jordane, & actus est per eundem Spiritum in desertum;*

2 *Ubi erat dies quadraginta, & tentabatur à diabolo. Neque comedit quicquam per illos dies; sed iis exactis, postea esurivit.*

3 *Tunc dixit ei diabolus; Si Filius es Dei, dic isti lapidi ut fiat panis.*

4 *Et respondit ei Jesus dicens; Scriptum est, Non ex pane solo victurus est homo, sed ex omni verbo Dei.*

5 *Tunc quum subduxisset eum diabolus in montem sublimem, ostendit ei omnia regna orbis terrarum in puncto temporis.*

6 *Et ait ei diabolus, Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum* regnorum. *nam mihi tradita est, & cuicunque voluero, do eam.*

7 *Itaque si tu adoraveris me, erunt tua omnia.*

8 *Respondens autem Jesus dixit ei, Abscede à me Satana: scriptum est enim, Adorabis Dominum Deum tuum, & ei soli servies.*

9 *Tunc duxit eum Hierosolymam, & eum statuit supra pinnas templi: & dixit ei; Si Filius Dei es, dejice te hinc deorsum.*

10 *Scriptum est enim, Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te.*

11 *Et in manus tollent te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum.*

12 *Respondens autem Jesus dixit ei; Dictum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

13 *Et finitâ omni tentatione, diabolus abscessit ab eo ad tempus.*

Primùm indicatur locus ubi tentari cœpit: 2. tempus quo tentari cœpit: 3. occasio quam diabolus ad ipsum tentandum arripuit: 4. tentationes ipsæ narrantur, numero tres: 5. narratur eventus. Locus ubi tentari cœpit, fuit desertum, videlicet desertum Judææ; ut percipi potest ex collatione hujus loci cum v. 2. capitis tertii, & cum v. ult. capitis primi, item cum v. 39. ejusdem capitis: & denique ex collatione verborum in hoc ipso versu. Ex omnibus enim istis locis apparet, intelligi hîc desertum illud in quo educatus erat Johannes Baptista, & unde prodierat ad Jordanem, ut ubi prædicaret & baptizaret: illud autem fuit desertum Judææ, ut liquet ex capitis primi v. 39. collato cum v. ult. ejusdem capitis. Cæterùm loci indicatio illustratur notatione temporis quo Christus in illum locum vênit, & causæ impulsivæ à qua ut eò iret, impulsus fuit. Tempus notatur his verbis: *Jesus autem plenus Spiritu sancto, reversus à Jordane, & actus est ab eodem spiritu* &c. Quibus verbis significatur, Jesum statim à fusceptο Baptismo in desertum iviſſe. Causa impulsiva fuit Spiritus sanctus: ut significatur his verbis, *Actus est ab eodem Spiritu.* Scopus autem Spiritus sancti fuit, ut Jesum objiceret diabolo tentandum: sicut expressè tradit Matthæus, cap 4. v. 1. Simul autem hîc occasione transitionis narratur eventus miraculosæ illius incubationis columbæ super Jesum quum baptizaretur, nempe quòd tunc fuerit repletus Spiritu sancto, id est, donis Spiritus sancti ad munus ipsius Propheticum necessariis. Unde percipitur, istam columbæ incubationem symbolum fuisse gratiosæ illius operationis Spiritus sancti. Tempus quo tentari cœpit, indicatur in principio versus secundi, videlicet exactis in deserto quadraginta diebus. Temporis indicatio amplificatur ab adjuncto miraculo, nempe quòd per illos dies nihil quicquã comederit ac ne esurierit quidem. Porrò quid egerit quadraginta

draginta illis diebus, non narratur; sed ex consideratione circumstantiarum colligitur, meditatum esse ea quæ pertinebant ad fungendum munere Prophetico, Deiq; benedictionem ad illud rectè & cum fructu fungendum precibus petivisse.

Occasio quam diabolus ad ipsum tentandum arripuit, notatur per cohærentiam principii versus tertii cum fine versus secundi, his scil. verbis: *Esuriit: tunc dixit ei diabolus* &c. Occasionem igitur arripuit ex esurie seu fame Christi, hoc est, indigentia atque appetitione cibi.

Tentatio prima narratur v. 3. cujus finis fuit, avertere Christum à fiducia filiali erga Deum: eiq́ue persuadere, ipsum non esse filium illum Dei dilectum, ac proinde vocem illam in ipsius baptismo cælitus auditam, *Tu es filius ille meus dilectus* &c. nihil ad ipsum pertinere. Argumentum ducit ex effectu, videlicet desertione Dei. Cujus hęc videtur esse vis.

Si esses filius Dei: Deus te non desereret.

At deserit: quia esurienti non præbet panem. Præberet autem vel cum miraculo, creando scil. panem ex præsentib. lapidibus: nisi te deserere constituisset ac permittere ut fame pereas.

Ergo non es filius Dei: & per consequens temere ac frustra Deo ut patri confidis.

Hujus tentationis depulsio & argumenti diabolici refutatio subjicitur v. 4. Opponit autem dictum Scripturæ ex Deut. 8. v. 3. quo continetur promissio cõservationis illorũ qui Deo fidunt ac fideliter ei serviunt. Vis refutationis cõsistit in eo, quòd negatur assumptio, illiusq́; probatio: quatenus ostenditur falsitas hypotheseos qua probatio illa nititur, quasi scilicet Deus homines in vita hac conservaret per solum panẽ. Panem igitur non esse solitariam causam (scil. instrumentalem) vitæ sustentandæ, probat Christus testimonio illo Scripturæ. quo simul innuitur testimoniũ experientiæ, videl. exemplum Israëlitarum in deserto degentium: quos Deus sustentavit sine pane, præbens eis mannam, cibum scilicet quendam in aëre creatum quotidie, atque inde ad castra Israëlitarum depluentem.

In Scholiis Matth. ad v. 5. cap. 4.

Secunda tentatio (quæ tamen ex ordine rei gestæ fuit tertia atq; postrema: ut colligitur ex narratione Matthæi cap. 4. & ibidem à nobis est demonstratum) narratur v. 5. 6. & 7. Ac primùm indicatur locus ubi illa tentatio facta est: deinde adjuncta præparatio: tum tentatio ipsa. Locus fuit mons sublimis. Illius indicatio declaratur à causa efficiente, cujus vi Dominus eò pervênit, videlicet cò subductus à diabolo. Quæ ipsa subductio amplificatur ab adjuncta duratione temporis: nempe quòd diabolus Dominum in montem illum subduxerit in puncto temporis: quo innititur maximum diaboli robur. Præparatio fuit, quòd ostendit ei omnia regna terræ: ut videlicet accenderet cor ejus cupiditate illa possidendi, atque ita maximis opibus & gloria in hoc mundo fruendi. Tentationis scopus fuit, Dominũ planè avertere à cultu Dei. Ad hanc autem apostasiam sollicitavit cum argumento ducto ab effectu utili, videlicet adeptione maximæ potentiæ atq; gloriæ in mundo. Hoc argumentum sic potest concludi.

Si tu per adorationem mei poteris adipisci summam potentiam atque gloriam in mundo: rectè feceris, si me adoraveris.

Atqui per adorationem mei id poteris adipisci.

Ergo rectè feceris, si me adoraveris. Quare me adorato, ac proinde à Deo desito.

Assumptionem probat à causis efficientibus, videlicet tum voluntate sua, tum facultate. Voluntatem, quòd scil. velit ei dare istam potentiam & gloriam, si se adoraverit: significat his verbis, *Tibi dabo potestatem hanc* &c. Item, *Si tu adoraveris me, erunt tua omnia.* Facultatem significat his verbis: *Nam mihi tradita est: & cuicunque voluero, do eam.* Depulsio hujus tentationis subjicitur v. 8. Cujus vis in eo consistit, quòd negatur connexum syllogismi principalis, quatenus probatur cõsequentis contrarium, videlicet solum Deum adorandum esse. Syllogismus sic est.

Si solus Deus adorandus est: tu igitur Satan non es adorandus: quia nimirum non es Deus, sed creatura.

At solus Deus adorandus est. Hoc probat Dominus testimonio mandati divini ex Deut. 6. v. 13. & cap. 10. v. 20.

Tu

Tu igitur non es adorandus: & per consequens non rectè facero, si te adoravero.

Conclusio amplificatur ex effectu, videlicet increpatione Satanæ & mandato discedendi.

Tertia tentatio (quæ secundùm ordinem rei gestæ fuit secunda) narratur v. 9. 10. & 11. Ac primùm indicatur locus; deinde præparatio, tum tentatio ipsa. Locus fuit pinna templi Hierosolymitani. Præparatio, quòd diabolus Dominum ibi statuit, ut nimirum esset expeditus ad desiliendum.

Tentationis scopus fuit, accendere animum Domini cupiditate inanis gloriæ, ex miraculosa scilicet illa desilitione de pinnâ templi; ut nimirum civibus Hierosolymitanis videretur homo cælitus delapsus ac proinde divinus. Item temerariâ confidentiâ in protectione Dei. Syllogismus sic est.

Si desiliendo de pinna templi, consequi poterit gloriam divinam coram mundo: rectè feceris, si desilieris.

Atqui desiliendo poterit gloriam illam consequi.

Ergo rectè feceris, si desilieris.

Assumptionem probat ab eventu: quia futurum sit ut inter desiliendum non lædatur, sed integer ac salvus conservetur. Quod ipsum probat testimonio promissionis divinæ, & testimonio professionis ipsius Domini: qui in prima tentatione fuerat professus, se Deo confidere, fore ut se conservet etiam sine pane. Syllogismus:

Si es filius Dei, filialive fiducia erga Deum præditus: inter desiliendum Deus te conservabit. talem enim conservationem filiis suis, sibi confidentibus, promisit, Psal. 91.

At es filius Dei, filialive fiducia erga Deum es præditus. Id enim ipse profiteris, tibiq; persuades.

Ergo inter desiliendum Deus te conservabit.

Depulsio hujus tentationis narratur v. 12. Cujus vis est in eo, quòd negatur connexum syllogismi principalis, quatenus probatur consequentis contrarium: nempe se non rectè facturũ, si de pinnâ templi desiliret fiduciâ protectionis divinæ. Hoc probat ab effectu. Nam si id faceret,

se tentaturum Deum: atqui Deum non esse tentandum: id quod probat testimonio mandati divini.

Hactenus de tribus tentationibus. Eventus narratur v. 13. nempe victoria Domini, quæ significatur ex facto diaboli, ut qui responsis Domini repulsus atque confusus abiit, Dominumq; missum fecit. Quod ipsum amplificatur ab adjuncta duratione temporis: nempe quòd eum missum fecerit ad tempus. quo significatur, identidem rediisse ad Dominum tentandum atque vexandum.

PARS SECUNDA.

Initium prædicationis Christi.

14 *Reversus est autem Jesus cum virtute Spiritus in Galilæam: & fama de eo exiit in totam circumjacentem regionem.*

15 *Et ipse docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.*

Primùm indicatur causa impulsiva, quæ Christum ad prædicationem inchoandam impulit, videl. virtus Spiritus S. Deinde locus ubi prædicare cœpit, videlicet Galilæa. Cujus rei causam exponit Matthæus, cap. 4. v. 12. & deinceps. Tum eventus, nempe fama. Postea iterum locus, sed specialior, videlicet synagogæ Galilæorum. Postremò iterum eventus, nempe laus ab auditoribus.

PARS TERTIA.

Sermo habitus Nazarethæ.

16 *Venit igitur Nazaretham ubi fuerat nutritus: & intravit, ut consueverat, die Sabbati, in synagogam: & surrexit ut legeret.*

17 *Tunc datus est ei liber Esaiæ Prophetæ, quumq; explicuisset librum, invenit locum ubi scriptum erat,*

18 *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me: ut evangelizem pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visum, ut confractos emittam in libertatem:*

19 *Ut prædicem annum Domini acceptum.*

20 *Et*

20 *Et complicatum librum quum reddidisset ministro, consedit: & omnium in synagoga oculi erant intenti in eum.*

21 *Cœpit autem eis dicere, Hodie impleta est hæc Scriptura audientibus vobis.*

22 *Et omnes testimonium ei dabant, ac mirabantur super sermonibus gratiosis, qui procedebant ex ore ipsius, dicebantq; Nonne ipse est filius Josephi?*

23 *Et dixit ad eos, Omnino dicetis mihi hoc proverbium; Medice, cura teipsum: quæcunq; audivimus facta fuisse Capernaûmi, fac etiam hic in patria tua.*

24 *Dixit autem; Amen dico vobis, Nullus Propheta acceptus est in patria sua.*

25 *Sed in veritate dico vobis, Multæ viduæ erant diebus Eliæ in Israële, quando clausum est cælum ad annos tres & sex menses, quumq; fuit fames magna per totam regionem:*

26 *Sed ad nullam illarum missus est Elias nisi Sareptam urbem Sidonie, ad mulierem viduam.*

27 *Et multi leprosi erant in Israële sub Eliseo Propheta; sed nemo eorum purgatus est nisi Naaman Syrus.*

28 *Tum repleti sunt omnes excandescentiâ in synagoga, hæc audientes.*

29 *Et quum surrexissent, ejecerunt eum extra urbem, & duxerunt eum usq; ad supercilium montis super quem urbs ipsorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.*

30 *Ipse verò quum transisset per medium eorum, profectus est.*

Primùm indicatur tempus quo Dominus sermonem hunc habuit, 2. locus specialis ubi eum habuit, 3. præparatio, 4. sermonis summa, 5. eventa, 6. sermo alius, 7. sermonis illius posterioris eventa. Tempus fuit dies sabbathi, v. 16. Locus, synagoga Nazarethana, ibid. Præparatio continet actiones varias Christi, atq; unam auditorum. Actiones Christi quibus sese ad sermonem habendũ præparavit, fuerunt hæ: 1. petivit sibi dari librum sacrum. hoc significatur istis verbis, *Surrexit ut legeret.* 2. Dato libro Esaiæ, explicuit illum. 3. Invênit locum qui exstat in principio cap. 61. continens propheriam de officio Christi prophetico: sive locũ illum ipse de industria quæsiverat,

sive librum explicanti mox sit oblatus divinitus. 4. Librum iterum complicavit post locum illum inde lectum. 5. Reddidit librum ministro. 6. Consedit. Atque sic ad docendū se præparavit Dominus. Auditores verò ad audiendum se præparārunt, intendendo oculos in ipsum. Sermonis summa indicatur v. 21. nempe quòd prophetiam illam Esaiæ exposuerit de se ipso, atq; ita populares suos erudierit de suo officio prophetico, & per consequens etiam de sacerdotali & regio. nam officii Prophetici hoc erat objectum, doctrina videlicet de remissione peccatorum & vita æterna per ipsum ut sacerdotem & regem comparanda & populo Dei communicanda. Eventa illius sermonis narrantur duo, v. 22. nempe laudatio ab auditoribus, & admiratio. Admiratio autem illa illustratur expositione causarum proximarū, quæ indicantur duæ, gratia seu suavitas sermonis, & loquentis ortus atq; educatio humilis. Prior causa exprimitur his verbis, *Mirabantur super sermonibus gratiæ quæ procedebant ex ore ipsius.* Posterior causa significatur his verbis, *Nonne iste est filius Joseph?* ortus scilicet humili parente, nempe fabro: atque educatus ab illo humiliter, nempe ad operas fabriles. quasi dicant: Unde igitur illi tanta sapientia atque eloquentia, quum non didicerit literas? Confer Matth. 13. v. 54. Marc. 6. v. 2. & 3. Alter sermo directus est ad reprehendendum eos propter incredulitatem, quòd nolebant doctrinæ ipsius credere; nisi eam confirmaret miraculo. Hujus sermonis occasio notatur per cohærentiam narrationis: nempe per cohærentiam principii v. 23 cum fine v. 22. quòd scil. Dominus ex istis verbis, *Nonne iste est filius Joseph*, animadvertisset: populares suos in ipso offendi, ac proinde fidem derogare ipsius doctrinæ. Et sanè hanc incredulitatem Matthæus cap. 13. v. ult. & Marcus cap. 6. v. 6. expressè commemorant. Primùm autem contra ipsorum incredulitatem se consolatur exemplo aliorum piorum doctorum, quibus idem evenire soleat: quod ipsum proverbiali sententia confirmat. Deinde incredulitatis eos perstringit significatione desiderii ipsorum, quòd scil. desiderent ab ipso videre miraculum, secus non credituri doctrinæ ipsius.

Hoc

Hoc desiderium illustrat simili proverbiali, & confirmat argumento à pari, videlicet exemplo miraculorum editorum apud Capernaitas. Fecisti miracula Capernaümi: Ergo fac etiam hic. Hoc argumentum amplificant à minori, quum addunt, *In patriatua*. q.d. Exteros dignatus es miraculis: Ergo multo magis nos dignare, qui sumus tui populares. Alios curavisti: ergo multo magis te ipsum cura. Tum negat se miraculum apud ipsos editurum: rationemq; sui facti reddit hanc, quòd non habeat hujus rei mandatum à Deo: quippe qui ipsos non dignetur miraculis. Quod ipsum significat commemoratione duorum similium exemplorum ex historia sacra, videlicet miraculosæ sustentationis viduæ Sareptanæ tempore famis, v. 25. & 26. & miraculosæ sanationis Naamanis Syri, v. 27. Sententia est: Sicut Deus temporibus Eliæ non omnes Israëlitas dignatus est miraculosâ sustentatione in fame, sed solam illam viduam Sareptanam: & sicut temporibus Elisæi non omnes leprosos apud Israëlitas aut vicinos dignatus est miraculosâ purgatione, sed solum Naamanem Syrum: ita nunc non omnes Galilæos aut Judæos dignatur miraculis, atque inter illos etiam vos. Quapropter quum sciam, hanc esse voluntatem patris mei, non faciam apud vos miracula.

Eventa hujus sermonis, alia ex aliis ordine consecuta, narrantur v. 28. 29. & 30. numero quinque: videl. exandescentia Nazarethanorum contra Christũ, ejectio ipsius ex urbe, deductio in supercilium seu verticem montis, conatus præcipitandi, & Domini evasio miraculosa.

PARS QUARTA.

Ejectio dæmonii in synagoga Capernaümi.

31 *Et descendit Capernaümum urbem Galilææ*, ibiq; *docebat eos Sabbathis.*

32 *Et percellebantur super doctrinâ ejus, erat enim sermo ipsius cum authoritate.*

33 *Erat autem in synagoga quidam habens spiritum dæmoniacum impurum, qui exclamavit voce magnâ,*

34 *Dicens, Ah, quid nobis tecum Jesu Nazarene? veniſti ut perderes nos? novi te qui ſis: nimirum Spiritus ille Dei.*

35 *Et objurgavit eum Jeſus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Tunc dæmonium, projecto illo in medium, exiit ab eo, nihilq; ei nocuit.*

36 *Et obortus eſt pavor in omnibus: & colloquebantur alii cum aliis, dicentes; Quid hoc reſt, quòd cum authoritate ac potentia imperat impuris ſpiritibus, & exeunt?*

37 *Et pervenit rumor de eo in omnem locum circumjacentis regionis.*

Primùm indicatur locus generalis ubi iſta ejectio dæmonis facta eſt, 2. finis ſeu ſcopus ejicientis, 3. tempus quo facta eſt, 4. locus ſpecialis, 5. occaſio, 6. cauſa corrumpens, 7. forma ſeu modus agendi, 8. eventa. Locus generalis, fuit Capernaum urbs Galileæ. Finis ſeu ſcopus fuit confirmatio doctrinæ: qui ſcopus innititur his verbis, *Docebat eos.* Cæterùm doctrina illa amplificatur v. 32. ab effectu, videlicet admiratione auditorum. Quæ ipſa admiratio declaratur expoſitione cauſæ proximæ: quæ fuit adjuncta ſermoni authoritas. Tempus fuit dies ſabbathi, in fine v. 31. Locus ſpecialis fuit ſynagoga, v. 33.

Occaſio fuit præſentia dæmoniaci, ibid. Cauſa corrumpens, quæ videbatur ejectionem impeditura & ad eam impediendam ſpectabat, fuit deprecatio dæmonii, confirmata tribus argumentis. Deprecatio ſignificatur interjectione ſive adverbio exclamandi, *ea*, ah. Argumentum 1. *Quid nobis tecum Jeſu Nazarene?* quaſi dicat, Non ſumus moleſti tibi, ſed ſinimus te agere quod agis: Ergo ne ſis moleſtus nobis, ſed ſine nos agere quod agimus. Argumentum eſt à pari. 2. *Veniſti ut perderes nos?* ſcil. *ante tempus*: ut exprimitur Matth. 8. v. 29. in alio exemplo. quaſi dicat, Nondum eſt tempus quo ſumus ex Dei decreto perdendi: Ergo ne perdito nos, ſed ſine nos. Argumentum eſt à cauſa impulſiva, videlicet voluntate Dei. 3. *Novi te qui ſis, Sanctus ille Dei.* quaſi dicat. Benefacio tibi, dum te honoro profitendo te eſſe Chriſtum: Ergo tu mihi viciſſim benefacito, ſinendo me agere quod velim. Argumentum eſt à cauſa impulſiva. Forma ſeu modus agendi conſiſtit

consistit in mandato & mandati exsequutione. Mandatum fuit duplex: unum, *Obmutesce*: alterum, *Exi ab eo*. Exsequutio mandati amplificatur ex adjuncto quodam facto, nempe quòd dæmonium exiturum, projecit dæmoniacum in medium, tanquam scilicet eum læsurum. Ista autem projectio amplificatur ex eventu inopinato, quòd scilicet illum non læserit.

Eventa narrantur tria. 1. Pavor in spectatoribus. 2. Admiratio, quam significant verbis, dicentes, *Quid hoc rei est* &c. 3. Rumor de Christo sparsus in loca vicina.

PARS QUINTA.

Sanatio socrus Petri.

38 *Quum surrexisset autem Jesus è synagoga, introivit domum Simonis: socrus verò Simonis detinebatur febri magnâ: & rogaverunt eum pro illa.*

39 *Tunc* ipse *astans supra eam, objurgavit febrim: & febris eam dimisit.* illa *verò quum illico surrexisset, ministravit eis.*

Primùm habetur transitio. 2. indicatur locus ubi sanatio ista facta est, 3. occasio, 4. causa impulsiva, 5. forma seu modus agendi, 6. eventus. Transitio continetur his verbis, *Quum surrexisset autem Jesus è synagoga, introivit* &c. Locus fuit domus Simonis, id est, Petri. Occasio fuit, præsentia objecti, videlicet mulieris febricitantis. Causa impulsiva fuit peritio eorum qui Dominum sectabantur, videlicet Petri, aliorumq; discipulorum. Forma seu modus agendi continet tria: gestum sanantis, mandatum & mandati exsequutionem. Gestus fuit, quòd adstitit supra ægrotantem: item quòd (ut Matthæus narrat) tetigit manum ejus: mandatum, quòd objurgavit febrim, mandando scilicet ut illam dimitteret. Exequutio mandati fuit, quòd febris eam statim dimisit.

Eventus fuit duplex: primum, quòd mulier sanata illico surrexit: alterum, quòd Domino ejusq; discipulis ministravit, apparendis scilicet epulis.

PARS SEXTA.

Sanatio multorum ægrotorum & dæmoniacorum.

40 *Occidente autem sole, omnes qui habebant ægrotantes morbis variis, ducebant ipsos ad eum: ille verò unicuique ipsorum impositis manibus, sanavit eos.*

41 *Exibant autem etiam dæmonia ex multis, clamantia ac dicentia, Tu es Christus, Filius ille Dei. Sed* ipse *objurgans, non sinebat ea loqui, quòd scirent ipsum esse Christum.*

Primùm indicatur tempus quo sanatio illa facta est, 2. causa impulsiva, 3. locus, 4 forma seu modus agendi, 5. causa corrumpens in dæmoniacis. Tempus fuit vespera illius diei quo ejecerat dæmonium in synagoga, & sanaverat socrum Petri: ut percipitur ex ipsa serie narrationis. Causa impulsiva fuit petitio adducentium ægrotos illos. Locus notatur verbis, *Ad eum*: videl. domus Petri, ubi Dominus tunc erat: ut percipitur ex dictis. Forma seu modus agendi fuit, quòd singulis imposuit manus. Causa corrumpens in dæmoniacis fuit indicatio de Jesu, pertinens ad laudē illius: dicebant enim dæmonia, *Tu es Christus ille filius Dei*: atque ita conabantur Christum movere ne se ejiceret. Ista indicatio declaratur ex causa corrumpente, videlicet objurgatione Christi & interdictione atque prohibitione patefaciendi sese.

PARS SEPTIMA.

Continuatio prædicationis in Galilæa.

42 *Orto autem die egressus, profectus est in desertum locum: & turba quærebat eum, veneruntq; usque ad ipsum: & retinebant eum ne ab ipsis discederet.*

43 *Ille verò dixit eis, Etiam aliis urbibus oportet me evangelizare regnum Dei: nam ad hoc missus sum.*

44 *Itaque prædicabat in synagogis Galilææ.*

Primùm significatur effectum destinatum, nempe præparatio: 2. causa corrumpens, 3. causæ corrumpentis remotio, 4. causa impulsiva, 5. locus. Effectum destinatum seu præparatio qua Christus sese ad continuandum prædi-

prædicationem suam in Galilęa præparavit, fuit precatio, hæc enim innui videtur, quum dicitur profectus in locum desertum: quippe Dominus solebat subinde successum quærere orandi causâ. Confer infrà cap. 5 v. 16. Cæterùm ista profectio in desertum locum, amplificatur ab adjuncto tempore, quòd profectus eò sit orto die, id est, postridie quàm docuisset in vrbe Capernaùmo, statim orto sole. Causa corrumpens fuit detentio Capernaitarum: qui Dominum quæsitum atque inventum detinuerunt ne ab ipsis discederet. Causæ corrumpentis remotio fuit recusatio Christi qua recusavit cum illis manere, contraq; professus est se profecturum in alias urbes prædicandi causâ. Causa impulsiva fuit mãdatum Dei: quod significatur primùm verbo, *Oportet*: deinde illis verbis, *Nam ad hoc missus sum*. Locus ubi prædicavit, fuerunt synagogæ.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

1 *Per* eundem *Spiritum*. ἐν τῷ πνεύματι. Ad verb. In Spiritu. Hebraismus. Articulus autem est ἀναφορικός.

2 Ubi erat *dies quadraginta*, *& tentabatur*. ἡμέρας τεσσεράκοντα πειραζόμενος. Pro, οὗ ὧν ἡμέρας τεσσεράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου. Etenim verba illa οὗ ὧν, *Ubi erat*, omnino subaudire atq; supplere oportet, ne verba sequentia, ἡμέρας τεσσεράκοντα, *dies quadraginta*, necesse sit conjungi cũ participio πειραζόμενος, tentabatur. Etenim exactis demum quadraginta diebus tentari cœpisse, clarè liquet ex Matth. 4 v. 3. & 4 necnon ex iis quæ hic sequuntur. Cœpit enim tentari tum demum, quum cœpit esurire: at exactis demum quadraginta illis diebus esurit, ut expressè dicitur in fine hujus versus. *Neque comêdit quicquam*. καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδέν. Ad verb. Et non comêdit nihil. Gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. *Sed*. καί. Copulativa pro adversativa, more Hebraico.

3 *Si filius es Dei*. εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ. Nomen υἱὸς sine articulo hic scriptum est, sicut & Matt. 4 v. 3. & 6. Infrà tamen v. 9. articulus præponitur: ex quo loco cæteri videntur exponendi. Nam ex serie narrationis omnino videtur, diabolũ

respexisse his verbis ad vocem illam Dei quam Dominus nuper quum in Jordane baptizaretur audierat: σὺ εἶ ὁ υἱός μου. Tu es filius ille meus, suprà 3.22.

5 *Orbu terrarum.* τῆς οἰκουμένης. Subaudi γῆς. ad verbum, Terræ habitabilis seu quæ habitatur. *In puncto temporis.* ἐν στιγμῇ χρόνου. Ambiguum prima fronte est, unde hæc verba pendeant atque regantur, an à verbo propiore ἰδὼν ἔφη, offendit, an verò à participio remotiore ἀναγαγών, *quum subduxisset*, id est, sursum duxisset. Ut autem referatur ad remotius, res ipsa monet: quippe quum fieri non potuerit, ut Dominus in puncto temporis videret omnia regna orbis terrarum, quorum nimirum alia antè, alia ponè, alia denique ad utrumque latus sita erant. Deinde scopus diaboli postulat ut statuamus, Dominum aliquandiu in contemplatione regnorum detentum fuisse; ut videlicet illorum desiderio paulatim accenderetur. Magnam verò Filii Dei demissionem; qui passus sit, sanctissimum suum corpus ab impuro illo spiritu attrectari atque aliò asportari! Sic v.9. dicitur, quòd diabolus statuerit eum supra pinnas templi.

6 *Potestatem.* ἐξουσίαν. Id est, regna seu regiones. Metonymia adjuncti.

7 *Adoraveris me.* προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου. Ad verb. Adoraveris coram me. Elliptica oratio, pro: Adoraveris prostratus coram me, προσκυνήσῃς πεσὼν ἐνώπιόν μου. Matthæus habet, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.

8 *Adorabis.* προσκυνήσεις. Id est, adorato. Sic mox, *Servies*: id est, servito.

11 *Ne quando.* μήποτε. Vel, Ne forte. Vide suprà 3.15.

12 *Non tentabis.* οὐκ ἐκπειράσεις. Id est, Ne tentato.

14 *Cum virtute.* ἐν τῇ δυνάμει. Ad verb. In virtute: id est, instructus virtute, &c. *Spiritus.* τῷ Πνεύματι. Nempe Spiritus sancti: id quod innuit articulus. *In totam circumjacentem regionem.* καθ' ὅλης τῆς περιχώρου. Scil. γῆς vel χώρας: ut suprà v.3.

16 *Die Sabbathi.* ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῷ σαββάτων. Pro, Τοῖς σαββάτοις. Enallage numeri in isto nomine usitata. Etsi autem parum videtur referre, utrum hæc verba statuantur regi à participio

cipio εἰωθὸς, an à verbo εἰσέρχομαι: tamen simplicius ac rectius videtur, jungere cum εἰσῆλθε. nam Dominus etiam aliis diebus in synagogas ingredi solitus esse videtur. Sanè extra Sabbathum quoque populum in synagogas congregari solitum: colligi potest ex verbis archisynagogi infrà 13.14. Sex dies sunt quibus oportet operari: his ergo diebus venite (scil. in synagogen, ex collatione præcedentium) & sanamini, & non die sabbathi Ut legeret. ἀναγνῶναι. Pro, τῷ ἀναγνῶναι. scil. ἱνα. Est autem hoc intelligendum partim per synecdochen generis, Ut legeret, scil. locum aliquem sacræ scripturæ: partim per synecdochen membri; Ut legeret locum aliquem Scripturæ, & eundem postea interpretaretur. Id quod hîc ipsum fecisse, declarant sequentia.

17 *Explicuisset.* ἀναπτύξας. Scil. volumen libri, seu librum convolutum in formam cylindri. *Librum.* τὸ βιβλίον. Nempe librum sibi porrectum. Græcum expressius propter articulum. *Invenit.* εὗρε. Sive quæsitum; sive sponte oblatum, sic gubernante divinâ providentiâ.

18 *Super me.* ἐπ' ἐμὲ. Scil. est. *Spiritus Domini.* πνεῦμα Κυρίου. Id est, donum prophetandi: ut suprà 2. 25. *Propterea quod unxit me.* οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με. Vel, Cujus rei gratiâ (nempe gratiâ prophetandi) unxit me. scil. Dominus. Unxit autem, nempe oleo exultationis, id est Spiritu sancto. Ut evangelizem. εὐαγγελίζεσθαι. Pro, τῷ εὐαγγελίζεσθαι, scil. ἵνα. Et sic deinceps. *Pauperibus.* πτωχοῖς. Nempe pauperibus spiritu. Sic Matth. 11.5. *Contritos corde.* συντετριμμένους τὴν καρδίαν. Pro, κατὰ τὴν καρδίαν, id est, τῇ καρδίᾳ. Ellipsis Græca. *Captivis.* αἰχμαλώτοις. Nempe qui constricti tenentur à diabolo vinculis peccati ad mortem æternam. *Cæcis.* τυφλοῖς. Nempe spiritualiter cæcis, hoc est, destitutis salvificâ cognitione Dei. *Visum.* ἀνάβλεψιν. Quasi dicas, Suspectionem, id est, Sursum-spectionem. Neq; enim puto significari hoc nomine τὴν βλέψιν σωματικὴν ἀπόλυσιν, id est facultatis videndi receptionem sive recuperationem: sed simpliciter actum videndi, παρὰ τὸ ἀναβλέπειν, id est, ἵνα βλέπωσιν. Per visum autem hîc significatur cognitio Dei salvifica. Ut confractos emittam in libertatem. ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. Hæc ver-

ba in loco illo Esaiæ, in versione Græca τῶν LXX. non habentur: huc autem irrepsisse videntur, quòd ad marginẽ declarandi gratiâ essent adscripta: sicut D. Beza prolixè declarat. Cæterùm pro illis verbis, ἐν πυκλοῖς αἰσλυψιν, in Hebræo habetur מקר-פרח ורלאסורים velaasursùm pekach-kóach: quæ recentiores verterunt, Et vinctis aperturam ergastuli.

20 *Complicatum librum.* πτύξας τὸ βιβλίον. Quum complicavisset seu convolvisset librum: quem paulo antè explicaverat seu evolverat. Opponitur verbum πτύξας verbo ἀναπτύξας, suprà v. 17.

21 *Hodie.* ὅτι σήμερον. Conjunctio ὅτι servit mimesi. *Audientibus vobis.* ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν. Ad verb. In auribus vestris: id est, ante aures vestras, sive coram auribus vestris: hoc est, coram vobis audientibus. Hebraismus.

22 *Sermonibus gratiosis.* τοῖς λόγοις τῆς χάριτος. Ad verb. Sermonibus gratiæ; id est, gratiosis, χαρίτων. Genitivus adjuncti inhærentis, phrasi Hebraicâ. Sic Proverb. 1. 9. חן לויח livjath chén, adjectio gratiæ, id est, gratiosa: seu additamentum gratiæ, id est, gratiosum: periphrasis ornamenti, quale est torques, ut ibidem per epexegesin additur. Verè igitur in Christum quadrabat quod Homerus eleganter sanè ac suaviter de Nestore suo prædicat, τῷ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή: id est, ut Cicero convertit, *Cujus à lingua melle dulcior fluebat oratio.* Qualem suavitatem & gratiam sermonum, Christus sponsus tribuit sponsæ Ecclesiæ Cant 4 11. ubi ait, *Favum stillant labia tua, ô sponsa: mel & lac subsunt linguæ tuæ.* Porrò vocem *gratiosus* hoc sensu quem hic sequor, usurpavit Plinius lib. 16. cap. 33. ubi de cupresso loquens, inter alia dicit: *Odore violenta, ac ne umbrâ quidem gratiosa.* Nomn. ὠχ. Interrogatio vim habet admirandi. quasi dicant: Quum iste sit filius Josephi, fabri scilicet, atque etiam ipse faber, ac proinde idiota: unde igitur ei tanta sapientia, tantaque dicendi suavitas?

23 *Proverbium.* παραβολὴν. Ad verbum, Similitudinem. Metonymia adjuncti: nam pleraque proverbia metaphorico sermone constant. In hac significatione Johannes usur-

usurpat nomen affine, μετωνυμία, Joh.16.v.25. & 29. *Capernaumi.* ἐν τῇ Καπερναούμ. Ad articulum τῇ subauditur πόλει: id est, in urbe Capernaumo.

25 *In Israele.* ἐν τῷ Ἰσραὴλ. Id est, in populo Israëlitico, seu in regno Israelis, decem scilicet tribubus. Metonymia efficientis usitata. Sic mox v. 27. *Quúmque fuit, ὡς ἐγένετο.* Pro, καὶ ὡς ἐγένετο. Ellipsis conjunctionis copulativæ. Alii, *Adeò ut fuerit*: quæ verba respondent Græcis istis, ὥστε γενέσθαι, vel etiam, ὥστε ἐγένετο. At ὡς cum indicativo non puto reperiri pro ὥστε, id est, *adeò ut*: sed tantùm cum infinitivo. Cæterùm ὡς hìc esse notam temporis, Syrus quoque interpres videtur animadvertisse: ut qui verterit, *Et facta est fames*: repetendo ὅτι κοινοῦ adverbium ὅτι, & supplendo conjunctionem καὶ, adverbium verò ὡς tanquam priori ἰσοδυναμοῦν omittendo. Nisi forte pro ὡς legerit καί. *Per totam regionem.* ὅλη τὴν γῆν ὅλῃ. Ad verbum, Super totam terram, scilicet Israëlis. Synecdoche integri.

26 *Sed.* καί. Copulativa pro adversativa, more Hebraico. Sic.v seq. *Missus est.* ἐπέμφθη. Scil. à Deo.

27 *Sub Eliseo.* ἐπὶ Ἐλισσαίου. Id est, tempore Elisæi: quum scil. Elisæus clareret prophetando & miraculis edendis in populo Dei.

29 *Usque ad supercilium montis.* ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους. Id est, usque ad cacumen seu gibbum montis, ut habet paraphrasis Syriaca. Metaphora.

32 *Cum authoritate.* ἐν ἐξουσίᾳ. Id est, μετ' ἐξουσίας. Hebraismus. Cæterùm existimo hoc non ad miracula referendum, sed ad ipsam doctrinam seu docendi modum: ut significetur, in concionibus Domini eluxisse singularem ac divinam quandam majestatem: quum contrà Scribæ docerent frigidè & quasi trepidè. Hoc adeò liquet ex antithesi sententiarum Matth.7.v.ult. Docebat eos ut habens authoritatem, & non ut Scribæ.

33 *Spiritum dæmoniacum impurum.* πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου. Adverb. Spiritum dæmonii impuri. Quam constructionem similem esse puto illi Rom. 4. 11. Accepit Abraham σημεῖον, περιτομῆς, signũ circumcisionis, nam utrobique

nomen regens per genitivum speciei declaratur & restringitur. nam circumcisio species erat signi, & dæmonium species est spiritus. *Qui exclamavit* καὶ ἀνέκραξε. Qui scil. Spiritus: ut patet ex v. seq. Ad verb. Exclamavit scilicet spiritus ille.

34 *Quid nobis tecum?* τί ἡμῖν καὶ σοί. Quid nobis tecum negotii est? quasi dicant, nihil. Non facessimus tibi negotium: non sumus tibi molesti: sinimus te res tuas agere. Nota, pronomen σοί hîc esse scribendum cum accentu, propter emphasin: quam amittet, & ineptam planè pronuntiationem reddet, si patiatur ἔγκλισιν. Utitur autē istud dæmonium de sese loquens, numero plurali: conjungens sibi cætera dæmonia quę tum plurimos in Judæa obsederant. Nisi dicamus, plures dæmones in isto homine fuisse, quorum unus tantùm loquutus sit: sicut Marc. 5. 9. & infrà 8. 30. Sed prius verius puto: quia nulla hîc fit plurium mentio, ut in istis locis: imò unius tantùm hîc fit mentio. *Sanctus ille Dei.* ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Vide scholia Marc. 1. 34.

36 *Et obortus est pavor in omnibus.* καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας. Ad verb. Et factus est pavor super omnes. *Quid hoc rei est?* τίς ὁ λόγος οὗτος. Ad verb. Quis sermo iste? Λόγος pro ῥῆμα: & ῥῆμα verbum, pro re: phrasi Hebraicâ. *Cum authoritate.* ἐν ἐξουσίᾳ. Id est, μετ' ἐξουσίας. Hebraismus.

37 *Rumor.* ἦχος. Ad verb. Sonus. Synecdoche generis. *Circumjacentis regionis.* τῆς περιχώρου. Scil. γῆς vel χώρας.

38 *Pro illa.* περὶ αὐτῆς. Pro, ὑπὲρ αὐτῆς. Sic Matth. 26. 28. τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον: pro, ὑπὲρ πολλῶν.

39 *Ministravit eis.* διηκόνει αὐτοῖς. Nempe apparando cœnam. Synecdoche generis.

40 *Sanavit.* ἐθεράπευσεν. Ad verb. Curavit. Metonymia effecti destinati καταχρηστικὴ, Evangelistis in hoc verbo usitata.

41 *Filius ille.* ὁ υἱός. Nempe unigenitus ille. Hoc notat articulus.

43 *Etiam.* ὅτι καὶ. Conjunctio ὅτι servit mimesi. *Missus sum.* ἀπέσταλμαι. Nempe à Patre meo, id est Deo.

44 *Itaque.* καὶ. Copulativa pro illativa.

OB-

OBSERVATIONES EX CAP. IIII.

Quid obſervandum ſit ex hiſtoria tentationis Domini in deſerto, annotavi ad caput quartum Matthæi. Inde lector poterit petere. διδ.

Ex v.14.& 15. Virtute Spiritus ſancti opus eſt ad Evangelium rectè & cum fructu prædicandum. Quare opem illius inprimis implorare oportet. πωιδ.

Ex v.16. & ſeq. Notanda pars argumenti quo probatur Jeſum eſſe Chriſtum: quia ſcil. in ipſo impleta eſt prophetia Eſaiæ de adminiſtratione muneris Prophetici Chriſti. διδ.

Ex v.18 & 19. Per Evangelium offertur nobis ſolida conſolatio contra omnis generis ſpiritualia mala. Quare Evangelium ſedulò audiamus & fide amplectamur. διδ. πωιδ.

Ex v.16.17.20.& 21.Doctores Eccleſiæ exemplo Chriſti, primùm legere debent textum aliquem ex Scriptura: deinde eundem debent explicare. πωιδ.

Ex v.22.23.& 24.Pii doctores Eccleſiæ contra contemptum imperitorum conſolentur ſeſe exemplo Chriſti. πωρ.

Ex v.25.26.& 27. Deus ſuâ gratiâ dignatur non omnes, ſed quos viſum eſt. Quare quum nos ſuâ gratiâ fuerit dignatus, patefaciendo ſe nobis per Evangelium, & fide donando; agnoſcamus maximum Dei beneficium, eiq; gratos nos declarare ſtudeamus. πωρ. πωιδ.

Ex v.28. & 29. Impii quò aſperiùs reprehenduntur, eò apertiùs furunt. Ne igitur hac re offendamur: quum videamus hoc ipſi Chriſto accidiſſe. διδ. πωρ.

Ex v.30.Deus pios doctores mirabiliter ſæpe liberat ex manibus impiorum. διδ.

Ex v.31. & deinceps. Quid ex hac parte capitis diſcendum ſit, annotavi ad primum caput Marci, v.21. & deinceps.

Ex v.38. & ſeq. quid obſervandum ſit, annotavi ad caput Matthæi octavum v.14. & deinceps.

Ex v.42. & ſeq. Non debent committere paſtores Eccleſiæ, ut in vocationis ſuæ curſu ſeſe patiantur retardari. πωιδ.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narrantur aliquot miracula Christi: deinde defensio contra reprehensiones Scribarum & Pharisæorum. Primùm narratur miraculum capturæ piscium, usque ad v. 12. Deinde miraculum purgati leprosi, usque ad v. 17. Tum miraculum sanati paralytici, usque ad v. 27. Quartò narratur vocatio Levis, id est, Matthæi, v. 27. & 28. Quintò narratur defensio contra reprehensionem conversationis cum publicanis, usque ad v. 33. Sextò & postremò narratur defensio contra criminationem indulgentiæ erga discipulos, usq; ad finem.

PARS PRIMA.

Miraculum capturæ piscium.

FActum est autem, quum turba immineret ei, audiendi verbi Dei causâ, tum ipse stabat apud lacum Gennesaret:

2 Viditq; duo navigia quæ ad lacum stabant; piscatores verò ex iis descenderant, & abluebant retia.

3 Ingressus autem unum istorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum ut à terra proveheret paululum: quumq; consedisset, docebat turbam ex navigio.

4 Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Provehito in altum, & demittite retia vestra ad capturam.

5 Tum respondens Simon ait ei; Magister, quamvis per totam noctem nos fatigavimus, nihil cepimus: tamen ex tuo jussu demittam rete.

6 Et quum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem magnam, dirumpebatur autem rete eorum.

7 Et innuerunt sociis qui erant *in altero navigio ut venirent, & ipsis opitularentur. Venerunt igitur, & impleverunt ambo navigia, ita ut mergerentur.*

8 Quum autem hæc vidisset Simon Petrus, accidit ad genua Jesu, dicens; Exi à me. Nam homo peccator sum, Domine.

9 Pavor enim occuparat eum & omnes qui cum eo erant, *super capturâ piscium quam comprehenderant;*

10 *Similiter*

10 *Similiter autem & Jacobum & Johannem filios Zebedæi, qui erant socii Simoni. Tunc ait ad Simonem Jesus, Ne metue: ab hoc tempore homines capies.*

11 Illi *autem quum subduxissent in terram navigia, relictis omnibus, secuti sunt eum.*

Primùm indicantur adjuncti spectatores seu testes, 2. locus, 3. occasio, 4 finis seu scopus, 5. forma seu modus agendi, 6. miraculum ipsum, 7. eventa. Spectatores seu testes fuerunt Galilæi qui ipsum sectabantur audiendi verbi Dei causâ, v. 1. Locus fuit lacus Genneſaret, ibid. Occasio fuit ingressio Domini in navem Petri, v. 2. & 3. Finis seu scopus, fuit confirmatio doctrinæ tunc à Domino propositæ: ut percipitur ex fine versus tertii & principio quarti inter se collatis: ubi dicitur, *Docebat turbam ex navi: ut cessavit autem loqui, dixit* &c. Forma seu modus agendi duo membra continet; mandatum Domini ad Petrum, & mandati exsequutionem. Mandatum est bimembre: 1. ut navim provehat in altum, 2. ut cum sociis rete demittat ad capturam, v. 4. Exsequutio mandati illustratur ex adjuncta Petri promissione, qua Domino promittit, se, quod ille jubebat, facturum. Quæ ipsa promissio amplificatur antithesi causæ corrumpentis, nempe confessione irriti laboris paulo antè in capiendis illic piscibus à se susceptí, v. 5. Miraculum ipsum narratur & amplificatur ex adjuncta multitudine, v. 6. Illa autem multitudo declaratur ex effectis tribus: videlicet diruptione retis, v. eodem: necessitate opitulationis sociorum ad extrahendum rete, v. 7: & impletione duarum navium, ibid. Quæ ipsa impletio amplificatur ex effectu, videlicet mersione navium, ibid. Eventa narrantur tria: primum, adoratio Petri qua Dominum adoravit, v. 8. Secundum, pavor tum Petri tum cæterorum qui cum ipso erant, v. 9 & 10. Hic pavor illustratur ex eventu, videlicet consolatione Domini qua illum lenivit promissione similis efficaciæ prædicationis Petri suo tempore futuræ in capiendis, id est, ad Deum convertendis, hominibus: v. 10. Tertium eventum fuit, quòd Petrus & socii ipsius Dominum relictis omnibus suis rebus secuti sunt.

PARS SECUNDA.

Miraculum purgati leprosi.

12 *Et factum est, quum esset in quadam urbium illarum, tum ecce* adfuit *vir plenus lepra: ac viso Jesu procidens in faciem, precatus est eum, dicens; Domine, si velis, potes me purgare.*

13 Jesus *autem extensa manu tetigit eum, dicens; Volo purgator. Et statim lepra abiit ab eo.*

14 *Ipse verò præcepit ei ut nulli* hoc *diceret: sed vade,* inquit, *ostende te Sacerdoti, & offer pro purgatione tui, prout præcepit Moses, in testimonium adversus ipsos.*

15 *Diminabat autem eo magis sermo ille de eo: & conveniebat turba multa ut audirent* eum, *& per eum sanarentur à morbis suis.*

16 *Ipse autem secedens, erat in desertis, & precabatur.*

Primùm indicatur locus, 2. occasio, 3. causa impulsiva, 4. modus agendi, 5. miraculum ipsum, 6. adjuncta adhærentia, 7. eventa.

Locus ubi hoc miraculum factum est, significatur indefinitè, nempe *in quadam illarum urbium*, videlicet urbium Galilææ, ex collatione versus ultimi in capite præcedente. Occasio Domino oblata ad hoc miraculum edendum, fuit præsentia leprosi, *Tum ecce vir plenus lepra.* Causa impulsiva quæ Dominum movit ad leprosum istum purgandum, fuit petitio ipsius ex fide profecta: *Domine si velis, potes me purgare.* Hæc petitio amplificatur ab adjuncto gestu petentis honorifico, nempe quòd procidit in faciem coram Jesu: qui est gestus adorantis. Modus agendi duo continet, gestum agentis & sermonem. Gestus fuit, quòd extensâ manu leprosum tetigit. Sermo duo item continet: testificationem de sua voluntate, *Volo*: & mandatum, *Purgator*. Miraculum ipsum indicatur his verbis, *Et statim lepra abiit ab eo.* Adjuncta adhærentia narrantur duo: interdictum ad leprosum jam purgatum de miraculo illo non divulgando, scilicet continuò: & mandatum de sese ostendendo Sacerdoti, & oblatione secundùm Legem facienda pro sui purgatione. Hæc ostensio amplificatur ex eventu atque adeò ex fine mandantis: nempe ut cedat

cedat in testimonium adversus sacerdotes: hoc est, ut reddantur coram Deo inexcusabiles repudiando Jesum: cujus miracula divina & Messiæ propria ore suo, quamvis incogitantes, approbarant. Eventa narrantur tria: quorum alia ex aliis consequuta sunt. 1. Sermo seu fama de Jesu. 2. Adventus turbæ mulcæ ut audirent Jesum & per eum sanarentur à morbis suis. 3. Secessio Jesu in deserta ad precandum.

PARS TERTIA.

Miraculum sanati paralytici.

17 *Et factum est quodam dierum illorum quum ipse doceret, essentq; Pharisæi sedentes ac Legis doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Judææ & ex Hierusalem: & potentia Domini adesset ei ad sanandum illos:*

18 *Tunc ecce* adfuerunt *viri ferentes in lecto hominem qui erat paralyticus: & studebant eum inferre, & ponere in conspectu.*

19 *Et quum non invenissent quâ eum inferrent, propter turbam; ascenderunt in solarium, & per tegulas demiserunt eum cum lectulo in medium, ante Jesum.*

20 *Qui fide eorum visâ, dixit; Heus tu, remissa sunt tibi peccata tua.*

21 *Tunc cœperunt ratiocinari Scribæ & Pharisæi, dicentes, Quis est iste qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?*

22 *Jesus autem animadversis eorum cogitationibus respondens dixit eis; Quid cogitatis in cordibus vestris?*

23 *Utrum est facilius dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula.*

24 *Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata; ait paralytico, Tibi dico, surge, & sublato lectulo tuo, abi domum tuam.*

25 *Is autem illico surrexit in conspectu eorum, & sublato eo in quo jacuerat, abiit domum suam, glorificans Deum.*

26 *Et stupor cepit omnes, & glorificabant Deum: & repleti sunt timore, dicentes, Vidimus in opinatis hodie.*

Primùm indicatur tempus, 2. ſpectatores ſeu teſtes, 3. cauſa procreans, 4. cauſa impulſiva, 5. præparatio ſeu effectum deſtinatum, 6. modus agendi, 7. miraculum ipſum, 8. eventa.

Tempus notantur ex adjuncta Domini actione, his verbis: *Et factum eſt quodam dierum illorum quum ipſe doceret.*

Spectatores ſeu teſtes fuerunt Phariſæi ac Legis doctores qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Judææ & ex urbe Hieroſolyma, v. 17. Item viri illi qui paralyticum attulerant, v. 18. & 19. Necnon turba plebeiorum, v. 19. & 26. Cauſa procreans fuit potentia Dei tunc ſeſe exſerens in Jeſu ad ſanandum ægrotos qui ei offerebantur, v. 16. Cauſa impulſiva fuit petitio paralytici & eorum qui ipſum ad Dominum afferebant, petitio inquam ex fide profecta, v. 18. 19. & 20. Petitio illa ſignificatur ex facto illorum, videlicet oblatione paralytici ante Jeſum. Iſta oblatio amplificatur ex adjuncto offerentium ſtudio, v. 18: quod ipſum ſtudium declaratur ex cauſa corrumpente, videlicet obſtaculo turbæ quæ domum occupaverat: & obſtaculi illius amolitione, videlicet demiſſione paralytici per tectum effoſſum, v. 19. Præparatio qua Dominus tum paralyticum tum ſpectatores ad ſanationem illius mox à ſe futuram præparavit, atque in illius ſpem erexit, fuit annuntiatio remiſſionis peccatorum qua teſtificatus eſt Dominus ſe illi remittere peccata ſua, v. 20. Iſta annuntiatio declaratur ex eventis, videlicet Scribarum atque Phariſæorum criminatione & Domini defenſione. Criminatio fuit quòd Jeſus blaſphemiam locutus ſit, ſive quòd Deum blaſphemavit. Argumentum criminationis ducebant à proprio adjuncto Dei, ut qui ſolus poſſit remittere peccata. Syllogiſmus:

Qui honorem Dei proprium ſibi uſurpat, blaſphemus eſt.

Iſte honorem Dei proprium ſibi uſurpat.

Iſte igitur blaſphemus eſt.

Proſyllogiſmus aſſumptionis:

Qui peccata alteri remittit, honorem Dei proprium ſibi uſurpat. Solus enim Deus poteſt remittere peccata.

At

At iste peccata alteri remittit.

Ergo iste honorem Dei proprium sibi usurpat.

In textu exprimitur tantùm conclusio syllogismi principalis, amplificata admiratione detestabunda, ibi: *Quis est iste qui loquitur blasphemias?* Et approbatio propositionis prosyllogismi, amplificata interrogatione quæ habet vim communicationis rhetoricæ, atq; ita includit approbationem à testimonio seu confessione illorum ad quos habetur sermo, ibi: *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Defensio Christi nititur argumento à pari, Possum paralyticum istum solo mandato sanare: Ergo possum etiam remittere ei peccata, quippe quum utraque potentia par sit & æqualis, nempe divina. Syllogismus:

Si potestatem habeo remittendi hominibus peccata, non blasphemavi remittens isti paralytico peccata.

Sed habeo potestatem remittendi hominibus peccata.

Non igitur blasphemavi remittens isti paralytico peccata.

Assumptionis prosyllogismus:

Si habeo potestatem atque potentiam sanandi quos velim, habeo etiam potestatem atque potentiam remittendi peccata quibus velim. nam utrumque æque difficile est ac Dei proprium.

At habeo potestatem atque potentiam sanandi quos velim, id quod ipso facto jamjam demonstro, præcipiens paralytico ut surgat &c.

Ergo habeo quoque potestatem atque potentiam remittendi peccata quibus velim.

In textu primò ponitur sententia conclusionis, concepta synecdochicè, verbis scil. generalibus, & exornata interrogatione elenctica, *Quid cogitatis in cordibus vestris?* quasi dicat: Non debebatis cogitare me blasphemasse remittendo peccata: non enim blasphemavi. Secundo loco sequitur ratio propositionis prosyllogismi, his verbis: *Utrum est facilius? dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula.* Tertio loco annectitur assumptio syllogismi principalis, ibi: *Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata.* Atque hæc de miraculi præparatione.

Modus agendi fuit per mandatum: *Tibi dico, surge &c.*

Miraculum ipsum narratur vers. 25 *Is autem illico surrexit* &c. Eventa narrantur tria. 1. Paralyticus sanatus glorificavit Deum. 2. Stupor cepit omnes. 3. Glorificarunt Deũ. Hæc duo posteriora eventa repetuntur & glorificatio illa specialiter declaratur, his verbis: *Et repleti sunt timore, dicentes, Vidimus inopinata hodie.*

PARS QUARTA.

Vocatio Matthæi.

27 *Posthæc verò exiit, & conspexit publicanum nomine Levin, sedentem ad telonium; & dixit ei, Sequere me.*

28 *Et* ille *relictis omnibus surrexit, & sequutus est eum.*

Primùm indicatur vocandi occasio, 2. conditio ejus qui vocabatur, 3. nomen ejusdem, 4. locus, 5. vocatio ipsa, 6. eventus.

Occasionem Domino ad vocandum Matthæum præbuit, quòd illum inter prætereundum conspexit. Conditione Matthæus erat publicanus. Nomen ei erat Levi. Itaq; erat binomius: nam ipse se in ejusdem historiæ narratione Matthæum nominat.

Locus ubi fuit vocatus, erat telonium ad quod sedebat. Vocatio continetur his verbis, *Sequere me.* Eventus vocationis fuit, quòd statim relictis rebus suis surrexit, & Dominum ut jussus erat, secutus est.

PARS QUINTA.

Defensio contra reprehensionem conversationis cum publicanis.

29 *Et fecit ei Levis epulum magnum domi suæ: eratq; turba multa publicanorum, & aliorum qui cum ipsis accumbebant.*

30 *Obmurmurabant autem ei Scribæ ac Pharisæi, dicentes ad discipulos ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?*

31 *Et respondens Jesus dixit eis, Non opus est iis qui sani sunt, medico: sed iis qui male se habent.*

32 *Non vẽni ut vocarẽ justos, sed peccatores, ad resipiscentiã.*

Primùm

Primùm narratur reprehensionis istius occasio, deinde reprehensio ipsa, postremò defensio. Occasionem Scribis ac Pharisæis ad Dominum propter conversationem cum publicanis reprehendendum præbuit cpulum quo exceptus fuit à Matthæo, accumbentibus & alus publicanis, v. 29. Reprehensionis argumentum ducitur à publicanorum moribus, v. 30: Publicani sunt peccatores: Ergo vos (inquiunt ad discipulos Domini) & vester præceptor non debebatis cum illis edere & bibere: quum scil. velitis haberi pro sanctis & honestis viris. Syllogismus:

Sancti non debent habere commercium cum impuris.

Vos estis, aut saltem haberi vultis, sancti: publicani verò, sunt impuri.

Vos igitur cum publicanis non debebatis habere commercium.

Defensio continetur v. 31. & 32. Pertinet autem ad negandum propositionem syllogismi reprehensorii, quatenus ea intelligitur universaliter: quæ quidem particulariter intellecta ἀσυλλογίστως parit: quum in prima figura non liceat syllogismum facere ex propositione particulari. Porrò falsitatem propositionis ostendit Dominus distinctione finium. nam sancti non debent commercium habere cum impuris hoc fine atque proposito, ut ipsorum peccata dissimulent & conversatione familiari foveant vel etiam adjuvent: at debent commercium cum illis habere hoc proposito, ut eos seria commonefactione adducant ad resipiscentiam, atque ita eos salvos faciant. Hanc sententiam illustrat Dominus simili à medico per sententiam proverbialem: atque ita argumentum violenter invertit. Scribæ dicebant: Publicani sunt peccatores: Non igitur cum illis commercium habere debet præceptor vester. Dominus invertit ad hunc modum: Publicani sunt peccatores: Ergo debeo cum illis habere commercium, nempe ut eos à peccatis revocem. nam officium medici est, ægrotos curare. Syllogismus:

Si publicani sunt ægroti, & ego medicus: officium meum est illos curare: ac proinde cum illis versari.

At illi sunt ægroti (nempe spiritualiter, id est, peccatores) & ego sum medicus, nempe spiritualis seu animarum.

Ergo officium meum est, publicanos curare, id est, operam dare ut eos sanctis monitis ad resipiscentiam adducam.

Simul autem perstringit Dominus hypocrisin adversariorum, quum ait, se non venisse (missum scil. à Deo patre) ut vocaret justos. quibus verbis innuit, Scribas & Pharisæos videri sibi justos atque sanctos, sed falsò: atque ita simul eis denuntiat exitium: ut qui morbos suos nolint agnoscere, ac proinde medicinam respuant.

PARS SEXTA

Defensio contra criminationem indulgentiæ erga discipulos.

33 *Ipsi verò dixerunt ei, Quare discipuli Johannis jejunant crebrò, & deprecationes faciunt, similiter & discipuli Pharisæorum: tui verò edunt & bibunt?*

34 *Ipse autem dixit eis, Num potestis facere ut filii thalami, quo tempore cum ipsis est sponsus, jejunent?*

35 *Venient autem dies quum tolletur ab eis sponsus, tunc jejunabunt, illis diebus.*

36 *Dicebat autem eis etiam parabolam, Nemo panniculum novi vestimenti indit in vestimentum vetus: alioqui & illud novum findit* vetus, *& veteri non convenit panniculus sumptus ex novo.*

37 *Et nemo indit vinū novū in utres veteres: alioqui disrumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt:*

38 *Sed vinum novum in utres recentes indendum est: & utraque conservantur.*

39 *Et nemo qui biberit vetus, statim vult novum: dicit enim, Vetus melius est.*

Primùm narratur criminatio, v. 33. Deinde defensio versibus reliquis. Criminatio nititur exemplo discipulorum Johannis & Pharisæorum. Illi jejunant: ergo tuos quoque discipulos debebas assuefacere ad jejunandum. quia scil. non vis haberi minor doctor quàm vel Johannes vel Pharisæi, sed potiùs major.

Defensione negatur consequentia connexi hujus, Si discipuli Johannis & Pharisæorum assuefiant à suis præceptoribus

ceptoribus ad jejunandum, ergo & Jesus suos sic debet assuefacere. Hoc negat, quatenus ostendit causas justas cur debeat discipulos suos habere indulgentius, non autem austeriùs tractare. Unam causam petit ab adjuncto adhærente sibi: alteram ab adjuncto inhærente discipulorum. Prior est: Ego sum sponsus, & illi filii thalami, id est, familiares sponsi. Ergo quamdiu cum eis versor, indulgendum est eis gaudium. Hoc argumentum amplificat à contrario, nempe futura ablatione sui: tum demum fore jejunandi tempus. Altera causa: Sunt adhuc rudes & infirmi in negotio religionis: Non igitur sunt gravandi rigidiore disciplina. Secus periculum est ne penitus à religione & salute avertantur. Hoc significat Dominus duobus similibus: quorum uno eos comparat vestimento veteri, altero utribus veteribus. Sententia est: Sicut vestimentum vetus finditur, si assuatur panniculus novus: sic discipuli mei rudes averterentur à religione vera, si cogerentur jejunare. Item, Sicut vestimento veteri non convenit panniculus novus: ita discipulis meis non convenit jejunium. Item, Sicut utres veteres rumpuntur infuso vino novo, ipsumque vinum effunditur ac perit: Sic discipuli mei à vera religione averterentur si cogerentur jejunare, & ita jejunium frustra ab eis susciperetur. Cæterùm occasione similis posterioris de utribus veteribus & vino novo annectit Dominus aliam sententiam de vino novo ac veteri: qua quid sibi velit, haud satis liquet. Non incommodum mihi quidem videtur, si dicamus: Dominum in illa sententia vino veteri comparare facilitatem suam atque humanitatem cui discipuli jam assueverant: novo autem rigorem atque austeritatem cui non assueverant. quasi dicat: Sicut nemo qui biberit vetus vinum, statim vult novum: dicit enim, Vetus melius (hoc est, suavius) est: ita discipuli mei qui jam assueverunt meæ facilitati atque humanitati, non expetunt à me rigidiorem atque austeriorem disciplinam, sed potiùs ab ea abhorrent. Itaque nolo eos gravare, quum non sit opus.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 *Audiendi verbi Dei causâ.* τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Subauditur ἕνεκα vel χάριν. *Tum.* ἤ. Copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum.

3 *Rogavit.* ἠρώτησεν. Id est, oravit. Verbum ἐρωτᾶν apud Græcos, sicut & Rogare apud Latinos, idem propriè valet quod interrogare seu quærere: sed pro *orare* utrumque usurpatur per metonymiam adjuncti, à modo scil. orandi quo uti solemus in familiari sermone: dicentes verbi gratiâ, Placétne tibi hoc facere: vel, Visne hoc facere: quum volumus dicere, Velim te hoc facere, oro te ut hoc facias. *Provehеret.* ἐπαναγαγεῖν. In altum subvehеret: scil. τὸ πλοῖον, navigium suum.

4 *Ut cessavit loqui.* ὡς ἐπαύσατο λέγων. Pro, λέγειν. Græcismus. *Provehito.* ἐπανάγαγε. Scil. τὸ πλοῖον, navigium.

5 *Magister.* ἐπιστάτα. Nomen ἐπιστάτης Latinè præfectũ vel antistitem sonat.

6 *Ex tuo jussu.* ἐπὶ τῷ ῥήματί σου. Ad tuum verbum, id est, mandatum. Synecdoche generis.

7 *Ut ipsis opitularentur.* τοῦ συλλαβέσθαι αὐτοῖς. Supple ἵνα. Ad verb. Ut unâ vel simul prehenderent, scil. rete.

8 *Exi.* ἔξελθε. Scil. è navigio. *Homo peccator.* ἀνὴρ ἁμαρτωλός. Ad verb. Vir peccator. Hebraicè איש חטא isch chattâ. Sic Num. 32. 14. Et ecce surrexisti loco patrum vestrorũ, turba אנשים חטאים anaschím chattâím, Viri peccatores.

9 *Super capturâ.* ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ. Id est, Propter pisces captos. Metonymia adjuncti. *Quam comprehenderant.* ἣν συνέλαβον. Pro, ἐκείνη ἣν συνέλαβον.

10 *Similiter autem & Jacobum.* ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον. Scil. ἔκθαμβος ἐγένετο, occuparat pavor. *Socii.* κοινωνοί. Suprà v. 7. nominavit μέτοχους, id est, participes. κοινωνοί, Germanicè *Semeyner*, nominantur qui commune artificium aut negotiationem tractant, unde commune lucrum & commune item damnum percipiunt. Latina vox *Socii*, latiùs patet: nam & σύμμαχοι (id est socii belli) socii nominantur. Est tamen synecdoche illa generis usitata. Cicero 5. Verrinâ: *Nam socii putandi sunt quos inter res communicata est.* In oratione item pro Quintio, dicitur *Quintius fecisse societatem cum*

Sex.

Sex. Novio, earum rerum quæ in Gallia comparabantur. Ab hoc tempore. ἀπὸ τῶν νῦν. Scil. ὄντος χρόνου. Pleniùs sic, ἀπὸ τῶν χρόνου τῶν νῦν ὄντος: ab eodem tempore quod nunc est. Græcismus. *Homines capies.* ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. Scil. instar pisciũ: quod ipsum connotat verbum ζωγρεῖν: quod sonat vivum capere, ζῶν ἀγρεῖν, id est, ἀγρεύειν: & quidem capere venando, quo modo capiuntur tum feræ, tum aves & pisces. Non tamen videtur satis aptum, si hîc vertas: *Homines vivos capies.* Id enim Græcè esset, ἀνθρώπους ζῶντας ἀγρεύσεις.

11 *Quum subduxissent.* καταγαγόντες. Verbum κατάγειν significat deducere: subducere verò ἀνάγειν est, ut suprà v. 3. ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν, à terra (navem) subducere, scil. in altum, quod ipsum additur v. 4. Interim Latini sermonis consuetudine dicitur *subduci* navis, quum ex aqua in terrã subducitur: *deduci* verò quum ex terra deducitur in aquam: ut liquet ex his exemplis. Virgilius 1. Æneid.

Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et sylvis aptare trabes, & stringere remos.

Sunt verba Ilionei ad Didonem quibus petit ut Trojanos hospitio recipiat. Cæsar 3. Bell. civil. *Naves reliquas, si velles, subduci & refici juberet.* Virgil. 1. Georg.

Hinc tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus, hinc messisq; diem tempusq; serendi,
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere classes.

Item lib. 3. Æneid.

Deducunt socii naves, & littora complent:
Provehimur portu, terræq; urbesq; recedunt.

Fortasse autem hîc est ellipsis Hebraica, qua ex antecedente intelligitur consequens, seu ex effecto destinato finis. Quasi dicatur: καταγαγόντες τὰ πλοῖα καὶ ὑπαγαγόντες ἐπὶ τὴν γῆν: quum naves ex alto deductas subduxissent in terram.

12 *Tunc ecce.* καὶ ἰδοὺ. Copulativa pro relativa temporis, more Hebraico.

13 *Extensâ manu.* ἐκτείνας τὴν χεῖρα. Id est, quum extendisset manum suam.

14 *In testimonium adversus ipsos.* εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. Id est, ut hoc cedat in testimonium &c. Pendent autem hæc

verba non ab imperativis illis, *Vade, Offer*: neque enim referuntur ad consilium leprosi: sed pendent à sententia subintellecta, nempe ista, *Hoc autem volo fieri*: nam referuntur ad consilium ipsius Domini. Cæterùm αὐτοῖς idem hîc valet quod ἐπ' αὐτοῦ in eâdem sententiâ infrà 9.5.

15 *Sermo ille.* ὁ λόγος. Id est fama illa de purgato leproso, idque divulgante rem istam ipso leproso: ut declarat Marcus cap. 1. v. ult. *Eo magis.* μᾶλλον. Quasi dicat, Quo magis Dominus divulgatione ista celeri interdixerat, eò magis fiebat. *Ut audirent* eum. ἀκούειν. Pro, τοῦ ἀκούειν scil. ἕνεκα. item αὐτὸν· ut audirent eum, scil. docentem. *Et sanarentur.* καὶ θεραπεύεσθαι. Ad verb. *Curarentur.* Metonymia effecti destinati καταχρηστικὴ. neque enim τὴν θεραπευτικὴν, id est artem medendi Dominus factitabat. *Per eum.* ὑπ' αὐτοῦ. Ad verb. Ab eo. Sed quoniam sequitur ἀπὸ τῶν ἀσθενειῶν, à morbis: consulendum fuit commoditati sermonis.

17 *Quodam dierum illorum.* ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν. Scil. quibus Jesus docebat populum & sanabat ægrotos, v. 15. Articulus vim habet ἀναφορικὴν. *Ex omnibus vicis.* ἐκ πάσης κώμης. Ad verb. Ex omni vico. *Potentia Domini adesset* ei. δύναμις Κυρίου ἦν. Id est, quum potentia Dei adesset Christo Subauditis scil. verbis, ἐπ' αὐτόν: quo modo dicitur suprà 2. 40. χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτὸ. scil. τὸ παιδίον. Gratia Dei erat super ipsum, puerulum: hoc est, aderat ei. *Ad sanandum illos.* εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτοῦ. Accipiendum propriè de sanatione corporis: ut percipitur ex cohærentia historiæ sequentis de sanato paralytico.

18 *Paralyticus.* παραλελυμένος. Ad verbum, Resolutus. scilicet nervis: hoc est, cujus nervi erant resoluti. Celsus lib. 3. cap. 27. *At resolutio nervorum, frequens ubique morbus est: sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres authores illud* ἀποπληξίαν, *hoc* παράλυσιν *nominaverunt. Nunc utrumque paralysin appellari video.* Hæc ille. *Studebant.* ἐζήτουν. Cupiebant. Ad verbum, quærebant.

19 *Quâ.* διὰ ποίας. Quâ scil. viâ: διὰ ποίας ὁδοῦ. Ellipsis elegans. Cic. 3. Philippicâ: *Ipse in templum nescio quâ per cuniculum ascendit. Propter turbam.* διὰ τὸν ὄχλον. Id est, propter

pter obstaculum turbæ: quæ omnem aditum occuparat. *In solarium.* ἐπὶ τὸ δῶμα. Vel, supra domum: hoc est, supra tectum. Tecta enim in domibus Judæorum erant plana. *Per tegulas.* διὰ τῶν κεράμων. Id est, per foramen inter tegulas effectum. nam (ut Marcus ait) tectum detexerunt (puta ex parte aliqua) atque perfoderunt. Metonymia subjecti.

20 *Fide eorum.* πίστιν αὐτῶν. Nempe tum ipsius paralytici, tum eorū qui ipsum apportaverant. *Homo tu es.* ἄνθρωπε. O homo: vel, mi homo.

21 *Dicentes.* Λέγοντες. Scil. in cordibus suis, hoc est, cogitantes: ut declaratur versu sequente.

23 *Utrum est facilius?* τί ἐστιν εὐκοπώτερον; τί, pro πότερον. Quasi dicat: Neutrum est altero facilius: sed utrumque æque difficile, ac proprium divinæ potentiæ. Quanquam nihil absurdi erit, si dicamus, hîc institui collationem imparium, sed imparium judicio humano: cui facilius videtur, *Remittere peccata*, quàm *Verbo sanare*. Ex hac igitur hypothesi ratiocinatio Domini ducta fuerit à minori, in hunc sensum:

Si possum verbo sanare: multo magis possum remittere peccata.

Atqui possum verbo sanare.

Ergo multo magis possum remittere peccata.

Ratio connexi à minori, id est, à sententia minus-probabili. Minùs enim probabile est aliquem posse efficere id quod videtur difficilius, quàm id quod facilius. Quanquam isto genere interrogationis innui solet affirmatio membri posterioris: ut apud Cic. in oratione pro Fonteio: *Videte igitur utrum sit æquius: hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum, dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus: an reddi amicis?* quasi dicat: Non illud; sed hoc, æquius est. Ita hoc loco exponendum esset: *Utrum est facilius: dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula?* Quasi dicat, Non illud, sed hoc facilius est. Quæ expositio quum instituto Domini repugnet: alteram potiùs amplector, & parium collationem hîc institui puto.

24 *Filiũ hominis.* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Id est, me. *Ait paralytico.* εἶπε τῷ παραλελυμένῳ. Dixit resoluto illi. Hæc verba non sunt includenda parenthesi: constituunt enim apodosin periodi, per ellipsin directæ ἀποδόσεως; quæ esset talis, *Ex tempore sanabo hunc paralyticum.* pòst adderetur, *Tunc dixit paralytico.* vocant ἀποκοπὴν τῆς περιόδου, præcisionem comprehensionis.

26 *Vidimus.* ὅτι εἴδομεν. Conjunctio ὅτι servit mimesi.

27 *Levin.* Λεύειν. Hîc litera υ vim habet consonãtis Vau: ut apud Hebræos ipsum Vau: idque præter morem linguæ Græcæ: si tamen tenemus rectam hujus literæ in omnibus vocibus pronuntiationem. Et similiter ad imitationem Hebræorum potest scribi Δαυίδ, quod scribi solet Δαβίδ. Mirum autem videtur, si Græci caruerunt duobus illis sonis. Jod & Vau. Reperitur in Sibyllinis carminibus versus incipiens à voce Ἰουδαίων, trisyllabâ, constante nimirum è tribus syllabis longis: ubi necesse, Jota pronuntiare per consonantem Jod. Porrò iste Levis aliâs nominabatur Matthæus: ut videre est Matth. 9 9. Fuit Alphei cujusdam filius, Marc 2.14.

29 *Epulum.* δοχὴν. Græcum nomen dictum est παρὰ τὸ δέχεσθαι, ab excipiendo, scil. hospites seu convivas.

30 *Obmurmurabant autem eis.* καὶ ἐγόγγυζον αὐτῶν. Pro, κατ' αὐτῶν: murmurabant contra eos. *Editis.* ἐσθίετε. Scil. vos & magister vester: qui solus nominatur Matth. 9.11. & quem illi imprimis reprehensum volebant.

31 *Et respondens.* καὶ ἀποκριθεὶς. Scil. Quum istud murmur audisset, ut est Matth. 9.12.

32 *Ut vocarem.* καλέσαι. Pro, τοῦ καλέσαι. scil. ἕνεκα.

33 *Ipsi verò.* οἱ δὲ. Pro, αὐτοὶ δὲ. Græcismus.

34 *Num potestis.* μὴ δύνασθε. Quasi dicat, Minimè potestis. *Filii thalami.* τοῦ υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος. Vide scholia in Matth. 9.15. *Quo* tempore. ἐν ᾧ. Supple χρόνῳ. Id est, ἐν ἐκείνῳ χρόνῳ ἐν ᾧ sive καθ' ὅν. Elegans loquendi compendium.

35 *Venient autem dies quum tolletur* &c. ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι καὶ ὅταν &c. Conjunctio καὶ videtur errore huc trajecta, quũ præponi deberet adverbio τότε: ut liquet tum ex sermonis genere, tũ ex collatione Marci cap. 2. v. 20. *Tunc jejunabunt,*

illis

illa die bonus, vere vacuus evolvit ex eadem rete piscator. Pleonasmus.

36 *Findit vetus.* σχίζει. Scil. τὸ πλήρωμα. Pro quo apud Marcum legitur, τὸ πλήρωμα αἴρει τὸ καινὸν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ, Supplementum ejus novum aufert aliquid à vetere.

39 *Vetus. παλαιὸν.* Subaudi οἶνον. Sic mox, παλαιὸς, scil, οἶνος. *Melius.* χρηστότερος. Id est, suavius: quia scil. lenius. neq; enim vinum vetus hic comparari puto cum musto, sed cum vino novo quod jam deferbuit, & adhuc acre est. Vetustate enim vina mitescunt: quia vetustas igneum calorem, acerbitatem & fæces è vino tollit.

OBSERVATIONES EX CAP. V.

Ex parte prima. Sicut Petrus unâ cum sociis frustra per totam noctem laboravit in capiendis piscibus: Christo autem per suam potentiam agente plurimos pisces cepit: ita doctores Evangelii frustra laborant in hominibus ad fidem adducendis & in cælum colligendis, nisi Christus per suam potentiam in illis fuerit efficax. Confer 1. Cor. 3. v. 6. & 7. *Qui plantat, nihil est* &c. *διδ.*

Ex v. 8. Exemplo Petri, Christus adorandus ut Deus. Confer exemplum cæci Joh. 9. v. 35. & deinceps. Item Thomæ, Joh. 20. v. 28. *διδ. παιδ.*

Ex v. 10. Christus efficax est per prædicationem Evangelii ad capiendum electos, ut Evangelio credant & salvi fiant. *διδ.*

Ex v. 11. Exemplo discipulorum vocatio Dei sequenda est, etiamsi relinquendæ nobis sint facultates nostræ. *παιδ.*

Ex parte secunda. Quid discendum sit ex historia leprosi, annotavi ad caput octavum Matthæi, v. 2. & deinceps.

Ex v 15. Gloria persequitur fugientem. Quare si veram gloriam desideramus, caveamus illam caprare: sed potius quantum in nobis est, eam fugiamus. Confer exemplũ Saulis latitantis quum esset electus rex, 1. Sam. 10. *διδ. παιδ.*

Ex v. 16. Exemplo Christi, pastores Ecclesiæ assiduè precentur, ut rectè possint fungi munere suo. *παιδ.*

Ex v. 17. & seq. Quid discendem sit ex historia sanati

paralytici; vide in Obſervationibus ex cap. 9. Matthæi, v. 2. & deinceps.

Ex v. 27. & ſeq. Quid diſcendum ſit ex hiſtoria vocationis Matthæi, vide in Obſervationibus ex cap. 9. Matth. v. 9. & deinceps.

Ex v. 33. & ſeq. Quid diſcendum ſit ex ſermone Domini de jejunio diſcipulorum, vide in Obſervationibus ex Matth. 9. v. 14. & deinceps.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Chriſtus defendit diſcipulos contra criminationem Phariſæorum de violato ſabbatho, uſque ad v. 6. Deinde ſanat manum cujuſdam aridam, ſeq; contra tacitam Phariſæorum criminationem de ſabbatho violato inde natam, defendit, uſque ad v. 12. Poſtremò elegit duodecim Apoſtolos, & ſermonem prolixum ad turbam habet, uſque ad finem.

PARS PRIMA.

Defendit diſcipulos contra criminationem Phariſæorum de violato ſabbatho.

1 *Factum eſt verò ut ſabbatho altero-primo pertranſiret ſata. Vellebant autem ejus diſcipuli ſpicas, edebantq; , confricantes manibus.*

2 *Quidam autem Phariſæorum dixerunt eis, Cur facitis quod non licet facere ſabbathis?*

3 *Tunc reſpondens Jeſus dixit eis, Ne hoc quidem legiſtis quod fecit David quum eſuriret ipſe & qui cum eo erant?*

4 *Quomodo introierit domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſerit, ederitq; , ac dederit etiam iis qui ſecum erant? quos panes non licet edere niſi ſolis ſacerdotibus.*

5 *Et dicebat eis, Filius hominis dominus eſt etiam Sabbathi.*

Primò indicatur tempus, 2. occaſio facti cui criminatio accidit, 3. ipſum factum ſeu objectum criminationis: ubi connotatur & occaſio ejuſdem, 4. ipſa criminatio,

minatio, 5. defensio. Tempus quo ista acciderunt, fuit sabbathum altero-primum. Occasio facti fuit transitus Domini cum discipulis per sata. Factum ipsum fuit, quòd vulserunt spicas confricaruntq; manibus atque ederunt. Occasio criminationis quæ hîc connotatur, fuit conspectio Pharisæorum. nam nisi factum illud vidissent, non habuissent occasionem criminandi. Criminatio continetur v. 2. his verbis: *Cur facitis quod non licet facere sabbathis?* Syllogismus:

Sabbatho non licet facere opus servile: quia scilicet Deus id vetuit.

Vos sabbatho facitis opus servile, vellendo scil. spicas & confricando.

Facitis igitur quod non licet.

Defensio qua Dominus factum illud discipulorum defendit, duobus constat argumentis: quorum prius continetur v. 3. & 4. posterius v. 5. Prius dictum est à pari, videlicet simili exemplo Davidis: quod concludi potest ad hunc modum:

Si David quum esuriret, edit panes propositionis: & tamen propterea à nemine pio reprehenditur: etiam discipuli mei non sunt reprehendendi, quod esurientes vulserunt spicas in sabbatho & edunt, quia scilicet par utriusque facti est ratio, nempe casus necessitatis: qua non habet Legem.

Atqui David quum esuriret, edit panes propositionis: & tamen propterea à nemine pio reprehenditur.

Ergo etiam discipuli mei non sunt reprehendendi &c.

In textu sola ponitur assumptio, confirmata testimonio Legis, & illustrata narratione facti plena, & amplificata antithesi causæ corrumpentis. Confirmatio autem ipsa exornata est communicatione rhetorica, qua continetur recriminatio aut inscitiæ aut malitiæ adversariorum per tacitum dilemma, ubi ait: *Ne hoc quidem legistis quod fecit David* &c quasi dicat: Aut legistis factum illud Davidis, aut non legistis. Si legistis: pudeat vos vestræ inscitiæ quòd nõ nostis illud ad usum applicare. Si verò nõ legistis: pudeat vos vestræ ignaviæ, qui non legeritis Scripturam

cujus vos profitemini interpretes. Narratio facti constat circumstantiis comitatus, loci & actionum conjunctarum: nempe quòd non solùm ipse esurierit, sed & qui cum eo erant: quòd introierit domum Dei, id est tabernaculum, ubi panes propositionis erant: quòd illos panes sumpserit, videlicet à sacerdote Abimelecho sive Abjathare: quòd de illis dederit etiam iis qui secum erant. Causa corrumpens quia ab illis panibus edendis poterat deterreri, fuit lex Dei qua panes illi solis sacerdotibus ad edendum erant concessi atque attributi. Alterum argumentum ductum est à genere:

Si habeo potestatem agendi in sabbatho quicquid velim: habeo etiam potestatem permittendi discipulis meis, ut in sabbatho vellant spicas.

Sed habeo potestatem agendi in sabbatho quicquid velim: sum enim dominus sabbathi: quippe illius institutor unâ cum Patre.

Ergo habeo quoque potestatem permittendi discipulis meis ut in sabbatho vellant spicas.

Hæc defensio non tam ad discipulos quàm ad Dominum ipsum pertinet: quippe quem & ipsum criminati fuerunt Phærisæi, quòd istud discipulis permitteret: ut videre est Matth. 12. v. 2. Cæterùm in textu sola ponitur approbatio assumptionis.

PARS SECUNDA.

Sanat manum cujusdam aridam: seq; contra criminationem Pharisæorum inde ortam (quasi scil. violasset sabbathum) defendit.

6 *Factum est verò etiam alio sabbatho ut ipse ingrederetur in synagogam, ac doceret. Erat autem ibi quidam cujus manus dextera erat arida.*

7 *Observabant autem eum Scribæ ac Pharisæi, an sabbatho sanaturus esset illum; ut invenirent accusationem adversus eum.*

8 *At ipse norat cogitationes eorum: & dixit homini qui habebat manum aridam; Surge, & sta in medium. Ille verò exsurrexit ac stetit.*

9 *Dixit*

9 *Dixit igitur eis Jesus, Interrogabo vos quiddam; Licéne sabbathis benefacere, an malefacere cuipiam? animam servare, an perdere?*

10 *Et quum eos omnes circumspexisset, ait homini, Extende manum tuam. Ille autem ita fecit: & restituta est manus ejus sana sicut altera.*

11 *Ipsi autem repleti sunt amentiâ: & colloquebantur alii cum aliis, quidnam facerent Jesu.*

Primò indicatur tempus, 2. locus, 3. finis seu scopus, 4. occasio, 5. causa corrumpens, 6. præparatio seu effectū destinatum, 7. remotio causæ corrumpentis, nempe defensio contra tacitam criminationē Pharisæorum: 8. forma, 9. eventus. Tempus quo Dominus hoc miraculum fecit, fuit sabbathum. Locus ubi fecit, fuit synagoga. Finis cujus gratiâ fecit, fuit confirmatio doctrinæ, quam in synagoga proposuerat. Occasio fuit, præsentia illius qui manum aridam habebat. Causa corrumpens quæ Dominum ab illo tunc sanando potuisset deterrere, fuit observatio inimica Scribarum ac Pharisæorum, & propositum accusandi tanquam violatorum sabbathi, si illum tunc sanaret. Præparatio qua Dominus & illum male-affectum & spectatores ad hoc miraculū præparavit, seu actio quam illis in spem miraculi erigendis destinavit, fuit productio illius sanandi in conspectum omnium qui aderant. Remotio causæ corrumpentis, id est refutatio criminationis quam Pharisæi captabant, continetur v. 9. his verbis, *Licétne sabbathis benefacere* &c. Syllogismus:

Si licet sabbathis benefacere homini, hominémve servare: licet utique nunc ægrotantem hunc sanare.

At Sabbathis benefacere homini, hominémve servare licet.

Licet igitur ægrotantem istum nunc sanare. Et per consequens erratis quum putatis me violaturum sabbathum, si istum nunc sanem.

Conclusionis sententia innuitur in principio v. 8. his verbis: *At ipse norat cogitationes eorum, & dixit* &c. Id est, Quoniam animadvertebat illos captare occasionem sui accusandi tanquam violassēt sabbathum, si tunc ægrotū istum

ſanaret: comparavit ſe ad hanc illorum opinionem refutandam, ſuumq; factum defendendum: id eſt ad concludendum hanc ſententiam, *Licet ægrotum iſtum nunc ſanare.* Aſſumptio ſequitur v. 9 exornata communicatione rhetoricâ, ac proinde tacitè confirmata confeſſione adverſariorum, ubi ait, *Licêne?* quaſi dicat, Non poteſtis negare quin liceat, cogimini id confiteri. Item amplificata eſt antitheſi adverſorũ, vel potiùs confirmata, per ſyllogiſmum disjunctivum, quaſi dicat:

Licet ſabbathis aut benefacere proximo aut maleſacere.
At non licet maleſacere.
Ergo licet benefacere.

Forma miraculi narratur verſ. 10. & continet quatuor partes. 1. Circumſpexit adverſarios, idq; cum ira, Marc. 3. v. 5: quaſi dicat, Etiam invitis vobis benefaciam huic miſero, eâdemq; operâ gloriam Dei promovebo apud bonos. 2. mandavit ægroto ut extenderet manum. 3. Ille paruit mandato 4 evênit ut manus ejus ſanaretur. Eventus miraculi narratur v. 11. duplex: indignatio vehementiſſima qua in furorem pænè acti fuerunt Scribæ illi ac Phariſæi, & conſultatio de Domino perdendo.

PARS TERTIA.

Elegit duodecim Apoſtolos: & ſermonem prolixum habet ad turbam.

12 *Factum eſt autem illis diebus, exiit in montem ad precandum: & pernoctavit* illic *in precatione ad Deum.*

13 *Et quum dies ortus eſſet, advocavit diſcipulos ſuos; & quũ ex ipſis elegiſſet duodecim, quos & Apoſtolos nominavit,*

14 (Nempe *Simonem, quem etiam nominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Johannem, Philippum & Bartholomæum.*

15 *Matthæum & Thomam, Jacobum Alphæi* filium, *& Simonem qui vocatur Zelotes,*

16 *Judam Jacobi* fratrem, *& Judam Iſcarioten, qui etiam fuit proditor*)

17 *Quumq; deſcendiſſet cum eis: ſtetit in loco campeſtri: turba q; diſcipulorum ejus, & multitudo magna plebis ex tota Judæa*

&

& Hierosolyma, & à maritima regione Tyri & Sidonis, qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à morbis suis:

18 Et qui torquebantur à spiritibus immundis: & curabantur.

19 Et tota turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

20 Ipse verò sublatis oculis suis in discipulos, dicebat, Beati estis vos pauperes: quia vestrum est regnum Dei.

21 Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

22 Beati estis cum vos oderint homines, & separaverint vos, & conviciati fuerint vobis, & nomen vestrum ut nequam ejecerint propter Filium hominis.

23 Gaudete illo die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlis: secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

24 Sed væ vobis divitibus: quia habetis consolationem vestram.

25 Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

26 Væ cum benè vobis dixerint omnes homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27 Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.

28 Benedicite his qui maledicunt vobis, & orate pro calumniantibus vos.

29 Et qui te percusserit in maxillam, præbe illi & alteram: & ab eo qui tollit tibi pallium, etiam tunicam noli prohibere.

30 Omni autem petenti te, tribue: & ab eo qui tollit quæ tua sunt, ne repetas.

31 Et prout vultis ut faciant vobis homines, vos facite illis similiter.

32 Nam si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt.

33 Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores hoc ipsum faciunt.

34 Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant paria.

35 *Itaque diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, ac eritis filii Altissimi; nam ipse benignus est erga ingratos & malos.*

36 *Estote ergo misericordes, prout & Pater vester misericors est.*

37 *Ne judicate, & non judicabimini: ne condemnate, & non condemnabimini: absolvite, & absolvemini:*

38 *Date, & dabitur vobis, mensuram, inquã, bonam, pressam, agitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem enim mensura qua metimini, contrametientur vobis.*

39 *Dicebat autem eis parabolam, Num potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foveam cadent?*

40 *Non est discipulus supra magistrum suum: sed quisquis erit perfectus discipulus, erit ut magister ipsius.*

41 *Quid autem aspicis festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non animadvertis?*

42 *Aut quomodo potes dicere fratri tuo; Frater, sine ejiciam festucam quæ in oculo tuo est: quum ipse trabem quæ est in oculo tuo, non respicias? Hypocrita, ejice primum trabem illã ex oculo tuo: & tum dispicies ut ejicias festucam quæ est in oculo fratris tui.*

43 *Non est enim arbor bona quæ ferat fructum putrem, neque arbor putris quæ ferat fructum bonum.*

44 *Unaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant uvam.*

45 *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum, ex abundantia enim cordis loquitur os ejus.*

46 *Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico?*

47 *Quisquis venit ad me, & audit sermones meos, & eos præstat; indicabo vobis cui similis sit.*

48 *Similis est homini ædificanti domum, qui fodit & excavavit, posuitq; fundamentum super petram. Ubi autem venit inundatio, illisum est flumen domui illi, sed non potuit eam quatere: fundata enim erat super petram.*

49 *Qui autem eos audivit, nec præstitit; similis est homini qui ædificavit domũ suam super solum absque fundamento: cui illisum est flumen: itaq; statim cecidit, fuitq; ruina domus illius magna.*

In

In describenda electione Apostolorum primò narramur præparatio, 2. indicatur tempus, 3. testes, 4. numerus, 5. nomen commune, 6. nomina propria singulorum. Præparatio qua sese Dominus ad eligendum Apostolos præparavit, fuit precatio: quæ declaratur ex loco ubi fuit facta, videlicet in monte: & amplificatur à duratione, nempe quòd in precatione illa pernoctaverit. Tempus quo Apostolos elegit, fuit mane diei posteri, v. 13. qua circumstantiâ innuitur Domini studium in isto negotio. Testes fuerunt discipuli, quos advocavit ut ex ipsis aliquot eligeret ad apostolatum, ibid. Numerus est duodenarius, ibid. Nomen commune, *Apostoli*, ab ipso Domino impositum. Nomina propria singulorum recensentur v. 14. 15. & 16.

In sermone Domini describendo primùm indicatur effectum destinatum seu præparatio, 2. locus, 3. adjunctum occuparum, nempe auditores, 4. causa impulsiva, 5 narratur sermo ipse. Præparatio significatur his verbis, *Descendit cum eis* (nempe Dominus cum discipulis, ex collatione v. 13.) *stetitq; in loco campestri*. Locus igitur fuit campus seu planities ad radices montis unde descenderet. Auditores fuerunt partim familiares, nempe *turba discipulorum*: partim alieni, nempe *multitudo magna plebis*. Ista multitudo describitur partim è locis unde venerant, videlicet *ex tota Judæa & Hierosolyma, & à maritima regione Tyri & Sidonis*: partim à fine cujus gratiâ venerant: qui finis indicatur duplex: unus, *ut audirent eum*: alter, *ut sanarentur à morbis suis*. Hic posterior finis amplificatur ab eventu, nempe quòd fuerint sanati à Domino quotquot eum attingebant, v. 18. & 19.

Causa impulsiva innuitur v. 19. videlicet præclara opinio turbæ de Domino, ut qui & posset sanare quosvis ipsum attingentes, & ad id faciendum facilem sese præberet. quam suam opinionem ipso facto declarabant, studentes eum tangere ut sanarentur. Itaque speravit Dominus se illis doctrinam suam eò facilius persuasurum. Cæterùm sermo ipse Domini distingui potest ex objectis in quatuor partes. Nam prima pars propriè directa fuit

ad discipulos, à v. 20. usque ad v. 24. Secunda ad securos absentes, v 24. 25. & 26. Tertia ad cunctos præsentes, à v. 27. usque ad v. 41. Quarta ad hypocritas præsentes, à v. 41. usque ad finem.

Primæ parti præmittitur præparatio seu effectum destinatum: videlicet quòd Dominus oculos suos sustulerit in discipulos: quo gestu nimirum significavit, se de ipsis sermonem ordiri velle. Sermonis scopus est, discipulos suos, ac inprimis Apostolos recens electos, consolari contra eventuram ipsis persecutionem mundi propter Evangelii confessionem ac prædicationem, ac proinde ipsos ad tolerantiam crucis præparare. Hic scopus significatur v. 22. ubi ait, *Beati oculi quum vos oderint &c. propter Filium hominis.* Argumenta consolationis duo affert: unum ab eventu utili atque optabili, videlicet præmiis divinis in cælo: alterum ab adjuncto adhærente honesto, videlicet societate sive communione cum Prophetis, in fine v. 23. Cæterùm crux quæ erat discipulis propter confessionem ipsius eventura, amplificatur enumeratione specierum, quæ enumerantur sex: paupertas, fames, fletus, odium hominum, separatio sive excommunicatio, & convicia. Argumentum verò prius amplificatur copiâ verborum seu varietate nominum, quibus præmia illa divina atque cælestia significantur majori ex parte metaphoricè: idq; eleganter per antitheſin ſpecierum crucis. Etenim paupertati opponitur regnum Dei, v. 20: fami saturitas, v. 21: fletui risus, ibidem: odio hominum, separationi & cõviciis opponitur merces multa in cælis, v. 22. & 23: quibus verbis comprehenditur amor Dei, cõmunicatio cum Deo & nomen gloriosum. Porrò notandum, simplicibus istis enuntiatis quibus hoc loco Dominus beatos prædicat discipulos, per synecdochen intelligi enuntiata composita discreta, ad hunc modum: Etsi vos discipuli mei propter me prememini paupertate, esurietis, flebitis, odium hominum & separationem & convicia experiemini: unde videri possitis miseri: tamen scitote, vos propterea non esse miseros, sed interim esse beatos. Itaq; non solùm non estote tristes, sed etiam gaudete atq; salite quum istas miserias

miſerias meas cauſa experiemini. Cæterùm enthymemata hujus loci priora tria exornata ſunt anaphorâ duplici: unâ nominis *Beati*, alterâ conjunctionis *Quia*.

Secunda ſermonis inſtituti pars, quæ pertinet ad ſecuros Evangelii contemptores, tunc abſentes, ſuperiori annectitur per antitheſin: ſicut & ipſa tota illi eſt oppoſita. Etenim contemptoribus iſtis, utut beati eſſe videantur, denuntiat exitium æternum. Opponit autem quatuor ſpeciebus miſeriæ in priore parte enumeratis, totidem ſpecies felicitatis mundanæ atq; carnalis, videlicet paupertati divitias, fami repletionem ſive ſaturitatem fletui riſum, convitiis benedicta ſive laudes. Miſeriam verò iſtorum ſimiliter variis nominibus ſignificat, per antitheſin ſpecierum felicitatis: nam divitiarum fruitioni opponit deſtitutionem ſolatii in altera vita futuri, repletioni ſivè ſaturitati opponit famem futuram, riſui luctum & fletum, benedictis ſeu laudibus communionem cum pſeudoprophetis. Ex quo ultimo membro percipitur, Dominũ præcipuè hîc perſtringere falſos doctores qui tum erant in populo Dei, videlicet Scribas & Phariſæos: qui neglectâ & contemptâ Evangelii veritate, unicè ſtudebant divitiis & voluptatibus & honoribus: ſicut alibi iſtis nominibus à Domino apertè reprehenduntur. Similiter autem ut in parte ſuperiore, ſub enuntiatis ſimplicibus intelligẽda hîc ſunt compoſita diſcreta: quaſi dicat Dominus, Etſi vos Scribæ & Phariſæi qui diſcipulos meos hoſtiliter perſecuturi eſtis, videmini eſſe beati: quoniam eſtis divites, impleti ſeu ſaturati, ridentes, & quia mundus vobis benedicit, id eſt, vos laudat & beatos prædicat: tamen ſcitote, vos eſſe miſeros: quia in gehenna in æternum excruciabimini, ut vobis illud væ perpetuò exclamandum ſit.

Tertia ſermonis inſtituti pars ſuperiori ſimiliter annectitur pars antitheſin, qua contemptoribus illis Evangelii ſeu doctrinæ Chriſti abſentibus opponuntur auditores præſentes, his verbis: *Sed vobis dico qui auditis.* Continet autem hæc pars multa & varia præcepta de officiis diſcipulorum Chriſti: quæ præcepta numeris notabimus. 1. *Diligite* &c. 2. *Benefacite* &c. 3. *Benedicite* &c. 4. *Pre-*

camini &c. 5. *Et qui tibi* &c. 6. *Et ab eo* &c. 7. *Cui vis autem* &c. 8. *Et ab eo* &c. 9. *Et prout vultis* &c. 10. *Estote ergo* &c. 11. *Ne judicate* &c. 12. *Ne condemnate* &c. 13. *Absolvite* &c. 14. *Date* &c. 15. non expressum, sed implicitum, videlicet cavendam doctrinam Scribarum & Pharisæorum: *Num potest cæcus* &c. 16. similiter implicitum, nempe non esse Apostolis gloriandum si succedat eis functio docendi, quasi perfectiores sint ipso Domino: *Non est discipulus* &c. Cæterùm post nonum præceptum inseritur confirmatio duorum primorum præceptorum, necnon decimi: quod ex illa confirmatione deducitur. Argumenta confirmationis duo affert, utrumque ab effectu utili: videlicet adeptione præmii cœlestis, & demonstratione summæ dignitatis, nempe quòd sint filii Dei, ac proinde longè superantes officia vulgaria peccatorum seu non-renatorum. Præmium illud nominat primùm gratiam, v. 32. 33. & 34 quia ex gratia Dei dabitur: deinde mercedem, v. 35. quia dabitur in vespera mundi post exantlatos hujus vitæ labores. Argumentum utrumque adhibet præceptis illis singulis: primo, v. 32: secundo, v. 33. decimo, v. 34. ubi notandum, speciem misericordiæ pro genere poni, videlicet dationem mutui quæ sit homini ita pauperi aut malæ fidei ut spes non sit recipiendi. Deinde præcepta ipsa ex confirmatione illa deducit, v. 35: ac ibidem duo illa argumenta repetit: prius ibi, *Et erit merces vestra multa*: posterius ibi, *Ac filii eritis illius Altissimi*. Quod posterius argumentum approbatur à consuetudine Dei, ibi, *Nam ipse benignus est erga ingratos & malos*. Postea inde deducitur præceptum decimum: *Estote ergo misericordes*: & confirmatur à proprio adjuncto filiorum, quod est imitari laudabilia facta parentum: ubi ait, *Prout & Pater vester misericors est*. Undecimum & duodecimum præceptum confirmantur ab effectu inutili, videlicet pœna talionis. Decimumtertium & decimumquartum confirmantur ab effectu utili, videlicet relatione gratiæ. Quæ relatio gratiæ amplificatur ab adjuncta quantitate, ibi, *Mensuram bonam* &c. Tum confirmatio quatuor postremorum præceptorum repetitur per sententiam generalem ac prouerbialem, ibi: *Eâdem enim mensurâ* &c.

Decimum-

Decimumquintum præceptum elicitur ex ipſius confirmatione quæ habetur v. 39. ab effectu noxio: quod ſignificatur ſimilitudine caſus in foveam, per ſententiam proverbialem, *Num poteſt cæcus cæcum ducere?* &c. quaſi dicat, Sicut cæcus qui patitur ſe duci à cæco, incidit in foveam vnà cum illo: ſic idiota qui patitur ſe doceri à Scribis & Phariſæis, incidet in exitium, vi falſæ ſcil. doctrinæ, vnà cum illis. Ergo omnes ſibi ab illis caveant. Decimumſextum præceptum ſimiliter elicitur ex ipſius confirmatione, qua habetur v. 40. Eſtque ſumpta à ſententia generali ac proverbiali, *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum* &c. quaſi dicat, Ergo ne quis veſtrûm quos vocavi ad docendum Evangelium, ſuperbiat ſi expertus fuerit ſucceſſum: quaſi ſcilicet ne facultate docendi antecellat. Etenim ego ſum magiſter veſter: vos diſcipuli mei: diſcipulum autem non decet ut ſibi perfectior videatur ſuo magiſtro.

Quarta ſermonis inſtituti pars ad hypocritas peculiariter pertinet: quos ab hypocriſi dehortatur & ad demonſtrationem ſinceræ pietatis exhortatur. Præcepta hujus loci omnino tria ſunt. Primum: Ne quis proximum propter ipſius vitia nimis facilè aut acriter reprehendito, quû ipſe ſibi majorum vitiorum ſit conſcius: ſed priùs ſua ipſius vitia emendare ſtudeto, v. 41. & 42. Secundum: Qui verè pius haberi cupit, pietatem ſuam demonſtret per bona opera, v. 44 & 45. Tertium: Qui me verè honorare videri vult: non tantùm verbis me honoret, vocando me dominum: ſed etiam factis, auſcultando præceptis meis, v. 46. & ſequentibus. Primum præceptum proponitur ſub ſimilibus, quatenus vitia proximi comparantur feſtucæ quæ ſit in oculo proximi, vitia autem hypocritæ proximû reprehendentis comparantur trabi quæ ſit in ipſius oculo, quo ſignificatur, vitia hypocritarum eſſe majora quàm ſint vitia proximi quæ ipſi reprehendunt. Secundum præceptum proponitur ſub ſimilitudine arboris fruticiſve & fructuum illius. Sententia eſt: Sicut ea demum arbor bona habetur quæ bonos fructus fert: ſic is demum homo bonus haberi poteſt, qui bona opera facit. Deinde eadem ſententia illuſtratur ſimilitudine theſauri. nam ſicut ex

thesauro bono proferuntur bona, ex malo mala: sicut ex corde bono proferuntur opera bona, ex malo mala. Quæ sententia confirmatur proverbio, *Ex abundantia cordis loquitur os.* Tertium præceptum confirmatur ab effectis per antithesin: nempe ab effectu utili, si quis illi paruerit: & contrà ab effectu inutili seu noxio, si quis non paruerit. Quòd argumentum utrumque unâ cum ipso præcepto proponitur sub similitudine ædificantis domum vel super petram, vel super arenam: quarum domorum illa, firma persistit contra vim ventorum & fluminum: ista verò, vi ventorum ac fluminum corruit. Ita qui observat sermones Christi, firmus persistit contra tentationes: qui non observat, deficit ac perit.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *Sabbatho altero-primo.* ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ Id est, die ultimo festi Azymorum, qui pari cum primo solennitate celebrandus erat, ac proinde illi velut è regione respondebat: ut pluribus declarat D. Beza. Nisi potior habenda sententia Gerardi Mercatoris, qui in sua Harmonia quatuor Evangelistarum in hunc locum annotat. Ex frumenti è spicis esu conspicuum esse, festum hoc esse festum quinquagesimæ (id est, Pentecostes) sive primitiarum: quippe quod messi triticeæ conjunctum erat, Exod. 34 v.22. Censet igitur, Christum secundùm legem Exod. 23.17. & 34.24. festo huic interfuisse, sed primis tantùm diebus: mediâ autem festivitatis hebdomade revertisse Capernaümum: ita ut in hoc itinere octavo die qui sabbathum propriè erat, & primo diei dignitate æqualis, in pago aut civitate aliqua sabbathum agens per sata ierit.

2 *Cur facitis.* τί ποιεῖτε. Ponitur τί pro διατί.

3 *Ne hoc quidem legistis?* οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε; Interrogatio vim habet reprehendendi, idque διλημματικῶς. quasi dicat Dominus: Si non legistis, pudeat vos vel ignaviæ: si verò legistis; pudeat vos vel socordiæ, quòd non intellexistis; vel malitiæ, quòd intellectum dissimulatis, & de factis similibus dissimile judicium fertis.

4 De-

4 *Domum Dei*, εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ. Vide scholia in Mat. 12. 4.

5 *Filius hominis dominus est* &c. ὅτι κύριός ἐστιν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου &c. Conjunctio ὅτι servit mimesi. De sensu autem horum verborum dixi in scholiis ad Matth. 12. 8.

7 *Accusationem adversus eum*, κατηγορίαν αὐτοῦ Ad verb. *Accusationem ejus*. Genitivus subjecti patientis: Ejus, id est, qua is accusaretur.

8 *Nôrat*. ᾔδει. Vel, animadvertebat. *Ille verò*. ὁ δὲ Pro, αὐτὸς δὲ. Hellenismus. Sic v. 10.

9 *Animã*. ψυχὴν. Id est, hominẽ. Vide scholia in Mar. 3. 4.

11 *Quidnam facerent Jesu*. τί ἂν ποιήσειαν τῷ Ἰησοῦ. Id est, quo pacto ipsum è medio tollerent. Synecdoche generis.

12 *Pernoctavit in precatione*. διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ. Id est, totam noctem consumpsit in precibus. *In precatione ad Deum*. ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ. Id est, πρὸς Θεὸν. Genitivus objecti. Potest reddi ad verbum *In invocatione Dei*: quâ scil. Deus ab ipso invocabatur. Sed *invocationis* vocabulum apud Latinos (quod sciam) usitatum non est: licet verbum *Invoco* hoc sensu reperiatur: ut Cic. lib. 2. de nat. deorum. *Junonem Lucinam in pariundo invocant*.

17 *Quumq; descẽdisset*. καὶ μεταβὰς. Adhuc κρίματα ἢ διάνοια, pendet sententia: cohærent enim hæc verba cum verbis versus 13. καὶ ἐκλεξάμενος &c. Et quum elegisset &c. Apodosis autem periodi, absolutioque sententiæ inchoatæ, nempe enuntiati relativi temporis, sequitur ibi, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ: stetit (sive constitit, sive substitit) in loco campestri. *Turbáque*. καὶ ὄχλος. Scil. ἔστη, substitit. Et mox, *Et multitudo magna*. καὶ πλῆθος πολὺ, scilicet ἔστη, substitit πρὸς ζεύγμα. *Maritimâ* regione. τῆς παραλίου. Scilicet χώρας.

18 *Et sanabantur*. καὶ ἐθεραπεύοντο. Ad verb. Curabantur. Pro, ἰῶντο. Catachresis.

19 *Studebat*. ἐζήτει. Ad verb. Quærebat. id est, conabatur. *Vis* quædam. δύναμις. Vide scholia in Marcum. cap. 5. v. 30. *Et sanabat*. καὶ ἰᾶτο. Scilicet vis illa quæ à Domino prodibat.

20. *Sublatis oculis*. ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς. Quum sustulisset oculos. *Vos pauperes*. οἱ πτωχοὶ. Pro, ὦ πτωχοὶ. Alloquitur autem discipulos.

22 *Separaverint vos.* ἀφορίσωσιν ὑμᾶς. Id est, Secluserint atque ejecerint è suis synagogis, quod usitatè jam dicimus Excommunicare. *Ut nequam.* ὡς πονηρόν. Sive sceleratum. Sicut hodie veri Christiani traducuntur tanquam scelesti Zwingliani, Calviniani, denique hæretici pessimi. *Propter Filium hominis.* ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Id est, propter me: propterea quòd creditis in me, meamq; doctrinam profitemini.

23 *Salite.* σκιρτήσατε. Scilicet ex gaudio. Sic suprà 1.41. ἐσκίρτησεν, subsilit infans in utero Elisabetæ.

24 *Perceptum habetis.* ἀπέχετε. Vel uno verbo, *Retulistis* ut ex consequente intelligatur antecedens. Retulistis scilicet à distributione præmiorum, ac proinde jam habetis. Verbum ἀπέχω utrumque notat: & τὸ ἀπολαβεῖν, id est, ab aliquo accepisse, & τὸ ἔχειν, id est, habere.

25 *Qui impletis estis.* οἱ ἐμπεπλησμένοι. Nominativus loco vocativi, Atticè.

32 *Eos qui vos diligunt.* τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς. Scil. μόνον, solùm. Quod adverbium additur in simili sententia Matth. 5.47. Neque enim certè prohibet Dominus ne diligamus amicos: sed præcipit, ut præter amicos diligamus quoq; inimicos: ut ita ethnicis seu à fide Christiana alienis antecellamus. Sic deinceps. *Quæ vobis est gratia?* ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; Quasi dicat, Nulla. Gratiæ autem vocabulo intelligit primùm gratiam seu benevolentiam Dei, per synecdochen generis: deinde præmium ex gratia Dei profectũ, per metonymiam efficientis. Idem suprà v.23. per metaphoram appellavit *mercedem.* Et iterum sic appellabit v.35. Atque adeò pro his ipsis verbis apud Matthæum leguntur ista, τίνα μισθὸν ἔχετε; Quam mercedem habetis? cap.5.v.46 *Nam & peccatores.* καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοί. Id est, homines profani & palàm impii: quales tunc habebantur publicani: qui quidem in simili sententia apud Matthæum nominantur, cap.5.v.47. Nisi quis mâlit nomine τῶν ἁμαρτωλῶν, hîc intelligere Gentes sive ethnicos: secundùm illud Pauli Gal.2. 15. *Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores,* οὐκ ἐξ ἁμαρτωλοί. Cui consonat illud Domini Matth.26.45. *Filius hominis traditur in manus peccatorum,* ἁμαρτωλῶν, id est Gentium: ut percipitur

percipitur ex collatione Matth. 20. 9. *Tradent eum Gentibus, τοῖς ἔθνεσι.*

34 Vos *recepturos.* ἀπολαβεῖν. Pro, ἀπολήψεσθε, scil. ὑμᾶς. Enallage temporis & ellipsis Græca. *Recepturos* autem, scil. τὰ ἴσα, paria: ut mox declaratur in fine versus. Ut *recipiant paria.* ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα. Id est, hac lege, hoc pacto seu cum hac conditione, ac proinde etiam cum hac spe, ut recipiant ab iis paria, quibus mutuum dederunt. Sed nomine τὰ ἴσα, id est, parium sive æqualium, quid hîc intelligendum? Ipsáne sors, ut scilicet reddatur tantundem quantum fuit mutuo datum: an verò fœnus sorti par seu æquale, proportione scil. Geometricâ: id est, pro sortis magnitudine aut parvitate magnum aut parvum? Priorem expositionem veram ac genuinam esse, ostendam Deo juvante in scholio sequente.

35 *Nihil inde sperantes.* μηδὲν ἀπελπίζοντες. Hoc vulgo sic accipiunt: tanquam dicatur *Nihil*, id est nullum fœnus seu nullam usuram, *inde*, id est è sorte mutuo-data. Sed exponendum: *Nihil*, id est nullam partem sortis: ut significetur, non solùm iis mutuo dandum esse de quibus sperari possit redditurus: sed etiam iis quos redditurus sperari non possit, nempe propter inopiam atque egestatem. Hanc expositionem postulat primùm collatio cæterarum duarum hujus loci præceptionum, nempe: *Diligite inimicos vestros, & benefacite*, scil. inimicis. Quarum præceptionum sententia (ut ex collatione præcedentium percipitur) hæc est; Diligite non solùm amicos, sed etiam inimicos: & benefacite non solùm amicis, sed etiam inimicis. Ergo simili ratione exponendum hoc tertium præceptionis membrum, duobus illis continenter annexum, nempe, *Et mutuum date, nihil inde sperantes*: h. e. Mutuum date non tum solùm quum potestis sperare vos recepturos: sed etiã quum id sperare non potestis. Deinde hanc expositionem postulat verbum ἀπελπίζειν, sperare. nam si de usura seu fœnore sermo esset: alio verbo utendum fuisset quo pactio significaretur. Atq; ex hac expositione intelligetur, nomen ἴσα, id est paria sive æqualia, versu superiore, non de fœnore seu usura, sed de ipsa sorte intelligendũ esse. Etenim

qui accepit mutuum, jure tenetur reddere non eandem speciem, sed eandem quantitatem. Est autem tacita amplificatio à majori in vocaculo NIHIL. quasi dicat, Date mutuum illis quoq; à quibus non licet sperare vos recepturos vel minimam mutui partem, nedum totum. *Et eritis, καὶ ἔσεσθε.* Id est, Tum erit. si scil. ista feceritis. Conjunctio copulativa, pro relativâ temporis. *Merces vestra. ὁ μισθὸς ὑμῶν.* Ecce hîc mercedem nominat, quam superioribus tribus versibus χάριν, id est, gratiam nominavit. *Ac eritis. καὶ ἔσεσθε.* Id est, cognoscemini esse, nempe per argumentationem ex propriis effectis. Metonymia subjecti: qualis Joh. 15.8. *Altissimi. τοῦ ὑψίστου*, id est. Dei. Epitheton argumentosum. nam majestas patris in ipsos filios aliquo modo redundat. Certè enim honorificum est, magnæ personæ filium esse.

37 *Ne judicate & non judicabimini. μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε.* Conjunctio copulativa in hac sententia & tribus sequentibus valet conjunctionem relativam consequentiæ unâ cum conjunctione causali, videlicet τότε γάρ, *tunc enim.* vel οὕτω γάρ, *sic enim*: quarum vi repetitur præcedens membrum per conjunctionem connexivam, ad hunc modum: *Ne judicate: nam tunc*, vel *sic enim* (si scil. non judicaveritis) *non judicabimini.*

38 *Dabunt. δώσουσιν.* Impersonaliter seu indefinitè dictum: pro, dabitur, δοθήσεται: quo verbo modò fuit usus. *In sinum vestrum. εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν.* Phrasis Hebræa, accommodata mori gentis. nam gentes orientales (inter quas & Judæi) vestes laxas ac sinuosas gerebant: ut commodum illis esset sinu excipere quæ in copia dabantur. Exempla hujus phrasis vide Psal. 89. 12. *Redde vicinis nostris septuplo in sinum ipsorum.* Esa. 55. 6. *Non tacebo, misi rependero: atque rependero in sinum istorum.* Jer. 32. 18. *Exerces beneficentiam in millesimos, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum ipsorum post ipsos. Contramentientur. ἀντιμετρηθήσεται.* Impersonaliter. Vulgata, *Remetietur*, passivè acceptâ voce.

39 *Ducere. ὁδηγεῖν.* Græcum expressius, nempe in via seu per viam ducere.

41 *In oculo tuo. τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ.* Ad verb. In oculo proprio

prio. Helleniſmus. Sic v.44. ἐκ τῦ ἰδίου καρπου, ex fructu ſuo.

46 *Quid. τί.* Id eſt, Cur. *Et non facitis. καὶ οὐ ποιεῖτε.* Id eſt, Quum tamen non faciatis.

OBSERVATIONES EX CAP. VI.

Quid obſervandum ſit ex hiſtoria de diſcipulis vellentibus ſpicas in ſabbatho, vide in Obſervationib. ex Matth. 12. à principio.

Ex v. 6. & ſeq. Vide Obſervationes ex Matth. 12. v. 10. & deinceps.

Ex v. 12. & 13. Paſtores Eccleſiæ cum magna religione & adhibitis ardentib. precibus ſunt eligendi. Hoc modo electi quoque ſunt Barnabas & Saulus ad prædicandum Evangelium in Græcia, Act. 13. in principio. *mus.*

Ex v. 20. & ſeq. Qui in hac vita propter confeſſionem Chriſti perſecutionem patiuntur ac patienter & conſtanter ferunt, præmia in cælo maxima accepturi ſunt. Qui verò Chriſto negato aut neglecto, bonis terrenis fruuntur & ſecuritati carnis indulgent, ad æternos cruciatus damnabuntur. Quare perſecutionem propter Chriſtum conſtanter feramus, & à ſecuritate carnali nobis caveamus. *ſus.* *xxvi.*

Ex v. 27. & ſeq. Quum natura noſtra à tali dilectione proximi, qualem hoc loco Chriſtus à nobis requirit, planè abhorreat: oremus Deum ut ipſe per Spiritum ſuum illam cordibus noſtris infundat. Et ad hoc moveamur quoque conſideratione immenſæ illius dilectionis Dei erga nos, qua nos prorſus indignos, atque adeò inimicos ſuos, ex mera miſericordia gratis dilexit & in æternum diliget in Chriſto. *xxvii.*

Ex v. 37. Proximi facta ambigua non ſunt in deteriorem partem interpretanda, nec apud alios calumniosè traducenda: ſed in illius, quum opus eſt, fraternè admoniti ac reprehenſi probabili excuſatione acquieſcendũ. At ſcandalorum manifeſtorum ſeu factorum citra dubitationem impiorum alia ratio eſt: in quibus quomodo ſit procedendum, docetur Matth. 18. v. 15. 16. & 17. *ix.* *xxx.*

Ex v. 38. Proximo egenti liberaliter de bonis noſtris *xxx.*

communicare debemus: si liberalitatem Dei erga nos experiri cupimus.

διδ. Ex eodem versu, ex verbis, *Eâdem enim mensurâ* &c. Justo Dei judicio fit ut quales nos erga proximum præbuerimus, sive beneficos scilicet sive injurios: tales se præbeant erga nos alii. Quare si beneficentiam proximorum experiri, & ab injuriis liberi esse cupimus: nos ipsos quoque beneficos erga proximum præbeamus, & ab omni injuria abstineamus.

παιδ. Ex v. 39. Ne in foveam exitii æterni cadamus: studiosè nos oportet nobis cavere à ducibus cæcis, id est, à falsis doctoribus & consultoribus malis.

παιδ. Ex v. 40. Discipulus præceptorem suum perpetuò honorare debet: nec committere ut authoritate illius unquam deroget.

ἐπ. Ex v. 41. & 42. Cavendum ne in proximi peccatis judicandis & reprehendendis nimis severi ac rigidi simus: sed potiùs unusquisque in seipsum descendere, & affectus vitamq; suam rigidè ac severè examinare debet: ut sibi displiceat & gratiam sese emendandi à Deo seriò exoptet.

παιδ. Ex v. 43. & seq. Si boni ac pii haberi volumus: pietatem & virtutē ipsis factis demōstrare nos oportet, inprimis autem cōstanti confessione veritatis cęlestis à Christo traditæ, ita ut nullâ tentatione ab illa nos dimoveri patiamur.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Jesus sanat servum centurionis: excitat à morte filium viduæ: responsum dat nuntiis missis à Johanne Baptista: dat illi testimonium apud turbam: conqueritur de perversitate Pharisæorum & Legis interpretum: remittit peccata mulieri peccatrici.

PRIMA PARS.

Sanat servum centurionis.

Quum autem finivisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaümum.

2 *Centurionis*

2 *Centurionis verò cujusdam servus malè affectus moribundus erat: qui erat ipsi pretiosus.*

3 *Is verò quum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret & servaret servum suum.*

4 *Isti autem quum venissent ad Iesum, precati sunt eum studiosè, dicentes: Dignus est cui hoc præbeas.*

5 *Diligit enim gentem nostram, & synagogam ædificavit nobis.*

6 *Jesus ergo ibat cum eis. Et quum jam non longè abesset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens ei, Domine, ne vexaveris: neque enim sum dignus ut tectum meum subeas:*

7 *Ideo nec meipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.*

8 *Etenim ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, ac vadit: & alteri, Veni, ac venit: & servo meo, Fac hoc, ac facit.*

9 *Auditis autem his Jesus, admiratus est eum: & conversus dixit turbæ quæ ipsum sequebatur; Dico vobis, nec in Israële quidem tantam fidem invēni.*

10 *Et domum reversi qui missi fuerant, sanum invenerunt servum qui ægrotus fuerat.*

Primò indicatur tempus quo hoc miraculum factum est, 2. locus ubi factum est, 3. objectum circa quod factum est, 4. causa impulsiva quæ Dominum ad hoc miraculum faciendum movit, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. causa corrumpens præparationis, 7. alia causa impulsiva, 8. modus agendi, 9. testificatio de altera illa causa impulsiva, 10. miraculum ipsum. Tempus indicatur his verbis, *Quum autem finivisset omnia verba sua audiente populo*: quibus verbis significatur, miraculum hoc editum esse mox post concionem illam quam Dominus habuit ad turbam in loco campestri, quæ habetur capite præcedente. Quo ipso notatur miraculi finis seu scopus, nempe doctrinæ à Domino recens propositæ confirmatio. Locus significatur his verbis, *Ingressus est Capernaūmum.*

Objectum describitur v. 2. videlicet ipse sanandus. Is fuit servus centurionis: cujus morbus amplificatur à vehementia, quòd ita fuerit malè affectus ut esset moribun-

dus: quo ipso amplificatur miraculum sanationis. Idem ipse laudatur ab adjuncto adhærente, videlicet æstimatione domini sui: cui erat pretiosus. Quo ipso amplificatur beneficium Jesu per istius sanationem in dominum ipsius collatum. Causa quæ Dominum ad illum sanandum impulit, fuit petitio centurionis per internuntios, v. 3. & ipsorum internuntiorum, v. 4. & 5. Petitio internuntiorum amplificatur ab adjuncto studio: quod illorum studium declaratur ipsorum verbis, quibus centurionem commendarunt. Argumenta laudis afferunt duo: unum, quòd diligat gentem ipsorum: alterum, quòd ædificaverit ipsis synagogam. quo utroque significant, esse hominem pium & rectè sentire de religione.

Præparatio fuit, quòd Jesus cum internuntiis illis ivit, hempe aditurus ægrotum in domo centurionis, v. 6. Causa corrumpens qua impeditus fuit, ne in domum centurionis penetraret, fuit intercessio centurionis per internuntios: qua deprecatus est ne introiret in domum suam. Argumenta deprecationis affert tria. 1. Ne ipse Dominus vexetur seu molestiâ afficiatur. 2. Quia ipse non sit dignus illo honore. 3. Quia rem possit effectum dare facilius, nempe solo verbo seu mandato. Primum argumentum continetur ipso verbo deprecationis: ubi ait, *Ne vexator*. Secundum argumentum confirmat à facto: quia non ipse venerit ad eum, sed pro se miserit amicos: reputando nimirum se esse hominem gentilem; illos verò Judæos, ex gente scilicet sancta. Tertium argumentum confirmat à suo ipsius exemplo per ratiocinationem à minori. Mea mandata solent esse efficacia apud subjectos & servos meos: Ergo multò magis tuum mandatum erit efficax apud creaturam tuam. Ratio à minori duplex: 1. quia ego sum homo: tu autē plus quàm homo, nempe Deus. 2. quia ego constitutus sum sub potestate: tu autem sub nullius es potestate, sed omnia potestati tuæ subjecta sunt. Istæ enim antitheses omnino videntur subintelligendæ: quum alioquin frigerent ista verba, *Ego sum homo, sub potestate constitutus*. Est autem hæc argumentatio exornata prosopopœiâ & illustrata distributione quadam.

Cæterùm

Cæterùm hic simul continetur alia causa impulsiva, nempe nova petitio centurionis ex insigni fide profecta. Item modus agendi, nempe per verbum, v. 7. Testificatio de altera illa causa impulsiva, videlicet fide centurionis, continetur v. 9. amplificata collatione imparium: qua fidem illius centurionis præfert fidei omnium Israëlitarum cum quibus adhuc ipsi res fuerit. Miraculum ipsum narratur v. 10.

PARS SECUNDA.

Excitat à morte filium viduæ.

11 *Et factum est* die *sequenti, proficiscebatur in civitatem quæ vocatur Naïn: & proficiscebantur cum eo discipuli ejus mediocriter multi, turbaq; multa.*

12 *Ille autem appropinquavit portæ civitatis; tum ecce, defunctus efferebatur*, qui *unigenitus* fuerat *matri suæ, & ipsi* quidem *viduæ: turbaq; civitatis bene multa erat cum ea.*

13 *Et Dominus eam intuitus, misericordiâ commotus est super eâ, & dixit ei, Ne fleto.*

14 *Et accessit ac tetigit loculum: (ii verò qui portabant, substiterunt) & dixit, Adolescens, tibi dico, surge.*

15 *Tunc resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: & ille dedit eum matri suæ.*

16 *Cœpit autem omnes timor: & glorificabant Deum, dicentes, Propheta magnus surrexit inter nos: & Respexit Deus populum suum.*

17 *Pervenitq; iste de eo sermo in totam Judæam, & in totam* regionem *circumjacentem.*

Primò indicatur tempus quo Dominus hoc miraculum fecit, 2. locus ubi fecit, 3. testes coram quibus fecit, 4. iterum locus, sed priore specialior, 5. occasio, 6. objectum, 7. alii testes, 8. causæ impulsivæ 9. præparatio seu effecta destinata, 10. modus agendi, 11. miraculum ipsum, 12. eventa. Tempus indicatur his verbis, *Et factum est die sequenti*, scilicet posteaquam sanasset moribundum illum servum centurionis, ex collatione præcedentium. Locus fuit civitas Naïn. Testes fuerunt discipuli Jesu & turba:

qui utrique amplificantur ab adjuncta quantitate. Locus specialior, fuit locus ante portam civitatis. Occasionem Domino ad hoc miraculum edendum præbuit conspectus funeris quod videbat efferri. Objectum, nempe ipse defunctus, describitur ex adjunctis duobus: quòd fuerit unigenitus matri suæ, & quòd habuerit matrem viduam. Quorum adjunctorum commemoratio pertinet ad commendandum beneficium per illius adolescentis excitationem in matrem ejus collatum: quippe cui duplici nomine charissimus fuit: tum quòd esset ei unigenitus, tum quòd esset solatium & quasi baculus viduitatis ipsius.

Alii testes fuerũt turba civitatis qui deducebat funus. Causæ impulsivæ indicantur duæ v. 13: una procatarctica, altera συμπαθητική. Procatarctica fuit, miseria matris defuncti ac fletus: qui fletus significatur his verbis, *Dominus eam intuitus*, scil. flentem: ut percipitur ex eo quod mox ait, *Ne fleto*, συμπαθητική, fuit misericordia Domini: qui misericordiâ commotus est super ea, & quidem intimâ: ut emphasis verbi ἐσπλαγχνίσθη docet. Præparatio ad miraculum, seu effecta destinata, narrantur tria. 1. quòd monuit matrem defuncti, ne fleret: hoc enim ipso obliquè promisit, se filium ejus excitaturum: atque ita illam in spem miraculi erexit, simulq; reliquos qui aderant. 2. quòd accessit ad loculum. 3. quòd tetigit loculum. Hæ enim ambæ actiones destinatæ erant mox futuræ excitationi. Porrò tertia illa actio amplificatur ab eventu: nempe quòd illi qui funus portabant, mox substiterint: animadversio nimirum proposito Domini, quòd vellet aliquid agere circa defunctum illum. Modus agendi quo illum excitavit, fuit mandatum: *Adolescens, tibi dico, Surge.* Miraculum ipsum narratur v. 15. Eventa narrantur tria. 1. timor testium qui miraculum spectaverant. 2. glorificatio Dei, id est gratiarum actio propter tanto Propheta & tam beneficio. 3. fama de Jesu longè lateq; sparsa.

PARS TERTIA.

Responsum datur nuntiis missis à Johanne Baptista.

18 *Et annuntiarunt Johanni discipuli ipsius de his omnibus: qui*

qui advocatos duos quosdam è discipulis suis,

19 *Misit ad Jesum, dicens; Tu ne is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?*

20 *Quum igitur venissent ad eum viri illi, dixerunt; Johannes Baptista misit nos ad te, dicens; Tu ne is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?*

21 *Eâdem autem horâ multos sanavit à morbis & flagellis & spiritibus malis, & cæcis multis visum donavit.*

22 *Et respondens Jesus dixit eis, Profecti annuntiate Johanni quæ vidistis & audistis: cæcos videre, claudos ambulare, leprosos purgari, surdos audire, mortuos excitari, pauperibus evangelizari.*

23 *Beatus autem est qui non fuerit offensus in me.*

Primùm indicatur occasio nuntios illos mittendi, 2 numerus nuntiorum, 3 species, 4 instructio seu mandatum mittentis, 5 mandati exsequutio seu ipsa nuntii relatio, 6 exsequutionis illius adjunctum adhærens, quod idem fuit præparatio ad responsum, seu effectum divinitus destinatum ad illud responsum, 7 responsum ipsum.

Occasionem Johanni ad nuntios illos ad Jesum mittendos præbuit, annuntiatio discipulorum ipsius de miraculis Jesu. Misit igitur duos ex ipsis ad Jesum; quia sperabat Jesum illis demonstraturum ex Prophetis, miracula quæ ipse faceret, à Prophetis tanquam propria attribui Christo: ut ita illi Jesum pro Christo reciperent, aut certè in fide illius confirmarentur. Numero misit duos, haud dubiè respiciens ad illud verbum Legis: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Specie, illi nuntii fuerunt discipuli Johannis. Instructio seu mandatum fuit, ut proponerent illi quæstionem, An ipse sit Christus, v. 19. Mandati exsequutio narratur v. 20. Adjunctum exsequutioni illi adhærens, eademq; præparatio ad responsum Domini, narratur v. 21. videlicet quòd eâdem horâ multos miraculosè sanabat: hoc enim ipsum in responso suo mandavit Dominus Johanni annuntiari. Responsum autem ipsum non est directum, sed obliquum. Neque enim ad quæstionem propositam vel affirmando vel negando respondet: sed affirmativæ responsionis argumentum suppeditat: quod vult eis à præceptore Johanne declarari: sive quòd con-

sideraret, nondũ adesset tempus quo se apertè affirmaret esse Christum: sive quòd existimaret, illos faciliùs creditu-ros, si informarentur à suo præceptore. Argumentum autem illud responsionis affirmativæ sumptum est à pro-priis effectis: & concluditur hoc syllogismo:

Is qui fuit effecturus ut cæci viderent, claudi ambularent, leprosi purgarentur, surdi audirent, mortui excita-rentur: quique pauperibus fuit evangelizaturus: is in-quam est Christus.

At ego sum is quippe qui ista omnia feci & facio: quemad-modum ipsi vidistis atque audistis.

Ego igitur sum Christus.

Dominus solam enuntiat assumptionem: propositionem verò & conclusionẽ relinquit supplendam Johanni. Scie-bat enim, Johanni ex Prophetis constare de veritate pro-positionis. De veritate autem assumptionis constabat ex ipso testi monio experientiæ sive sensus duorum illorum discipulorum. Unde jam conclusione necessariò sequebatur.

PARS QUARTA.

Dat Johanni testimoniu m apud turbam.

24 *Porrò quum abissent nuntii Johannis, cœpit de Johanne dicere ad turbam; Quid existis in desertum spectaturi? arundi-nem quæ à vento agitetur?*

25 *Sed quid existis visuri? hominem mollibus vestimentis a-mictum? ecce, qui vestitu magnifico utuntur, & in deliciis vivunt, sunt in palatiis regum.*

26 *Sed quid existis visuri? Prophetam? certè dico vobis, etiam amplius est quàm Propheta.*

27 *Hic est de quo scriptum est, Ecce mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te.*

28 *Nam dico vobis, Inter genitos è mulieribus, nullus est ma-jor Propheta Johanne Baptista: sed qui minimus est in regno Dei, major est ipso.*

29 *Et totus populus audito* illo, *& publicani justificarunt Deum,* quippe *baptizati baptismo Johannis.*

30 *Pharisæi autem & Legis interpretes consilium Dei re-jecerunt*

rejecerunt adversùs semetipsos, quippè non baptizati ab illo.

Primùm indicatur testimonii hujus occasio, 2. testimonium ipsum. Occasionem de Johanne apud populum præsentem testificandi præbuit Domino recens illius facta mentio coram populo per discipulos ab illo missos. Id significatur his verbis, *Postquam abiissent nuntii Johannis.* Testimonium continet laudem Johannis quadruplicem: primam à constantia doctrinæ, v. 24: secundam à severitate vitæ, v. 25: tertiam ab eximio honore muneris Prophetici, v. 26. 27. & 28: quartam denique à doctrinæ ipsius effectu, v. 29. & 30. Constantiâ doctrinæ significat negatione contrariæ levitatis: quam ipsam significat similitudine arundinis, negans, Johannem esse similem arundini quæ vento agitatur. Severitatem vitæ similiter significat negatione contrarii, nempe vitæ delicatæ: negans, Johannem esse ex numero illorum qui vestitu molli ac splendido, victúve delicato utuntur. Excellentiam muneris Prophetici significat collatione ipsius cum superioris ætatis Prophetis tanquam minoribus, v. 26. Deinde eandem confirmat à peculiari honorifico adjuncto, videlicet prophetia de ipso, quam recitat ex Malachia v. 27. Tertiò collationem allatam repetit & declarat: eandemque per prolepsin amplificat collatione alterâ, qua Johanni præfert præcones futuros Evangelii pleni, v. 28. Quippe Johannes major propheta seu doctor excellentior fuit quàm alii ante ipsum Prophetæ: quia illi prophetarunt de Christo venturo, at Johannes digito ostendit præsentem. Rursus præcones Evangelii pleni, post Christi scilicet in cœlum ascensionē, excellentiores sunt doctores (nempe quod ad genus doctrinæ attinet) quàm fuit Johannes: quia etsi Johannes Christum præsentem tanquam agnum pro redemptione Ecclesiæ mactandum ostendit: tamen non potuit testari, agnum illum jam mactatum & opus redemptionis jam peractum esse: id quod testantur præcones Evangelii pleni. Effectum doctrinæ Johannis fuisse narrat Dominus: quòd totus populus & publicani illi crediderunt: id probat ex effectu, quia baptismum ipsius susceperunt. Cæterùm istum effectum doctrinæ Johannis amplificat

ab eventu contrario, nempe incredulitate Scribarum & Phariſæorum, v. 30. quam incredulitatem ſimiliter demõſtrat ex effectu, nempe quòd Baptiſmum Johannis non ſuſceperint, ſed repudiarint. Fidem autem populi & publicanorum quam doctrinæ Johannis habuerunt, ſignificat per metonymiã effecti, ubi ait, *Juſtificarunt Deum*: hoc eſt, ut juſtum & benignum prædicarunt propterea quòd ipſis dediſſet illum doctorem à quo erudirẽtur in veritate myſterii regni cœlorum. Similiter incredulitatem Phariſæorum qua fidem doctrinæ Johannis derogarunt, ſignificat per metonymiam effecti, ubi ait, *Conſilium Dei rejecerunt adverſus ſemetipſos*. quaſi dicat: Debuerunt ſtatuere conſilium Dei eſſe ut ſerventur per fidem habitam doctrinæ Johannis: at fidem doctrinæ illius habere noluerunt, atq; ita conſilium Dei de ipſorum ſalute rejecerunt.

PARS QUINTA.

Conqueritur de perverſitate Scribarum & Phariſæorum.

31 *Dixit præterea Dominus, Cui ergo aſſimilabo homines nationis iſtius? & cui rei ſimiles ſunt?*

32 *Simles ſunt pueruli qui ſedent in foro, & qui acclamant illi aliis, & dicunt; Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non flevistis.*

33 *Venit enim Johannes Baptiſta neque edens panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet.*

34 *Venit Filius hominis edens ac bibens; & dicitis, Ecce homo edax & vinipotor, amicus publicanorum & peccatorum.*

35 *Sed juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis omnibus.*

Primùm notatur querelæ hujus occaſio, 2. exponitur ipſa querela, 3. opponitur querelæ conſolatio. Occaſio notatur conjunctione ſyllogiſtica οὖν, id eſt, *Ergo*: ubi ait, *Cui ergo aſſimilabo* &c. quaſi dicat; Quum igitur Phariſæi & Legis interpretes conſilium Dei rejecerint, non credentes doctrinæ Johannis, ut modò dixi: jure conqueror de ipſorum perverſitate. Occaſionem igitur Domino ad hanc querelam præbuit facta modò mentio perverſi facti Phariſæorum.

risæorum. Queritur autem Dominus de calumnia qua isti calumniabantur mores tum Johannis tum ipsius: quæ calumnia directa erat ad prætextum repudiationis doctrinę illorum; quasi jure illam repudiarent, ut quæ non afferretur à doctoribus fide dignis. Istam autem calumniam illustrat similitudine: qua mores suos faciles atque humanos comparat cantui puerorum in foro ludentium, comparato ad hilaritatem & saltationem: mores verò Johannis severos comparat cantui puerorum ludentium lugubri & ad lamentādum comparato. Calumniam verò Pharisæorum & Scribarum comparat petulanti ac perversæ recusationi puerorum cum aliis illis pueris colludentium: qui scilicet nec saltant cum eis canuntur læta; nec flent quum canuntur lugubria. Protasis similitudinis continetur v. 32. Apodosis v. 33. & 34. Consolatio querelæ oppositæ ducitur à facto contrario Electorum, ut qui doctrinam utriusque pro sapientia cœlesti, & ambos ipsos pro doctoribus cœlestibus seu divinitus missis agnoscant & approbent, v. 35.

PARS SEXTA

Remittit peccata mulieri peccatrici.

36 *Rogavit autem eum quidam ex Pharisæis ut secum cibum caperet: itaque ingressus domum Pharisæi, discubuit.*

37 *Et ecce, mulier in urbe quæ erat peccatrix, quum cognovisset eum accubuisse in domo Pharisæi: allato alabastro unguenti.*

38 *Et stans ad pedes ejus retro, flens cœpit lachrymis rigare pedes ejus; & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ejus, & unguento illo ungebat.*

39 *Quum autem id vidisset Pharisæus qui vocaverat eum, dixit apud se; Hic, si esset Propheta, nosset quæ & qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum: quòd* videlicet *sit peccatrix.*

40 *Tunc respondens Jesus dixit ei; Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait; Magister, dic.*

41 *Duo debitores,* inquit Jesus, *erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, alter verò quinquaginta.*

42 *Quum autem illi non essent solvendo, condonavit utrisque. Horum igitur dic uter eum plus diliget?*

43 *Respondens verò Simon dixit, Existimo eum cui plus condonavit. At ille dixit ei, Recte judicasti.*

44 *Et conversus ad mulierem, dixit Simoni; Vides hanc mulierem? ingressus sum domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui extersit.*

45 *Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intravi, non intermisit deosculari pedes meos.*

46 *Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.*

47 *Cujus rei gratiâ dico tibi; Remissa sunt peccata ejus multa: nam dilexit multum. Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.*

48 *Dixit autem ei, Remissa sunt tibi peccata.*

49 *Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere apud se, Quis est hic qui etiam peccata remittit?*

50 *Dixit autẽ ad mulierem, Fides tua te servavit: vade in pace.*

Primò indicatur locus ubi hæc res gesta est, 2. occasio rei gerendæ, 3. causa impulsiva, 4. præparatio seu effectum destinatum, 5. remissionis annuntiatio, 6. eventus, 7. causa instrumentalis. Locus ubi hæc res gesta est, fuit domus cujusdam Pharisæi, v. 36. cui nomen erat Simon, v. 40. Cæterùm loci indicatio illustratur expositione causarum quarum vi illo Dominus vénit. Causæ indicantur duæ: procatarctica, invitatio Pharisæi: finalis, ut caperet cibum cum Pharisæo. Occasio quam mulier arripuit ad remissionem peccatorum à Christo impetrandam, fuit: quòd cognovit illum in domo Pharisæi accubuisse, v. 37. Itaque & ipsa illò se contulit, bonâ spe freta, se testificatione suæ resipiscentiæ ac fidei coram Domino editâ, remissionem peccatorum suorum ab illo impetraturam. Causa impulsiva quæ Dominum movit ad peccata huic mulieri remittenda, fuit illius pœnitentia & fides, & ex utraque orta imploratio suæ gratiæ, vers. 38. Pœnitentiam suam testata fuit mulier lachrymis quibus pedes Domini rigavit, atque ita gratiam ejus imploravit. Fidem suam testata fuit officiis honorificis: quæ enumerantur tria. 1. quòd pedes ejus lachrymis suis rigatos

tos exterſit capillis capitis ſui. 2. quòd eoſdem deoſculata eſt. 3. quòd eoſdem unxit pretioſo unguento quod ſecum in alabaſtro attulerat, in fine v. 37. Iſtis autem officiis gratiam Domini implorare perrexit. Præparatio qua præparatus fuit Dominus ad remiſſionem peccatorum mulieri iſti annuntiandam, fuit tacita criminatio Phariſæi & illi oppoſita defenſio Chriſti. Phariſæus damnabat Dominum inſcitiæ, ut qui ignoraret, mulierem iſtam eſſe peccatricem: quum tamen vellet haberi Propheta. Concludit igitur non eſſe Prophetam, quum iſtud ignoret: atque ita ſimul eum damnabat impudentiæ atque mendacii, quòd ſcilicet falsò ſe pro Propheta gereret. Mulierem verò damnabat impudentiæ: ut quæ auderet tam familiariter ſe in honeſto convivio adjungere viro qui habebatur ſanctus. Hoc Phariſæi de utroque judicium exponitur v. 39. Defenſio Chriſti continetur verſibus ſequentibus uſque ad 47. Defenſione hac officia mulieris in ſe collata prædicat, eaque ex fide remiſſionis peccatorum orta eſſe affirmat. Prædicationem autem officiorum illorum amplificat antitheſi omiſſionis talium officiorum in Phariſæo. Item predicationem illam ac inprimis expoſitionem cauſæ procreantis unde officia illa profecta erant, illuſtrat exemplo ſimili ficto de duobus debitoribus: de quo judicium rectum Phariſæi elicit, atque ita ipſius adverſarii confeſſione factum illud mulieris, Dominum tantopere honorantis, dignum eſſe laude oſtendit: & per conſequens ſe quoque non eſſe reprehenſione dignum ſignificat, qui officia ita mulieris admiſerit; nec ſe per inſcitiam iſta permiſiſſe ſibi fieri, ſed ſcientem & volentem, idque juſtâ de cauſâ. Etenim juſtum eſt, erga benefactorem omni genere officiorum gratum ſeſe declarare, id quod fecit iſta mulier erga Dominum à quo credebat ſibi multa ſua peccata eſſe remiſſa: & juſtum quoque eſt, talia officia ab iis qui gratiam referre ſtudent, accipere. Summa eſt defenſionis: Sicut debitor, cui majus debitum à creditore condonatum eſt, merito plus illum diligit, pluraque officia in eum conſert: quàm is cui minus debitum condonatū eſt:

Sic mulier ista cui plura peccata à me remissa atque condonata sunt, merito plus me diligit pluraque in me officia confert: quàm tu qui tibi videris pauca peccata habere, ac ne illa quidem à me tibi remissa esse credis: tametsi videri vis me habere pro Propheta Dei: pro quo si me habeas, haberes me etiam pro Filio Dei qui habeam potestatem remittendi peccata: quippe quum doceam me illud esse. Exemplum proponitur v. 41. 42. 43. ubi primùm est accessio ad exempli narrationem, v. 40. deinde narratio ipsa, v. 41. & 42. Tum petitio judicii Simonis, in fine v. 42. Postea judicii expositio, v. 43. Postremò judicii expositi approbatio, ibid. Accommodatio exempli continetur v. 44 45. & 46 ubi primùm accessio atque præparatio Simonis: ubi Dominus ait, *Videsne hanc mulierem?* quasi dicat, Attende quid de illa sim dicturus, & quomodo sententiam tuam de duobus illis debitoribus ad eam sim accommodaturus. Deinde sequitur prædicatio officiorum mulieris per antitheſin omissionis officiorum Pharisæi. Quæ antitheſis amplificata est collatione imparium elegãtissima ac nervosissima: qua ut minora majoribus opponuntur, aqua lachrymis, osculum unum osculis plurimis, oleum vulgare unguento pretioso quasi dicat: Tu ne aquam quidem dedisti famulis ad lavandum pedes meos: at ista lachrymis suis pedes meos ipsa rigavit. Tu ne linteum quidem dedisti famulis quo pedes meos ubi lavissent, extergerent: at ista capillis capitis sui extersit pedes meos. Tu ne unum quidem osculum pro more salutantium mihi dedisti ad testandum tuam erga me benevolentiam: at ista mihi dedit oscula plurima: quippe quæ ex quo intravi, non intermisit deosculari me. Tu ne os quidem meum osculatus es: at ista pedes meos osculata est. Tu ne caput quidem meum unxisti, ut more receptum est erga amicos quibus quum convivio excipiuntur, honos habetur: at ista unxit pedes meos. Tu ne oleum quidem protulisti ad me ungendum: at ista secum attulit unguentum ad me ungendum.

Atque hæc fuit præparatio Domini ad remissionem peccatorum mulieri isti annuntiandum. Annuntiatio ipsa narratur v. 47. & 48: caque duplex: prior pronuntiata ad Simonem

Simonem Pharisæũ, v. 47: posterior ad mulierem ipsam; v.48. Prior annuntiatio sive testificatio confirmatur argumento ex effectis, videlicet officiis illis mulieris ex dilectione Domini profectis. *Remissa sunt ei*, inquit, *peccata multa: nam dilexit multum.* Syllogismus:

Qui multum diligit, ei remissa sunt peccata multa,
Hæc mulier multum me dilexit.
Ego huic mulieri remissa à me sunt peccata multa.

Conclusio præcedit, assumptio sequitur: loco autem propositionis ponitur illius approbatio à contrario sensu sive à pari in contrariis, ubi dicitur: *Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.* Nam si is cui paululum remittitur, paululum diligit: consequens est, ut is cui multum remittitur, multum diligat: quum contrariarum causarum procreantium sint contraria effecta. Et è converso: Si is cui multum remittitur, multum diligit: ei quoque qui multum diligit, multum remissum est: quum effectum proprium reciprocum sit cum sua causa. Dilectio autem (nempe qua homo alium diligit) proprium effectum est beneficii: cujus species est remissio peccatorum.

Eventus istius actionis Domini, fuit offensio convivarum, quos probabile est fuisse Pharisæos: qui tacitè Dominum insimularunt blasphemiæ, ut qui sibi usurparet honorem Dei proprium remittendo scilicet peccata. hoc videtur significari istis verbis, *Quis est hic qui etiam peccata remittit?* Nisi dicendum, his verbis significari non offensionem atq; damnationem facti Domini: sed admirationem & agnitionem divinæ in illo majestatis. qualem sensum habet interrogatio illa, huic similis: *Qualis est iste cui etiam mare & venti obediunt?* Sed mihi prior expositio probabilior videtur. neque enim dicunt, ποταπὸς, Qualis & quantus est iste: sed τίς, Quis est iste. Porrò conjunctio καὶ, id est, *Etiam*, (quæ est nota majoris) videtur hîc innuere majus delictum, atq; referenda ad alteram Domini actionem, videlicet laudationem istius mulieris peccatricis. quasi dicant: Quàm impudens ac perversus homo est iste, qui non solùm peccatorũ conversationem facilis admittat, eorumq; facta collaudat: verumetiam munus divinum

invadit remittendo illis peccata. Postremò indicatur causa instrumentalis cujus vi mulier ista remissionem peccatorum à Domino accepit; ea fuit fides: teste Domino, qui ait: *Fides tua te servavit: vade in pace.*

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 *Finivisset.* ἐπλήρωσεν. Ad verb. Impleviſſet. Hebraismus. *Audiente populo.* εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ. Pro, εἰς τὰ ὦτα ἀκοαῖς τοῦ λαοῦ: id est, εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ, in auribus populi, sive ante aures populi. Metonymia adjuncti. nam in auribus inest ἀκοὴ, auditus.

2 *Moribundus erat.* ἤμελλε τελευτᾶν. Quasi dicas, Futurus erat mori: id est, moriturus erat: nempe quantum ad causas naturales. Cæterùm utrum eadem sit hæc historia cum ea quæ exstat Matth. 8. expoſui meam sententiam in ſcholia Matth. 8. v. 6.

3 *Servaret.* διασώσῃ. Id est, ſanaret. Synecdoche generis.

4 *Dignus est.* ὅτι ἄξιός ἐστιν Conjunctio ὅτι servit mimeſi.

5 *Synagogam.* τὴν συναγωγὴν. Id est, domum deſtinatam conventibus sacris populi ad audiendum lectionem atque explicationem Legis ac Prophetarum. Metonymia adjuncti. nam συναγωγὴ propriè congregationē significat: hìc autem locum ubi congregatio fiebat.

6 *A domo.* ἀπὸ τῆς οἰκίας. Videlicet à domo centurionis: id quod notat articulus. *Ne vexatur.* μὴ σκύλλου. Scil. hucusque ut tectum meum ſubeas: ut percipitur ex additâ ratione. Synecdoche generis.

7 *Dic.* εἰπὲ. Id est, κέλευσε, jube. Scilicet ut convaleſcat servus meus. Synecdoche generis gemina. *Verbo.* λόγῳ. Scilicet unico. Sic Plautus Bacchid. *Tu autem rogato: cæterùm verbum ſat eſt.* Sic idem Milite glorioſo: *Verbum Herclè facete non potes. Puer.* ὦ παῖς. Id est, ſervus; ex collatione verſus ſecundi. Hebraiſmus.

8 *Servo meo.* τῷ δούλῳ μου. Id est, peculiariter ad mihi miniſtrandum deſtinato.

9 *In Israële.* ἐν τῷ Ἰσραήλ. Id est, In Iſraëlitis. Metonymia efficientis uſitata.

11 Die

11 Die *sequenti.* ἐν τῇ ἑξῆς. Scil. ἡμέρᾳ. Ellipsis Græca; quanquam & Latini dicunt, *postero*, subaudientes *die. Proficiscebatur.* ἐπορεύετο. Cohæret hoc verbum cum præcedente ἐγένετο, per appositionem Hebraicam, apud Evangelistas usitatam. Pro: Et factum est ut proficisceretur. *Medio-criter multi.* ἱκανοὶ. Ad verb. Sufficientes. At quod sequitur, ὄχλος πολὺς, *turba multa*, grandem numerum notat.

12 *Tum ecce.* καὶ ἰδοὺ. Conjunctio καὶ servit redditioni periodi, more Hebræorum. *Et ipsi* quidem *vidua.* καὶ αὐτὴ χήρα. D. Beza refert, in quibusdam codicibus repetiri, καὶ αὐτὴ χήρα, casu nominativo, quæ lectio mihi quidem ut simplicior, majus probatur. Tunc autem subaudiendum verbum ἦν, *erat: Et ipsa* erat *vidua. Turba bene multa.* ὄχλος ἱκανὸς. Sic v. superiore.

16 *Prophetam.* ὅτι προφήτης. Conjunctio ὅτι servit mimesi. *Surrexit.* ἠγέρθη. Ad verb. Excitatus est. scil. divinitus, seu vocatione Dei. *Et, Respexit.* καὶ, ὅτι ἐπεσκέψατο. *Et*, repete ὅτι καὶ, *dicentes.* Conjunctio autem ὅτι servit mimesi, ut in membro priore.

17 *Pervenit fama.* ὁ λόγος ἐξῆλθεν. Vel, exivit, emanavit. *In totam* &c. ἐν ὅλῃ &c. Pro, εἰς ὅλην. Sic deinceps. Regionem *circumjacentem.* περίχωρον. Subaudi γῆν vel χώραν.

18 *Advocatos.* προσκαλεσάμενος. Id est, quum ad se vocasset. Etsi autem *advocandi* verbo Latini fere utuntur de eo advocationis genere, ubi quis ad causæ nostræ defensionem atque patrocinium adhibetur: (quod officium qui præstant, advocati inde nominantur) repetitur tamen etiam in significatione generali. ut Cic. ad Attic. lib. 12. *Nam quòd non advocavi ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem.* Et Virgil. 5. Æneid.

Postera quum primo stellas oriente fugarat
Clara dies: socios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumuliq; ex aggere fatur.

Quis, τίς. Ἰωάννης. Ad verb. *Et* Johannes. Hebraica repetitio antecedentis.

19 *Exspectabimus.* προσδοκῶμεν. Vel, exspectemus.

21 *Sanavit.* ἐθεράπευσεν. Ad verb. Curavit. Metonymia effecti destinati κατ' ἀκολουθίαν. *Flagellis.* μάστιξιν. Hoc nomen

præcedenti additur ἐπεξηγητικῶς. Sunt enim morbi tanquã flagella Dei: quibus tum electos suos castigat, tum reprobos punit. Confer Marc 3. v. 10. & cap 5. v. 29. & 34. *Donavit*. ἐχαρίσατο. Sic verto cum interprete vetere. Et hanc istius verbi significationem clarissimis exemplis confirmat Henr. Stephanus in suo Thesauro. Etsi enim aliâs idem valet quod *Gratificari*: tamen ista significatio huc non quadrat: quum Gratificari apud Latinos sit, In gratiam alicujus facere: Quæ significatio Christo & omnino Deo hominibus benefacienti & aliquid donanti nequaquam convenit. Hinc apud Paulum crebrò occurrit nomen verbale χάρισμα, ad significandum donum. Denique τὸ χαρίζεσθαι non est hic πρὸς χάριν πράττειν (quod est Latinis *gratificari*) sed ἐκ χάριτος πράττειν: unde & χάρισμα, donum ex gratia profectum. *Visum*. τὸ βλέπειν. Ad verb. *Videre*. Græcismus, pro τὴν ὄψιν. Potest quoque verti eleganter, *Multos cæcos visu donavit*.

22 *Cæcos videre*. ἔτι τυφλοὶ ἀναβλέπουσι. Præpositio ἀνὰ in compositione verbi hujus ἀναβλέπω, idem valet quod ἄνω, id est, sursum: sicut in verbo ἀναφέρεσθαι infrà 24. 51. & in verbo ἀναλαμβάνεσθαι Marc. 16. 19. Itaque apud Latinos illi è regione respondet verbum *Suspicere*. Sed hic & alibi passim ponitur pro simplici βλέπειν. Quare mihi non probatur interpretatio qua redditur *Visum recipere sive recuperare*. Et certè qui cæci nati sunt (de quibus non minùs, quàm de aliis cæcis, istud verbũ usurpatur) non possunt dici visum recipere sive recuperare: quippe quem nunquam habuerunt. Porrò cæcos videre, claudos ambulare, surdos audire, intellige de iis qui paulo antè fuerant cæci, claudi, surdi.

24 *Quid*. τί. Regitur hæc vox à verbo sequente θεάσασθαι. *Spectaturi*. θεάσασθαι. Pro, τοῦ θεάσασθαι. scil. ἕνεκα. Quum scil. existis ad spectandũ Johannẽ. *Arundinem*? κάλαμον; Quasi dicat: Johannes non est arundo, id est, arundini similis.

25 *Visuri*. ἰδεῖν. Pro, τοῦ ἰδεῖν. scil. ἕνεκα. *Magnifico*. ἐνδόξῳ. Vel, splendido, illustri, *In palatiis regum*. ἐν τοῖς βασιλείοις. Vel uno verbo, *in regiis*. Ovid. 2 Metamorph.

Regia solis erat sublimibus alta columnis.

Verunta-

Veruntamen periphrasis illa magnificentiùs sonat, & magis perspicua est.

26 *Etiam amplius* est. ᾧ περισσότερον. Ad nomen περισσότερον subauditur pronomen τι, id est, aliquid. Item verbum substantivum ἐστί: quod perspicuitatis gratiâ expressi. Similia sunt (quod ad phrasin) dicta illa Domini de seipso loquentis Matth. 12. v. 41. & 42. *Et ecce plus quàm Jonas*, est *in hoc loco*. item, *Ecce plus quàm Salomon*, est *in hoc loco*. πλεῖον Ἰωνᾶ: item πλεῖον Σολομῶνος ὧδε. Pro πλεῖόν τι, plus quiddam, majus quiddam. Ita hic de Johanne ait Dominus: *Etiam amplius est* (scil. Johannes) *quàm Propheta*.

28 *Inter genitos ex mulieribus*. ἐν γεννητοῖς γυναικῶν. Pro, γεγεννημένοις ἐκ γυναικῶν. Sicut Johan. 6. 45. διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, pro, διδαχθησόμενοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, docti à Deo. Vetus, *Inter natos mulierum*: non malè. quia sic & nomen nomini respondet, eademq; syntaxis servatur: & nomen *nati* etsi propriè respondet nomini τικτὰ vel τικτὰ: tamen significationem nominis γεννητὸς bene exprimit: quia τὸ γεννᾶσθαι, id est gigni, hîc idè valet quod τὸ τίκτεσθαι, id est nasci: ut & alibi passim: ut Matt. 1. 18. item cap. 2. v. 1. & 4.

29 *Audito*. illo. ἀκούσας. Scilic. ἐκεῖνον. nempe Johanne. Continuatur enim hic sermo Christi de Johanne. Nũ autem esse hæc Evangelistæ verba (ut quis primâ fronte putare posset) ex re ipsa patet: quip, e Johannes tum erat carceri inclusus: ut constat ex Matth. 11. 2. ac proinde non licuit illi ex eo tempore quenquam baptizare. Regitur autem participium ἀκούσας à sequente verbo ἐδικαίωσαν, per ὑστέρημα, ad notandum tempus & causam impulsivam. Populus justificavit Deum. quando & cur? quũ audivisset Johannem, & quia eum audiverat. *Justificarunt Deum* ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν. Id est, ut justum ac bonum servantemque suarum promissionum celebrarunt. Sic infrà v. 35 Quippe *baptizati*. βαπτισθέντες Adjeci particulam causalem, perspicuitatis causâ. Probatur enim hîc ab effectu, tanquam signo evidente, quòd populus & publicani justificarint Deum, saltem apud animum suum. Id inde liquebat, quòd doctrinæ Johannis tanquam Prophetę à Deo missi fidem habentes, baptismum ab eo receperunt. *Baptizati baptismo*,

βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα. Subauditur καὶ ante τὸ βάπτισμα. Syntaxis Græca, *Baptismo Johannu.* τὸ βάπτισμα Ἰωάνου. pro Baptismo illius, τὸ βάπτισμα αὐτοῦ. Antecedens pro relativo, more Hebræorum.

30 *Consilium Dei.* τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ. Id est, testimonium Johannis de Christo: unde illi debuerunt æstimare consilium Dei: nempe Deum velle ipsos ad salutem adducere per Christum, si in illum credant. Metonymia subjecti. Nam propriè loquendo consilium Dei quod de singulis cepit, à nulla creatura rejici irritúmve reddi potest. *Adversus semetipsos.* εἰς ἑαυτούς. Hic præpositione εἰς non notatur finis illis propositus qui Dei consilium, id est, testimoniũ Johannis rejiciebant. sed eventus. Ista enim rejectio præter illorũ propositum, cessit in perniciem ipsorũ Quippe *non baptizati,* μὴ βαπτισθέντες. Cur adjecerim hîc quoq; particulam *quippe,* prudens lector æstimare poterit ex scholio ad vocem βαπτισθέντες, v. superiore.

21 *Dixit præterea Dominus.* εἶπεν δὲ ὁ Κύριος. Hæc verba (ut D. Beza monuit) apud Syriacum interpretem reddita non sunt: quin etiam eodem teste desiderantur in plerisque vetustis codicibus. Et sanè (ut idem rectè judicat) inserta videntur ab aliquo, qui putavit, præcedentes duos versus non Christi, sed Evangelistæ verba continere. Sanè apud Matthæum in narratione hujus sermonis non extant.

33 *Neque edens panem.* μήτε ἄρτον ἐσθίων. Sed locustas, & mel sylvestre, Matth. 3. 4.

35 *Sed justificata est* &c. ἐδικαιώθη &c. Vide scholia in Matth. 11. 19. Quibus adde, *Filios Sapientiæ,* posse hîc exponi discipulos sapientiæ: nempe discipulos veros, qui serium studium adhibent ad sapientiam Dei ex doctoribus Ecclesiæ discendam. quomodo per filios intelliguntur discipuli in Psal. 33. *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* Hanc interpretationem affert doctiss. vir J. Drusius Animadvers. lib. 2. cap. 25.

36 *Secum.* μετ' αὐτοῦ. Pronomen αὐτοῦ hîc positum est pro reciproco ἑαυτῆ. *Quæ erat peccatrix.* ἥτις ἦν ἁμαρτωλός. Id est, meretrix. Synecdoche generis. Etsi autem tum desidera-

esse

esse talis, ut ex hac ipsa historia colligitur: tamen Evangelista dicit, *Erat*: respiciens ad opinionem vulgi, cui nondum innotuerat resipiscentia illius. unde & Pharisæus qui Dominũ convivio exceperat, iliam adhuc talem esse putabat, v. 39. *Allato alabastro.* κομίσασα ἀλάβαστρον. Id est, Quũ attulisset alabastrum. Hic incipit apodosis periodi, quæ versu sequente continuatur & absolvitur.

38 *Flens cœpit rigare.* κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν. Participium κλαίουσα regitur à verbis sequentibus, ἤρξατο βρέχειν, significans modum agendi aut gestum. Cœpit rigare: quomodo seu quo gestu? Flens, id est, inter rigandum flendo. *Unguento illo.* τῷ μύρῳ. Nempe quod secum attulerat in alabastro, versu superiore. Itaq; articuli vim αὐτοψίαν visum est exprimere.

39 *Qui vocaverat.* ὁ καλέσας. Id est, invitaverat ad prandium vel cœnam. *Quòd* videlicet ὅτι. Conjunctio ὅτι hic non bene redditur, *quia* vel *nim*: quum non ponatur αἰτιολογικῶς, sed εἰπικῶς: ut ex ipsa sententiarum cohærentia planum est.

41 *Unus.* ὁ εἷς. *Der eine.* Græcum & Germanicum expressius propter articulũ. Sic mox *alter*, ὁ ἕτερος, *der ander*.

42 *Quum autem illi non essent solvendo.* μὴ ἐχόντων αὐτῶν ἀποδοῦναι. Vetus interpres, *Non habentib illis unde redderent*: hoc est, μὴ ἐχόντων αὐτοῖς πόθεν ἀποδοῦσι At verbum ἔχειν per hellenismum hic ponitur pro δύνασθαι: ut ad verbum soner, *Quũ non haberent illi* (id est, non possent) *reddere*. scil. mutuum. *Condonavit.* ἐχαρίσατο. Scil. debitum. *De verbo* χαρίζεσθαι vide suprà ad v. 21.

44 *Pedibus meis.* τοῖς πόσι μου. Pedibus meis, scil. lavandis: ex more gentis. Ad verb. Super pedes meos.

45 *Ex quo.* ἀφ' ἧς. In Græco subauditur ὥρας: in Latino, *tempore* vel *momento*.

46 *Oleo.* ἐλαίῳ. Nempe simplici & vulgari, non permixto odoriferis aromatibus. *Unguento.* μύρῳ. Scil. pretioso, ex aromatibus pretiosis atque odoriferis confecto.

47 *Nam.* ὅτι. Conjunctio ὅτι hic habet vim (ut Grammatici appellant) causalem: nec tamen propterea argumẽtũ hic ducitur à causa, sed ab effectu: ut vel ex subjecta

sententia percipitur, nempe, *Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.* Nam sicut exiguum beneficium parit exiguam gratiam: sic beneficium magnum, magnam quoque gratiam parit.

49 *Dicere apud se.* λέγειν ἐν ἑαυτοῖς. Ad verb. Dicere in se, id est, intra se, in animis scil. suis. hoc est, cogitare. *Quis est hic.* τίς οὗτος ἐστιν. Id est, Quàm audax & blasphemus est? ut qui sibi usurpet quod proprium est Dei. Confer suprà 5.v.20.& 21.

50 *Te servavit.* σέσωκε σε. Id est, salutem æternam tibi impetravit. *In pace.* εἰς εἰρήνην. Pro, ἐν εἰρήνῃ: id est, μετ' εἰρήνης cum pace. Enallage Hebraica.

OBSERVATIONES EX CAP. VII.

Ex historia de servo Centurionis. Etsi hæc historia non videtur esse eadem cum ea quæ exstat Matth. 8: sicut in scholiis ad illum Matthæi locum ostendi: tamen quum sit illi persimilis: eædem hinc observationes nascuntur, quas annotavi ex Matth. 8.v.5.& deinceps.

δίδ. Ex v.11. & seq ex historia scil de excitato à morte filio viduæ in civitate Naïn. Primùm admonemur nostræ mortalitatis: ac nominatim, quòd tam juvenes quàm senes, morti obnoxii sint. Quare juvenes non confidant sua ætate, valetudine ac robore: quasi propterea tuti sint à morte.

ἐπ.

παιδ. Deinde proponitur nobis in popularibus istius viduæ exemplum humanitatis & charitatis atq; etiam pietatis, in funeribus piorum honestè sepeliendis.

παιδ. Tertiò proponitur nobis in Christo exemplum summę φιλανθρωπίας erga afflictos.

παιδ. Quartò proponitur in eodem exemplum operis divini, videlicet excitationis mortui, ex propria potentia: unde ipsius deitas demonstratur.

παιδ. Postremò in populo proponitur nobis exemplum pietatis in celebranda bonitate Dei.

Ex v.18. & seq. usq; ad 36. videlicet ex historia de discipulis Johannis ab illo missis ad Christum. Vide Observationes

vationes ex Matth. 11. v. 2. & deinceps.

Ex v. 36. & deinceps, videlicet ex historia de muliere peccatrice quæ unxit Domini pedes. Primùm in Christo cibum capiente apud Pharisæum proponitur nobis exemplum facilitatis & charitatis in gratificando proximis in rebus licitis. *πρῶ.*

Deinde in muliere illa peccatrice proponitur nobis exemplum veræ ac salutaris pœnitentiæ: qua fit ut homo peccata sua agnoscat, deploret, confiteatur, ad gratiã Dei in Christo oblatam confugiat, eandemque fide in verbo Evangelii amplectatur, & ex illa fide Christum & ex consequente Deum patrem diligat, eamque dilectionem factis ostendat. *πρῶ. δεύ.*

Tertiò in Simone Pharisæo proponitur nobis exemplum superbiæ hypocritarum, qua fit ut facta ambigua proximi in partem deteriorem temere interpretentur, & peccatoribus manifestis sanctiores sese putent, ac proinde illos consuetudine sua indignos judicent. *πρῶ. τρί.*

Quartò in Christo remittente peccata isti mulieri peccatrici, & unctionem illius admittente, proponitur nobis exemplum φιλανθρωπίας & misericordiæ erga peccatores resipiscentes & ad gratiam ipsius confugientes. *πρῶ. πρω.*

Postremò verba Christi, v. 47. *Remissa sunt peccata ejus multa: nam dilexit multum:* vindicanda sunt à falsa expositione Papistarum: qui per conjunctionem ὅτι, id est, *quia* vel *nam*, statuunt notari causam: ac proinde hinc volunt probare, dilectionem esse ex causis justificationis. At conjunctione illa notari hîc non causam, sed effectum: planum evadit tum ex verbis proximè annexis, *Cui autem paupulum remittitur, paululum diligit:* tum ex parabola à Domino proposita de duobus debitoribus, quibus creditor debitum cuique suum remisit: uni majus, alteri minus. de quibus quærit Dominus, uter creditorem illum plus sit dilecturus? Ubi manifestum est, dilectionem ex conditione debiti deduci tanquam effectum ex sua causa, videlicet gratiæ relationem ex beneficio accepto. Similiter ergo dilectio qua nos diligimus Deum & proximum propter Deum, oritur ex fide remissionis pecca- *τελεία.*

torum, hoc est, qua credimus quòd Deus nobis remiserit peccata: ac proinde non potest illius remissionis seu justificationis esse causa. Nec verò cõjunctio causalis à Grammaticis hoc sensu dicitur, quòd semper notet causam rei de qua est quæstio: sed quòd notet causam quæstionis concludendæ, hoc est, argumentum quo sententia aliqua vera esse demonstratur & syllogismo concluditur: sive argumentum illud à causa sumptum sit, sive ab effectu, sive ex alio genere.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Pergit Dominus in administratione muneris Prophetici: proponit parabolam de satore: respondet de matre & fratribus: sedat tempestatem maris: ejicit dæmonia complura ex homine uno: sanat mulierem laborantem fluxione sanguinis: excitat à morte filiam Jairi.

PRIMA PARS.

Pergit in administratione muneris Prophetici.

ET *accidit deinceps, ut ipse iter faceret oppidatim & vicatim, prædicans & evangelizans regnum Dei: & Duodecim erant cum eo.*

2 *Et quædam mulieres quas sanaverat à spiritibus malis & morbis; Maria quæ vocabatur Magdalene, ex qua septem dæmonia exierant,*

3 *Et Johanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ: quæ ministrabant ei ex facultatibus suis.*

Primùm indicantur loca ubi perrexit prædicare, 2. objectum prædicationis, 3. comites qui eum comitati sunt obeuntem diversa loca, prædicandi gratiâ. Loca indicantur duorum generum, oppida & vici. Intelliguntur autem oppida & vici Galilææ: ut percipitur ex cohærentia cum præcedentibus quæ gesta sunt in Galilæa, & ex nominibus mulierum quæ ipsum fuerunt comitatæ: illæ enim Marc. 15. v. 41. dicuntur eum sequutæ eiq; ministrasse, quum esset in Galilæa; & denique ex cohærentia cum

v.22. & 26. hujus capitis, ubi dicitur cum discipuli navigasse in ulteriorem ripam lacus (nempe Genesaret sive Tiberiadis) & perveniſſe in regionem Gadarenorum, quæ eſt in oppoſita ripa Galilææ. Objectum prædicationis fuit *regnum Dei*; dicitur enim evangelizaſſe regnum Dei: hoc eſt, docuiſſe rationem ac viam introeundi in regnum Dei, ſeu conſequendi vitam æternam. Comites fuerunt duorum generum: videlicet partim viri, nempe duodecim Apoſtoli: partim mulieres, quarum tres nominatim exprimuntur. Simul autem ſignificatur cauſa quæ illis movit ad Dominum ſequendum: nempe ut gratiam ei referrent, miniſtrando ei ex facultatibus ſuis, pro accepto beneficio ſanationis.

PARS SECUNDA.

Proponit parabolam de ſatore.

4 *Quum autem multa turba conveniret, & qui in ſingulis urbibus erant, proficiſcerentur ad eum, dixit per parabolam;*

5 *Exiit ſator quidam ad ſeminandum ſemen ſuum: & in ſeminando aliud cecidit ſecundum viam, & concultatum eſt, & volucres cæli devorarunt ipſum.*

6 *Et aliud cecidit ſuper petram, & enatum exaruit, quia non habebat humorem:*

7 *Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocarunt ipſum.*

8 *Et aliud cecidit in terram bonam; & enatum, edidit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat, Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

9 *Interrogabant autem eum diſcipuli ejus, dicentes quæ eſſet iſta parabola.*

10 *Ipſe verò dixit* eis, *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: reliquis autem per parabolas* loquor, *ut videntes non videant, & audientes non intelligant.*

11 *Eſt autem hæc parabola, Semen illud eſt ſermo Dei:*

12 *Qui autem ſecundum viam* ſemen excipiunt, *ii ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit ſermonem è corde eorum, ut ne credant & ſerventur.*

13 *Qui verò super petram*, ii sunt *qui quum audierint, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti radicem non habent; qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt.*

14 *Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt: sed profecti, à solicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructum ferunt.*

15 *Quod autem in bonam terram* cecidit, *ii sunt qui posteaquam sermonem audierunt, in corde honesto ac bono* eum *retinent, & fructum ferunt per patientiam.*

16 *Nemo porrò quum lucernam accenderit, operit eam vase, aut subter lectum ponit: sed candelabro imponit, ut qui ingrediuntur videant lumen.*

17 *Non est enim* quicquam *occultum quod non sit futurum manifestum: nec absconditum quod non sit futurum ut cognoscatur & veniat in apertum.*

18 *Videte ergo quomodo audiatis. Quisquis enim habet, dabitur ei: & quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.*

Prmimùm indicatur occasio vel causa impulsiva, 2. recitatur ipsa parabola, 3. subjicitur illius expositio, 4. annectitur admonitio de recto doctrinæ Domini usu. Occasio vel causa impulsiva, fuit præsentia auditorum, videlicet magnæ turbæ, quæ ex oppidis Galilææ ad Dominum convenerat. Parabola est de semine quod interseminandum in quatuor diversa loca cecidit, & in uno tantùm fructum tulit, v. 5. 6. 7. & 8. Expositioni parabolæ præmittuntur causæ impulsivæ, numero duæ: una procatarctica, petitio discipulorum, v. 9: altera, προηγουμένη, benevolentia Domini erga ipsos tanquam electos. Hæc posterior causa amplificatur antithesi reprobæ turbæ: quatenus verbis Esaiæ exponit causam cur illis loquatur per parabolas: nempe ut videntes non videant, & audientes non intelligant: hoc est, ut de mysteriis regni Dei cognoscant quidem tantum quantum satis est ad ipsos reddendum inexcusabiles, non autem quantum opus est ad consequendũ vitam æternam. In ipsa autem parabolæ expositione indicantur causæ corrumpentes quæ impediunt efficaciam verbi Dei in auditoribus, ne scilicet in eis efficax sit ad salutem,

salutem. Eæ causæ sunt: diabolus, v.12. mollities, v.13. solicitudines, divitiæ & voluptates: id est, solicitudo de divitiis acquirendis, conservandis & augendis, & voluptates ex divitiarum abusu, v.14. Contrà indicatur quoque causa adjuvans efficaciam verbi, videlicet bonitas cordis: quam sciendum est nullius hominis cordi (solo Christo excepto) esse naturalem, sed adventitiam cordibus electorum per operationem Spiritus sancti. Huic parabolæ expositioni annectit Dominus admonitionem ad discipulos de recto doctrinæ suæ usu: quem ostendit duplicem: unum, ut quæ ex ipso didicerint, suo tempore cum aliis communicent, v.16. & 17: alterum, ut audiant doctrinam suam cum studio ex illa proficiendi, v.18. Priorem usum illustrat primùm similitudine, v.16: deinde proverbio, v.17. Similitudine doctrinam suam sive sapientiam quam docebat, comparat lucernæ, in hunc sensum: Sicut lucerna non solet accendi ut operiatur vase aut ponatur subter lectum, sed ut imponatur candelabro, atque ita luceat iis qui in domum ingrediuntur: sic ego sapientiam illam cœlestem nõ doceo vos ut illam silentio tegatis & aliis invideatis, sed ut eam publicè prædicetis, atque ita cum aliis communicetis, ut electi inde illuminentur cognitione salvifica Dei. Proverbii accommodatio est talis: Sicut (ut proverbio dicitur) nihil geritur in occulto, quod non aliquando producatur in lucem ac manifestum reddatur: sic etiam sapientia illa cœlestis quam ego nunc vobis in occulto doceo, & quasi in aurem vobis communico, suo tempore in lucem proferẽda erit ut manifesta fiat. Posteriorem usum confirmat ab effectis inter se contrariis: nempe effectu utili, si quis ex doctrina sua proficere studeat: & effectu noxio, si quis proficere negligat. Effectus utilis est, sapientiæ cœlestis incrementum. de hoc dicit. *Quisquis enim habet, dabitur ei*: sententiam hanc proverbialem accommodans suo proposito. Effectus noxius est, privatio sapientiæ jam acquisitæ. id significat quum ait: *Et quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.*

PARS TERTIA.

Respondit de matre & fratribus.

19 *Venerunt autem ad eum mater & fratres ejus, & non poterant eum convenire propter turbam.*

20 *Et annuntiatum est ei, dicentibus* nonnullis, *Mater tua, & fratres tui stant foris, cupientes te videre.*

21 *Ipse verò respondens dixit eis; Mater mea & fratres mei, ii sunt qui sermonem Dei audiunt, & eum præstant.*

Primùm narratur responsi seu apophthegmatis hujus occasio, 2. causa impulsiva seu irritatrix, 3. responsum ipsum. Occasionem huic sapienter-dicto præbuit adventus matris & fratrum, dum ipse docebat turbam in quadam domo. Causa impulsiva quæ Dominum ad sermonem illum pronuntiandum irritavit, fuit intempestiva petitio conveniendi ipsum & petitionis illius annuntiatio. Responso ipso perstringuntur inscitiæ tum mater & fratres, tum monitores illi qui petitionem illorum Domino annuntiabant: ut qui putent, plus situm est in officio humano erga homines, quàm in officio divino & ad æternam hominum salutem spectante: quale nimirum est officium docendi doctrinam cœlestem quo Dominus tunc fungebatur. Et eâdem operâ laudantur qui auscultationem verbi Dei pluris faciunt, quàm officia humanitatis. Scitè autem nomen matris & fratrum ad hosce per ἀντανάκλασιν accommodat; metaphoricè significans, tales sibi longè charissimos esse, non secus ac si sanguine sibi conjuncti essent. quasi dicat: Quid vos mihi narratis de matre & fratribus, quòd me conventum cupiant? Ecce hîc jam adsunt mater mea & fratres mei, isti qui à meo docentis ore pendent. Etenim illi demum mihi pro matre & fratribus sunt, quicunque sermonem Dei quem propono, & attentè audiunt & studiosè observant.

PARS QUARTA.

Sedat tempestatem maris.

22 *Accidit autem quodam die ut ipse ingrederetur in navigiũ; ac discipuli ejus: & dixit eis, Transeamus in ulteriorem ripam lacus. Et provecti sunt.*

23 *Navigan-*

23 *Navigantibus autem eis sopitus est: & descendit turbo venti in lacum: & complebantur, ac periclitabantur.*

24 *Accedentes autem expergefecerunt eum, dicentes; Magister, magister, perimus. Ipse verò experrectus objurgavit ventum ac fluctuationem aquæ: & cessaverunt, factaq; est tranquillitas.*

25 *Dixit autem eis, Ubi est fides vestra? Timentes autem mirati sunt, dicentes alii ad alios; Quisnam iste est? quod ventis quoque & aquæ imperat, & auscultant ei.*

Primùm indicãtur testes miraculi hujus, 2. locus, 3. occasio, 4. causa corrumpens, 5. objectum, nempe ipsa tempestas, 6. causa impulsiva, 7. modus agendi, 8. miraculum ipsum, 9. adjunctum adhærens, 10. eventa. Testes fuerũt discipuli qui unâ cum Domino navim fuerant ingressi ut trajicerent lacum Galilææ. Locus ubi hoc miraculum fuit editum, fuit ea pars lacus quæ interjacet inter Galilæam & regionem Gadarenorum, v. 22. & 26 Occasionem miraculo præbuit, quòd Dominus cum discipulis in altum provectus est & per lacum navigavit, v. 22. & 23. Causa corrumpens quæ sedationem coortæ tempestatis ad tempus impedivit atque retardavit, fuit sopor Domini, v. 23. Objectum sedationis, nempe ipsa tempestas describitur partim à causa procreante, *Descendit in lacũ turbo venti:* partim ab effectis, *Complebantur ac periclitabantur*: ibid. Causa impulsiva quæ Dominum ad tempestatem illam sedãdam commovit, fuit petitio discipulorum implorantium ipsius opem, v. 24. Modus agendi quo usus est in tempestate sedanda, fuit objurgatio venti ac fluctuationis aquæ, v. 24. Miraculũ describitur ibid. his verbis: *Et cessaverunt* (aquæ) *factaq; est tranquillitas.* Adjunctum adhærens, fuit objurgatio discipulorum propter incredulitatem seu defectum fidei, v. 25. *Ubi est fides vestra?* Eventa narrantur tria: 1. timor eorum qui miraculum hoc viderant. 2. admiratio. 3. prædicatio, *Quisnam iste est? quòd ventis quoque & aquæ imperat, & auscultant ei.*

PARS QUINTA.

Ejicit dæmonia complura ex homine uno.

26 *Et pernavigarunt in regionem Gadarenorum: quæ est*

in oppoſita ripa Galilæe.

27 *Ipſi autem egreſſo in terram, occurrit ex urbe vir quidam qui habebat dæmonia à temporibus multis; & veſtimento non induebatur, neque in* ulla *domo manebat, ſed in monumentis.*

28 *Is ergo quum vidiſſet Jeſum, & exclamaſſet, accidit ei* ad pedes, *& voce magna dixit; Quid mihi tecum Jeſu Fili Dei altiſſimi? rogo te ne me torqueas.*

29 *Præcipiebat enim ſpiritui iſti impuro ut exiret ab eo homine. nam à multo tempore corripuerat eum: itaque vinctus* ille *catenis & pedicis, cuſtodiebatur: ſed diruptis vinculis agitabatur à dæmone in deſerta.*

30 *Interrogavit autem eum Jeſus, dicens, Quod tibi nomen eſt? Ipſe verò dixit, Legio. Nam dæmonia multa ingreſſa erant in eum.*

31 *Et rogabant eum ne imperaret ipſis ut abirent in abyſſum.*

32 *Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte: & rogabant eum dæmonia ut permitteret ipſis in illos ingredi. Et permiſit eis.*

33 *Egreſſa autem dæmonia ex eo homine, ingreſſa ſunt in porcos: & grex ruit è præcipitio in lacum & ſuffocatus eſt.*

34 *Quum autem paſtores vidiſſent quod factum fuerat, fugerunt: & profecti annunciarunt in urbem & in agros.*

35 *Exierunt igitur ut viderent quod factum erat: venerunt q; ad Jeſum, & invenerunt hominem illum à quo dæmonia exierant, veſtitum, at ſanæ mentis, ſedentem ad pedes Jeſu: & extimuerunt.*

36 *Annuntiaverunt autem ipſis etiam ii qui viderant, quomodo liberatus fuiſſet qui fuerat dæmoniacus.*

37 *Et rogavit eum tota multitudo circumjacentis regionis Gadaredorum ut diſcederet ab ipſis, quia magno timore tenebantur: ipſe autem ingreſſus navigium, reverſus eſt.*

38 *Rogavit autem eum vir ille à quo dæmonia exierant, ut eſſet cum eo: ſed dimiſit eum Jeſus, dicens,*

39 *Revertere domum tuam, & narra quanta tibi præſtiterit Deus. Abiit igitur prædicans per totam urbem quanta ipſi præſtitiſſet Jeſus.*

Primùm indicatur locus, 2. occaſio, 3. objectum, 4. cauſa corrumpens, 5. modus agendi, 6. cauſa impulſiva, 7. aliud objectum, 8. adjuncta adhærentia, 9. eventa. Locus

ubi

ubi Dominus hoc miraculum edidit, fuit ripa lacus Genesaret in regione Gadarenorum, v. 26. & 27. Occasionem ei præbuit occursus dæmoniaci, ibid.

Objectum miraculi, nempe ipse dæmoniacus, describitur à sexu & ætate, quòd fuerit *vir*; ab adjuncta duratione mali, quòd *dæmonia habuerit à temporibus multis*: & denique à factis, quòd *non induebatur vestimento, neque manebat in domo, sed in monumentis*. Causa corrumpens quia dæmonia illa conata sunt ejectionem sui avertere, fuit deprecatio ipsorum, v. 28. Argumenta deprecationis adhibent duo: unum à pari, quum unus ex illis dicit: *Quid mihi tecum Jesu?* quasi dicat: Ego tibi non facesso molestiam, ergo nec tu mihi facessas. Alterum similiter à pari: Ego tibi benefacio, appellando scil. te filium Dei altissimi: ergo tu vicissim mihi benefacito, permittendo mihi habitationem in hoc homine. Modus agendi fuit, quòd *præcepit spiritui impuro ut exiret ab eo homine*, vers. 29. Causa impulsiva quæ Dominum ad illum ejiciendum movit, fuit miseria dæmoniaci ab isto dæmone effecta: *Nam à multo tempore corripuerat eum &c.* ibid. Aliud objectum, videlicet ipsum dæmonium quod Dominus ejecit, describitur v 30. 1 nomine proprio: cujus ratio simul exponitur. Adjuncta adhærentia narrantur sex: alia ex aliis ordine consecutra. 1. Rogarunt Dominum dæmonia illa ne imperaret ipsis ut abirent in abyssum. 2. Rogarunt ut ipsis permitteret ingredi in porcos in vicino monte pascentes. 3. Dominus hoc eis permisit. 4 Permissione facta, dæmonia in porcos illos ingressa sunt. 5. præcipitarunt eos in lacum. 6. suffocarunt eos: v. 31. 32. & 33. Eventa, alia ex aliis ordine consecuta, narrantur duodecim. 1. Pastores istorum porcorum fugerunt. 2. annuntiarunt rem gestam in urbem & in agros. 3. Illi quibus fuerat annuntiatum, venerunt ad Jesum. 4 invenerunt dæmoniatum illum jam sanatum. 5. extimuerunt. 6. Qui rem geri viderant, illis narraverunt. 7. Tota multitudo incolarum illius regionis rogavit Dominum ut discederet ab ipsis. 8. Dominus navigium ingressus, abiit. 9. Dæmoniacus rogavit Dominum ut se assumeret comitem. 10. Dominus illum repulit. 11. Jussit

eum reverti domum & prædicare beneficium Dei in se collatum. 12. Ille mandato Domini obtemperavit.

PARS SEXTA ET SEPTIMA.

Sanat mulierem laborantem fluxione sanguinis: excitatq; à morte filiam Jairi.

40 *Factum est autem quum reverteretur Jesus, excepit eum turba: nam omnes exspectabant eum.*

41 *Ecce, venit quidam cui nomen Jairus, qui erat præfectus synagogæ: quumq; accidisset ad pedes Jesu, rogabat eum ut ingrederetur domum suam.*

42 *Quoniam erat ei unigenita filia quasi annorum duodecim, eaq; moriebatur. Inter eundum verò turba coarctabat eum.*

43 *Et mulier constituta in fluxione sanguinis ab annis duodecim; quæ in medicos impenso toto victu, non tamen potuerat ab ullo curari:*

44 *Accessit à tergo, & tetigit fimbriam pallii ipsius: & illico substitit fluxio sanguinis ejus.*

45 *Tunc ait Jesus, Quis est qui me tetigit? Negantib. autem omnibus, dixit Petrus & qui cum eo erant; Magister, turba te cõstringit & opprimit; & dicis, Quis est qui me tetigit?*

46 *Jesus autem ait, Tetigit me aliquis, nam ego cognovi, virtutem à me exiisse.*

47 *Quum autem mulier vidisset se non latuisse, tremens venit, & accidens ei ad pedes, declaravit ei in conspectu totius populi quam ob causam tetigisset eum, & quomodo sanata fuisset illico.*

48 *Ipse verò dixit ei; Confide filia, fides tua te servavit: vade cum pace.*

49 *Adhuc eo loquente, venit quidam à præfecto synagogæ, dicens ei, Mortua est filia tua: ne vexa magistrum.*

50 *Jesus autem hoc audito, respondet ei, Ne metue: crede solum modo, & servabitur.*

51 *Ingressus verò domum, non permisit ingredi quenquam nisi Petrum & Jacobum & Johannem, & patrem ac matrem puellæ.*

52 *Flebant autem omnes, & plangebant eam: ipse verò dixit Ne flete: non est mortua, sed dormit.*

53 *Et deridebant eum, quòd scirent esse mortuam.*

54 *Ipse verò, ejectis foras omnibus, & prehensa manu ejus, clamavit, dicens; Heus puella, surge.*

55 *Et reversus est spiritus ejus, ac surrexit illico: & ipse præcepit ut ei daretur cibus.*

56 *Et obstupuerunt parentes ejus: ipse verò præcepit eis ut nulli dicerent quod factum fuerat.*

Hæ duæ historiæ conjunctim narrantur: nam prior posteriori inseritur. Ad priorem pertinent hæc: 1. locus, 2. testes, 3. adjunctum adhærens, 4. causæ impulsivæ, 5. miraculum ipsum, 6. aliud adjunctum adhærens, 7. iterum causa impulsiva. Locus significatur partim v. 40. his verbis, *Factum est autem quum revertisset Jesus:* partim v. 42. his verbis, *Inter eundem verò turba coarctabat eum*, unde percipitur, sanationem illam mulieris accidisse in Galilæa in via, dum Dominus à ripa lacus iret domum Jairi. Testes significantur nomine turbæ, v. 40. & 42. Adjunctum adhærens fuit, quòd Dominus interim dum mulier ab ipso sanabatur, à turba fuit compressus atque coarctatus, v. 42. & 45. Causæ impulsivæ significantur duæ: miseria mulieris, quæ describitur v. 43. & factum illius, quod narratur vers. 44. nempe quòd ex fide tetigit fimbriam pallii Domini. Miraculum ipsum narratur ibid. Quòd illico post illum contactum subsiterit fluxio sanguinis ipsius. Alterum adjunctum adhærens fuit miraculi clàm peracti patefactio, quæ describitur v. 45 46. & 47. ubi narratur, quomodo Dominus mulierem illam in lucem produxerit, & effecerit ut sanationem sui miraculosam ultrò narraret: nempe conquerendo, se ab aliquo esse tactum: & affirmando, virtutem à se exiisse. Repetitio causæ impulsivæ, nempe fidei mulieris, habetur v. 48. cujus expositio, ipsius Domini testimonio confirmatur.

Atq; hæc de sanatione mulieris: jàm ad excitationem filiæ Jairi pertinent hæc. 1. Causa impulsiva, 2 Causa corrumpens, 3 Præparatio, 4 Locus, 5 Testes, 6 alia præparatio, 7 modus agendi, 8 miraculum ipsum, 9 Eventus. Causa impulsiva fuit petitio Jairi, v. 41. Causa corrumpens quæ excitationem puellæ videbatur impeditura, fuit

nuntius mortis Jaïro allatus, cum annexa hortatione, ut Dominũ missum faceret, nec opem illius implorare pergeret, v. 49. Præparatio pertinet ad patrem puellæ excitandæ: cui Dominus excitationem illius promittit, si modò credat: ac proinde credere eum jubet, v. 50 Locus ubi miraculum hoc editum est, fuit domus Jaïri, v. 51. Testes seu spectatores miraculi commemorantur ibidem, numero quinque. Alia præparatio pertinet ad amicos præsentes qui defunctam deflebant: ad quos ait, illam non esse mortuam, sed dormire, v. 52. Quo ipso promittit, se illam mox excitaturum. Hæc promissio declaratur ex eventu, videlicet quòd eum deriserunt, v. 53. Causa erat: quia ad mentem verborum Domini non attenderunt: qui verbo dormiendi utebatur metaphoricè: quod illi tanquam propriè dictum accipiebant. Significabat enim Dominus, puellam sibi quasi dormire, quia ipsam solâ inclamatione sit excitaturus. Modus agendi narratur v. 54. nempe quòd puellam inclamavit & surgere jussit. Miraculum ipsum narratur vers. 55. Eventus narratur duplex, v. 56: unus, quòd parentes puellæ obstupuerunt: alter, quòd Dominus eis patefactione rei gestæ interdixit. quod tamen videtur intelligendum cum restrictione ad præsens illud tempus: nempe ne è vestigio foras egressi, id quod intus gestum erat, illis qui foris stabant & funus exspectabant, indicarent: sed exspectarent donec Dominus cum discipulis aliò se recepisset.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 *Deinceps.* ἐν τῷ καθεξῆς. Supple χρόνῳ. Hellenismus. *Ut ipse iter faceret.* καὶ αὐτὸς διώδευε. Conjunctio καὶ redundat. Aliâs enim omitti solet, ut sit appositio Hebraica. Græci dicerent, καὶ ἐγένετο ὥστε διοδεύειν αὐτόν: Latini. Et accidit ut ipse iter faceret: *Oppidatim & vicatim.* κατὰ πόλιν καὶ κώμην. Pro, κατὰ πόλεις καὶ κώμας Enallage numeri Demosth 3. Philipp. τετραδαρχίας κατέστησε παρ' αὐτοῖς. ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις, ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη δουλεύωσιν. Quorum verborum sententiam Hieron. Wolfius ita expressit: Thessaliam in quatuor præfecturas

turas divisit Philippus: ut non singula oppida duntaxat, sed gentes etiam servirent. Et in annotationibus, Ut non modò oppidatim, sed etiam regionatim (ut ita dicam) serviant. *Vicatim.* κατ' κώμας. Sive, pagatim. *Duodecim.* οἱ δώδεκα. Græcum expressius propter articulum.

2 *Quas sanaverat.* αἱ ἦσαν τεθεραπευμέναι Ad verb Quæ erant fuerántve sanatæ, scil. à Domino. Sed consulendum fuit perspicuitati: quia sequitur, ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν, à spiritib. malis: quod in Latino sermone intelligi posset de causa efficiente, tanquam esset Græcè, ὑπὸ πνευμάτων πονηρῶν: quum tamen ista præpositio, à, hîc notet adjunctum inhærens. *Exierant.* ἐξεληλύθει. Scil. Domino ejiciente. *Ex facultatibus suis.* ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. Hic ἀπὸ notat materiam, & valet ὡς.

4 *In singulis urbibus.* κατὰ πόλιν. Pro, κατὰ πόλεις: ut versu primo. Intellige autem singulas urbes in quarum vicinia Dominus tum versabatur. Fortasse sensus commodiùs exprimetur sic, *Passim in urbibus*, nempe in urbibus Galilææ.

5 *Aliud.* ὃ μὲν. In libris impressis legitur, ὁ μὲν, genere scilic. masculino, ut referatur ad nomen σπόρος: sed membra sequentia huic opposita, postulant legi ὃ μὲν, genere neutro: ut subaudiatur μέρος τὸ σπόρου. Sequitur enim ἄλλο: pro, ἕτερον δὲ. Apud Matthæum idem effertur numero plurali, ἃ μὲν, ἄλλα δὲ.

6 *Super petram.* ἐπὶ τὴν πέτραν. Id est, loca petrosa sive saxosa.

7 *Inter spinas.* εἰς μέσον τῶν ἀκανθῶν. Pro, εἰς μέσον τὰς ἀκανθὰς: id est, εἰς τὰς ἀκάνθας.

9 *Quæ esset.* τίς εἴη. Hoc est, quid significaret, quid sibi vellet, quid doceret, denique quid mysterii seu arcanæ doctrinæ contineret. Sic v. 11. & deinceps. Metonymia subjecti: res pro rei signo.

11 *Est autem hæc parabola.* ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή. Pro, ἡ δὲ παραβολὴ, δέ τοῦτο: Parabola autem (scilicet quam paulò antè proposuit de semine: id quod notat articulus) est hoc: id est, Est hujus rei signum sive imago. *Semen illud.* ὁ σπόρος. Scilicet de quo dixi in parabola. *Est sermo Dei.*

ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Id est, Est imago sermonis Dei, significans quid illi soleat accidere dum prædicatur. Notetur exemplum metonymiæ subjecti in parte consequente enuntiat::qualis metonymia etiam est in prædicatis enuntiatorum Eucharisticorum, *Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus.*

12 *Qui autem secundùm viam* semen excipiunt. οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδόν. Supple ἀκούσαντες, ex Matth. 13. 19. Sic versu seq. *Ut ne credant & ser ventur.* ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν. Id est, ἵνα μὴ πιστεύσωσι καὶ σωθῶσιν.

14 *Quod autem in spinas cecidit.* τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν. Hic mutat genus loquendi, sicut & v. seq.

15 *Quod autem in bonam terram cecidit.* τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ. Pro, τὸ δὲ εἰς τὴν καλὴν γὴν, scil. πεσόν: ex collatione versus præcedentis. *In corde honesto ac bono.* ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ. Id est, honestatis & virtutis studioso.

19 *Fratres.* οἱ ἀδελφοὶ. Id est, cognati. Synecdoche speciei Hebraïca.

23 *Complebantur.* συνεπληροῦντο. Id est, navis complebatur fluctib. quæ illos vehebat. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis. Confer Matth. 8. 24. & Marc. 4. 37.

25 *Ubi est fides vestra?* ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; Quasi dicat, Videtur mihi fides vestra longè à vobis recessisse, ut ignoretis ubi illa sit: hoc est, videmini mihi fide vacui: cujus rei meritò vos debet pudere.

26 *Pernavigárunt.* κατέπλευσαν. Id est, perrexerunt navigare, donec transmitterent lacum. Plinius lib. 2. cap. 67. *Sub eodem sidere pars tota vergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis.*

27 *In monumentis.* ἐν τοῖς μνήμασιν. Id est, sepulchris.

31 *In abyssum.* εἰς τὸν ἄβυσσον. Locum scil. subterraneum cruciandis in æternum reprobis, tum angelis, tum hominibus, destinatum atque paratum. Sic Apocal. 9. 11. *Angelus abyssi*: & in eodem libro sæpiusculè.

36 *Quomodo liberatus fuisset.* πῶς ἐσώθη. Ad verb. Quomodo servatus fuisset: id est, sanatus, liberatus scil. à dæmoniis qui ipsum possederant.

39 *Quanta.* ὅσα. Hoc est, quàm præclara, quàm excellentia,

lentia, quàm magnifica, quàm denique divina.

41 *Domum ſuam.* τὸν ἴδιον ἀυτ. Ponitur ἀυτ pro reciproco ἑαυτῦ, ex conſuetudine linguæ. *Moriebatur.* ἀπεθνῄσκεν. Jam erat in agone; erat moribunda. *Coarctabat.* συνέπνιγον. Ad verb. Suffocabant. Metonymia effecti hyperbolica.

43 *Conſtituta.* οὖσα. Ad verb. Ens. *Non* tamen *potuerat.* οὐκ ἴσχυεν. Supplevi *tamen* ad perſpicuitatem: eſt enim hîc enunciatum diſcretivum, *Quanquam impenderat totum victum, non tamen potuerat ſanari. Non potuerat ab ullo.* οὐκ ἴσχυεν ὑπ' ἀνθρ. Ad verb. Non potuerat à nullo. Græciſmus: nam apud Græcos gemina negatio negat fortiùs.

45 *Et dicis.* καὶ λέγεις. id eſt, Et tamen dicis? Interrogatio admirantis. quaſi dicat, Miror te hoc dicere. Quum enim complures te tangant, ut ipſe vides: non debebas quærere, quis te tangat. Atiu quanquam illud ita ſit, tamen iſtud facis.

46 *Virtutem.* δύναμιν. Vel, vim quandam, nempe vim ſalvificam. Vide ſcholia in Marc. 5. 30.

47 *Mulier.* ἡ γυνὴ. Græcum, expreſſius: propter articulum αἰκφορικὸν. nempe mulier cujus paulo-antè facta mentio.

48 *Cum pace.* εἰς εἰρήνην. Pro, ἐν εἰρήνῃ. Enallage Hebr. Id eſt, μετ' εἰρήνης.

49 *A præfecto ſynagoge.* ἀπὸ τῦ ἀρχισυναγώγ. Id eſt, è domo illius: nam ipſemet cum Domino tunc erat, & veniebat ille ad ipſum, non autem ab ipſo propriè loquendo. Metonymia ſubjecti vel adjuncti: ſubjecti ſcil. recipientis ad ſe, nempe poſſeſſoris pro re poſſeſſa: vel adjuncti inhærentis, nempe habitatoris pro loco habitato.

50 *Crede.* πίστευε. Scil. me poſſe & velle eam vitæ reſtituere. *Et ſervabitur.* καὶ σωθήσεται. Scil. filia tua. Id eſt, vitæ reſtituetur. Porrò Conjunctio *Et* hîc valet *Tum*: eſtq; relativa conſequentiæ, ſubintellecto hoc antecedente, Si ſolùm credideris. Plenus ſermo eſſet: Crede. nam ſi credideris, ſervabitur.

51 *Domum.* εἰς τὴν οἰκίαν. Græcum, expreſſius: propter

articulum ἀρχισυναγωγὸν. Ingressus domum archisynagogi.

52 *Non est mortua.* οὐκ ἀπέθανεν. Pro, ἡ γὰρ ἀπέθανεν. Non enim est mortua. Ellipsis conjunctionis causalis.

53 *Quod scirent.* εἰδότες. Id est, ὡς εἰδότες, ut qui scirent, quippe qui scirent. Nominativus post verbum, significans causam.

54 *Heus puella.* ἡ παῖς. Id est, ὦ παῖς. Nominativus pro vocativo, more Attico. *Surge,* ἔγειρε. Ad verb. excitare.

55 *Spiritus ejus.* τὸ πνεῦμα αὐτῆς. Id est, anima ejus. *Cibus,* φαγεῖν. Seu, *quod ederet.* Ad verb. *Edere.* Metonymia adjuncti. id est, ad edendum dare.

56 *Obstupuerunt.* ἐξέστησαν. Extra se rapti sunt. Inde ἔκστασις.

OBSERVATIONES EX CAP. VIII.

pastor. Ex v. 1. In Christo prædicante oppidatim & vicatim pastoribus Ecclesiæ proponitur exemplum sedulitatis in suo munere obeundo.

mulier. Ex v. 2. & 3. In mulieribus istis quæ ministrarunt Domino ex facultatibus suis, proponitur nobis exemplum officii in honorandis ministris verbi. Confer Galat. 6. v. 6. & 1. Cor. 9.

Ex parabola de satore quid discendum sit, vide in Observationibus ex Matth. 13.

Ex v. 16. 17. & 18. Vide Observationes ex Marc. 4. ex parte secunda & tertia.

Ex v. 19. 20. & 21. Vide Observationes ex Matth. 12. v. 46. & seq.

Ex historia de sedata tempestate maris quid discendū sit, vide in Observationibus ex Matth 8. v. 24. & seq.

Ex historia de sanato dæmoniaco quid sit discendum, vide in observationibus ex Matth. 8. v. 28. & deinceps. Quibus addo ex v. 30. magnam esse diabolorum multitudinem: quò magis sollicite cavere nobis ab illis debemus, vigilando scil. & orando. Item ex v. 31. certum locum subtertaneum destinatum esse torquendis seu cruciandis in æternum malis spiritibus, sicut & impiis hominibus. Qui

diab. orand. vigil.

locus

locus hic nominatur abyssus, sicut & in Apocalypsi passim. Alibi verò gehenna, item ἅδης, id est, orcus seu infernus, & denique locus tormenti: in 16.

Ex historia de sanata hæmorrhoüsa & excitata filia Jairi quid discendum sit, vide in Observationibus ex Matth. 9. v. 18. & deinceps.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Dominus mittit Apostolos ad prædicandum; 2 Herodes studet eum videre; 3 Ipse quinque panibus & duobus piscibus saturat quinquies mille viros: 4 Cognoscit ex discipulis judicia hominum de se, & prædicit eis passionem suam: 5 Erudit auditores de officiis discipulorum, seu quid requiratur ab eo qui suus velit esse discipulus: 6 Transformatur seu glorificatur corpore ad tempus: 7 Ejicit dæmonium ex quodam puero: 8 Iterum prædicit discipulis passionem suam: 9 Revocat eos ab ambitione: 10 Item à prohibendo quodam, qui in ipsius nomine ejiciebat dæmonia: 11 Item à vindicta in Samaritanos: 12 Repellit quendam, qui volebat ipsum sequi: 13 Vocat quendam qui volebat sepelire patrem: 14 Repellit volentem priùs valedicere domesticis.

PARS PRIMA.

Dominus mittit Apostolos ad prædicandum.

COnvocatis autem Jesus *duodecim discipulis suis, dedit eis virtutem ac potestatem in omnia dæmonia & morbos sanandi.*

2 *Misitque eos ut prædicarent regnum Dei, & sanarent ægrotos.*

3 *Et dixit eis, Nihil sumite ad iter; neque virgas, neque peram, neque panem, neque pecuniam: neque binas tunicas habete.*

4 *Et in quamcunque domum intraveritis, illic manete, & illinc exite.*

5 *Et quicunque non receperint vos; exeuntes ex urbe illa, etiam pulverem à pedibus vestris excutite, in testimonium adversus ipsos.*

6 *Exeuntes igitur obibant singulos vicos, evangelizantes &*

sanantes ubique.

Primùm narratur præparatio, 2. mandatæ, 3. mandatorum exsequutio. Præparatio fuit, quòd eis dedit vim ac potestatem in omnia dæmonia, & morbos sanandi, v. 1. Mandata narrantur quinque. 1. ut prædicent regnum Dei, scilicet appropinquasse, ex collatione Matth. 10 v. 7. id est, ut testificentur, Christum propediem peracturum opus redemptionis, atque ita regnum Dei acquisiturum credentibus in ipsum: v. 2. 2. ut sanent ægrotos, nimirum ad testimonium suum de Christo obsignandum: ibid. 3. Ne se sollicitè aut operosè instruant ad iter, vers. 3. 4. Ne mutent hospitium, v. 4. 5. Ut contra ingratos testificentur signo vindictam Dei, v. 5. Exsequutio mandatorum narratur v. 6.

PARS SECUNDA.

Herodes studet videre Dominum.

7 *Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæsitabat, propterea quòd dicebatur à quibusdam, Johannem excitatum esse à mortuis:*

8 *A quibusdam verò, Eliam apparuisse: ab aliis autem, Prophetam quempiam ex antiquis resurrexisse.*

9 *Tunc ait Herodes: Johannem ego decollavi: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et studebat eum videre.*

Studium istud Herodis declaratur è causis procreantib. duabus: auditione famæ de Jesu, & hæsitatione de ipsius persona. Quæ ipsa hæsitatio è sua causa procreante declaratur, videl. variis hominum judiciis atque sermonibus de Jesu: quum alii dicerent esse Johannem Baptistam, alii Eliam, alii alium ex antiquis Prophetis.

PARS TERTIA.

Dominus quinque panibus & duobus piscibus saturat quinquies mille viros.

10 *Reversi autem Apostoli narraverunt ei quæcunque fecerant. Et ipse assumptis illis, secessit privatim in locum desertum urbis*

urbis quæ vocabatur Bethſaida.

11 *Quod quum cognoviſſet turba, ſequuta eſt eum:* ipſe *autem excepit eos, & loquebatur eis de regno Dei: & eos qui bus ſanatione opus erat, ſanabat.*

12 *Dies autem cœperat inclinare: & accedentes duodecim, dixerunt ei: Dimitte turbam, ut abeuntes in circumjacentes vicos & agros,* illuc *divertant, & inveniant cibaria: nam hic in loco deſerto ſumus.*

13 Ipſe *verò dixit eis, Date ipſis vos quo veſcantur. Ipſi verò dixerunt, Non ſunt nobis plus quàm quinque panes & duo piſces: niſi nos profecti emamus toti huic populo eſcas.*

14 *Aderant enim quaſi viri quinquies mille. Ait autem diſcipulis ſuis, Facite ut diſcumbant per ſingulos quoſque diſcubitus quinquageni.*

15 Ipſi *igitur ita fecerunt, & diſcubuerunt* illi *omnes.*

16 Ipſe *verò acceptis quinque illis panibus & duobus piſcibus, ſuſpiciens in cœlum, benedixit eis: & fregit, dedítque diſcipulis ut apponerent turbæ.*

17 *Comederunt igitur & ſaturati ſunt omnes: & ſublatum eſt quod ſuperfuit ipſis fragmentorum cophini duodecim.*

Primùm narratur miraculi hujus occaſio, 2. locus, 3. tempus, 4. præparatio, 5. modus agendi, 6. miraculum ipſum. Occaſionem Domino ad miraculum hoc edendum præbuit ſeceſſio ipſius in locum deſertum. Quæ ſeceſſio illuſtratur tum ex cauſa finali, tum ex eventu inopinato. Cauſa finalis fuit, ut concederet diſcipulis quietem poſt peractam nuper legationem. Hoc ſignificatur illis verbis, v. 10. *Reverſi autem Apoſtoli, narraverunt ei quæcunque fecerant.* Et exprimitur à Marco cap. 6. v. 31. ubi præcedentibus illis verbis ſubjicit hæc, *Et dixit eis, Venite vos privatim in deſertum, & requieſcite paululum.* Eventus inopinatus fuit, quòd turba eum ſequuta eſt in deſertum, ipſumque occupatum reddidit tum docendo, tum ſanando, verſ. 11. Locus ubi miraculum eſt editum, fuit deſertum urbis Bethſaidæ, verſ. 10. Tempus editi miraculi ſignificatur in principio verſ. 12. his verbis: *Dies autem cœperat inclinare.* Factum eſt igitur veſperi. Præparatio pertinet partim ad diſcipulos, partim ad turbam. Diſcipulos

præparavit jubendo, ut ipſi cibum præberent turbæ, v. 12, & 13. Turbam præparavit jubendo, ut diſcumberent tanquam cibum capturi, v. 14. & 15. Præparatio diſcipulorum illuſtratur ex occaſione mandati & eventu. Occaſionem mandati illius præbuit Domino admonitio diſcipulorum de turba cibi causâ dimittenda, v. 12. Eventus mandati illius fuit, recuſatio per declarationem impoſſibilitatis, v. 13. & princip.o decimiquarti. Præparatio turbæ illuſtratur expoſitione cauſæ miniſtræ & eventus. Miniſtri per quos mandatum turbæ dedit, fuerunt diſcipuli, v. 14. Eventus fuit exequutio mandati, v. 15. Modus agendi narratur v. 16. conſtans quinque partibus. 1. Panes quinq; & duos piſces qui in promptu erant, accepit: ponens nimirum illos ante ſe, ut ſuper illis conciperet preces. 2. Suſpexit in cœlum, nimirum cum hoc geſtu concipiens preces ad Deum patrem. 3. Benedixit illis panibus & piſcibus: id eſt, potentiâ ſuâ divinâ illos multiplicavit, aut certè ad multiplicandum præparavit, ſi ſtatuamus multiplicaſſe demũ inter frangendum. 4. Fregit illos panes & piſces. 5. Dedit fragmenta diſcipulis ut apponerent turbæ. Miraculum ipſum narratur v. 17. confirmatum ab effectu, videlicet copia reliquiarum. niſi enim ſaturati fuiſſent qui ederant, non reliquiſſent tantam copiam fragmentorum.

PARS QUARTA

Cognoſcit ex diſcipulis judicia hominum de ſe, & prædicit eis paſſionem ſuam.

18 *Et factum eſt, ut quum ipſe ſeorſim precaretur, eſſent cum eo diſcipuli: interrogavitque eos, dicens, Quem me dicit eſſe turba?*

19 *Ipſi autem reſpondentes dixerunt, Johannem Baptiſtam: alii autem, Eliam: alii verò, Prophetam quempiam ex antiquis reſurrexiſſe.*

20 *Dixit autem eis, Vos verò quem me eſſe dicitis? Reſpondens autem Petrus dixit, Chriſtum illum Dei.*

21 *Ipſe verò interminatus eis, præcepit ut nulli hoc dicerent.*

22 *Dicens, Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus & principibus Sacerdotum & Scribis, & trucidari, & tertio die excitari.*

Pri-

Primùm narratur inquisitionis hujus occasio, 2. quæstio de judicio aliorum, cum subjecta responsione: 3. quæstio de judicio ipsorum discipulorum, cum addita responsione: 4 responsionis illius eventus: 5. prædictio passionis. Occasionem ad hanc inquisitionem Domino præbuit Herodis rudo, quòd esset solus cum discipulis solis, in principio v. 18. Quæstio prima proponitur reliquâ parte v. 18. Responsio subjicitur v. 19. Quæstio secunda unâ cum responsione recitatur v. 20. Eventus responsionis discipulorum fuit interdictum patefactionis, v. 21. Prædictio passionis recitatur v. 22. Cujus scopus (ut ex cohærentia sententiarum & occasione dicendi percipitur) fuit, ut discipuli præmunirentur contra scandalum ex Domini passione eventurũ, & ut eximeretur eis falsa opinio de regno Christi, quasi dicat: Vos agnoscitis me pro Christo: & rectè quidem: sed interim erratis, quòd putatis me nihil mali passurum, sed hostibus deletis regnaturum more mundano. At res longè aliter se habet. nam oportet me ab hostibus multa pati & trucidari. Sed interim contra scandalum quod inde vobis accidet, consolamini vos spe resurrectionis meæ, qua resurrecturus sum ad regnum meum cœleste atque gloriosum.

PARS QUINTA.

Docet auditores quid requiratur ab eo qui suus velit esse discipulus.

23 *Dicebat autem omnibus; Si quis vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

24 *Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis verò perdiderit animam suam meâ causâ, is servabit eam.*

25 *Quid enim prodest homini, si lucretur universum mundum, seipsum autem perdat, sive sui ipsius jacturam faciat?*

26 *Quem enim puduerit me ac meorum sermonum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit in gloria sua & Patris, sanctorumque Angelorum.*

27 *Dico autem vobis verè, sunt quidam ex iis qui hîc adstant, qui minimè gustabunt mortem, usquedum viderint regnum Dei.*

Duo præcipit iis qui ipsius volunt esse discipuli: abnegationem sui, & tolerantiam persecutionis propter ipsius confessionem. Prius enuntiat his verbis: *Si quis vult me sequi, abneget se ipse.* id est, totum se mihi consecret, & ex verbi mei præscripto vivat: contrà judicio proprio & cupiditatibus propriis renuntiet. Posterius annectit his verbis; *Et tollat crucem suam quotidie*: id est, Confiteatur me & doctrinam meam: me scilicet pro unico suo servatore: doctrinam verò meam pro doctrina cœlesti, ac proinde verissima atq; certissima, & unicâ rectè vivendi & æternam salutem adipiscendi regulâ: & paratus sit propter hanc confessionem subire atque sustinere odium & persecutionem mundi. Persecutionem autem significat vocabulo *crucis* per synecdochen speciei, κατ' ἐξοχὴν: quia supplicium crucis tum erat usitatum, & erat longè acerbissimum atque ignominiosissimum. Et respicit simul ad morem, quo cogebantur contumeliæ causâ crucem de qua erant suspendendi, in humeros tollere & gestare: cujus moris exemplum habetur in ipso Domino, in historia passionis. Hoc posterius præceptum confirmat duobus argumentis: quorum primum ducit ab adjuncto honesto, videlicet communione cum ipso, ubi ait, *Et sequatur me.* Quibus verbis innuit, se quoque crucem gestaturum, & de illa suspensum iri propter confessionem & doctrinam cœlestis veritatis: ac proinde eos qui similia sint passuri, habituros cum ipso communionem. Alterum argumentum ducit ab effectis per antithesin: nempe ab effectu utili, si quis præcepto pareat: & contrà ab effectu noxio, si quis parêre recuset. Effectum confessionis est salus æterna: abnegationis contrà, exitium æternum. Utrumque proponit v 24. ubi ait, *Quisquis enim voluerit animam suam* (id est vitam suam vel seipsum) *servare* (scilicet negando me & doctrinam meam) *perdet eam*, scilicet exitio sempiterno. *Quisquis verò perdiderit animam suam* (affectus scilicet supplicio capitis) *meâ causâ* (id est, ut meam gratiam retineat, confitendo me & doctrinam meam) *is servabit eam*, nempe salute æterna. Deinde argumentum ab inutili ductum amplificat duobus modis, prolepsi v. 25. & expo-

sitione

litione v. 26. Prolepsis est: At si negavero Christum & doctrinam ejus, lucrabor bona hujus mundi. Ergo negabo. Responsione negatur consequentia, quatenus acquisitioni bonorum terrenorum opponitur amissio bonorum cœlestium ad hunc modum: Si quis maximè per negationem Christi acquirat bona mundi, imò totum mundum: tamen interim amittit bona cœlestia, nempe vitam æternam. Nemo autem sapiens cum amissione boni majoris acquirere vult bonum minus: sed potiùs amittere minus, ut consequatur majus. Nemo igitur debet Christum negare spe consequendi bona terrena. Expolitione abnegatio Christi, itemque exitium æternum abnegantis, significatur vocabulo pudoris per metonymiam causæ efficientis, v. 26. ubi ait, *Quem enim puduerit mei ac meorum sermonum*: id est, qui pudore adductus negaverit me & sermones meos: *ejus pudebit Filium hominis, quando venerit in gloria, &c.* id est, illum ego vicissim negabo, profitendo me non nosse eum, ac proinde repellendo eum à me, nec admittendo in communionem gloriæ meæ cœlestis, & felicitatis æternæ. Porrò ex occasione quòd mentionem fecerat gloriæ suæ cœlestis, per appendicem annectit promissionem specialem, qua promittit, se quibusdam qui illic adstabant, brevi exhibiturum gloriæ illius suæ specimen: Cujus promissionis complementum narratur in parte sequente.

PARS SEXTA.

Transformatur seu glorificatur corpore ad tempus.

28 *Factum est autem, quum post hos sermones quasi dies octo* interceſſiſſent, *ut assumpsit Petro & Johanne & Jacobo, ascenderet in montem ad precandum.*

29 *Et facta est, dum ipse precaretur, species faciei ipsius alia, & vestitus ejus albus* ac *refulgens.*

30 *Et ecce, duo viri colloquebantur cum eo, qui erant Moses & Elias.*

31 *Qui conspecti in gloria, dicebant ipsius excitum, quo futurum erat ut defungeretur Hierosolymæ.*

32 *Petrus verò & qui cum ipso erant, gravati erant somno: quum autem evigilassent, viderunt gloriam ejus, & duos illos viros qui stabant cum eo.*

33 *Et factum est quum illi discederent ab eo, ut diceret Petrus ad Jesum; Magister, bonum est nos hic esse: atque adeò faciamus tria tabernacula; unum tibi, & unum Mosi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.*

34 *Hæc autem ipse dicente, extitit nubes, quæ inumbravit eos: extimuerunt autem dum illi ingrederentur in nubem.*

35 *Et vox extitit è nube, dicens; Hic est filius ille meus dilectus, ipsum audite.*

36 *Et dum vox illa exsisteret, inventus est Jesus solus: ipsi autem siluerunt, & nulli annuntiarunt per id tempus quicquam eorum quæ viderant.*

Primò indicatur tempus, 2. testes, 3 locus, 4. præparatio seu effectum destinatum, 5. transformatio ipsa, 6 adjuncta adhærentia, 7. adjunctum occupatum, 8. eventa. Tempus quo ista Domini transformatio accidit, fuit octavus circiter dies post promissionē illam in fine partis præcedentis. Testes fuerunt, tres ex discipulis: Petrus, Johannes, & Jacobus. Locus fuit mons. Præparatio seu effectum destinatum, fuit precatio Domini. hac enim (ut probabile est) transformationem illam sui à Patre petivit, eamque propter illam impetrandam suscepit. Transformatio ipsa describitur v. 29, è subjectis facie & vestitu. Adjuncta adhærentia narrantur duo: colloquium Mosis & Eliæ, v. 30. & 31. & somnus discipulorum, v. 32. Colloquiū illustratur ex loquentium adjuncto ibi præsente, videlicet gloria corporum: & sermonis objecto, quod fuit exitus Domini quo futurum erat ut defungeretur Hierosolymæ: qua periphrasi significantur duo, videlicet mors Domini ignominiosa atque acerba, & resurrectio ejus gloriosa atque beata. Somnus discipulorum amplificatur ab adjuncta quantitate, quòd fuerint somno *gravati*. Adjunctum occupatum significatur his verbis, v. 32. *Quum autem evigilassent, viderunt gloriam ejus, & duos illos viros qui stabant cum eo.* Eventa, alia ex aliis ordine consequuta, narrantur sex. 1. Sermo Petri ecstaticus, quo testificatur suam lætitiam

ex

ex conſpectu gloriæ Domini ortam: 2. Inumbratio Domini cum Moſe & Elia per nubem: 3. Timor diſcipulorum: 4. Vox Dei Patris de Jeſu: 5. Solitudo Jeſu, digreſſis nimirum Moſe & Elia: 6. Silentium diſcipulorum quo viſionem hanc per id tempus occultarunt.

PARS SEPTIMA.

Ejicit dæmonium ex puero quodam.

37 *Factum eſt autem ſequenti die, ut quum ipſi deſcendiſſent de monte, occurreret ei turba multa.*

38 *Et ecce, quidam è turba exclamavit, dicens; Magiſter, rogo te, reſpice filium: nam unigenitus eſt mihi.*

39 *Et ecce, ſpiritus arripit eum, & ipſe repentè clamat; & diſcerpit eum ſpumantem; & vix diſcedit ab eo, conterens eum.*

40 *Et rogavi diſcipulos tuos ut ipſum ejicerent: ſed non potuerunt.*

41 *Reſpondens autem Jeſus ait, O natio incredula & perverſa, quouſque tandem ero apud vos, & tolerabo vos? Adduc filium tuum huc.*

42 *Quum autem adhuc accederet ille, laceravit eum dæmonium, & diſcerpſit: objurgavit autem Jeſus ſpiritum illum impurum, & ſanavit puerum: & reddidit eum patri ſuo.*

43 *Percellebantur igitur omnes ſuper magnifica Dei virtute.*

Primò indicatur tempus, 2. locus, 3. teſtes, 4 cauſæ impulſivæ, 5. præparatio ſeu effecta deſtinata, 6. iterum cauſa impulſiva, 7. modus agendi, 8. miraculum ipſum, 9. eventus. Tempus indicatur v. 37. his verbis, *Factum eſt autem ſequenti die*: videlicet poſtridie quàm Dominus transformatus eſſet in monte, ex collatione præcedentium. Locus ſignificatur ibid. his verbis, *Quum ipſi deſcendiſſent de monte.* Factum igitur eſt hoc miraculum prope montem in quo Dominus transformatus eſt. Teſtes indicantur ibid. his verbis: *Factum eſt ut occurreret ei turba multa.* Cauſæ impulſivæ ſignificantur tres: petitio patris pueri, v. 38. miſeria pueri, v. 39. & ignominia orta à diſcipulis, qui dæmonium illud non potuerant ejicere, v. 40.

Hanc enim ignominiam voluit removere Dominus, & gloriam suam vindicare. Præparatio fuit duplex: indignatio Domini erga discipulos illos, & mandatum ad patrem pueri de illo adducendo, v. 41. Nam utroque modo significavit, se dæmonium illud velle ejicere; atque ita spectatores in spem miraculi erexit. Repetitio causæ impulsivæ, videlicet miseriæ pueri, habetur in principio v. 42. Modus agendi narratur ibid his verbis: *Objurgavit autem Jesus spiritum illum impurum.* id est, jussit eum exire. Miraculum ipsum narratur ibid. his verbis: *Et sanavit puerum, & reddidit eum patri suo.* Eventus narratur v. 43. his verbis: *Percellebantur igitur omnes* (nempe miraculi hujus spectatores) *super magnificâ Dei virtute:* quam scil. viderant sese exserere in Jesu, in ejiciendo isto dæmonio.

PARS OCTAVA.

Iterum prædicit discipulis passionem suam.

Omnibus verò mirantibus super omnibus quæ faciebat, dixit discipulis suis;

44 *Reponite vos in aures vestras sermones istos: futurum est enim ut Filius hominis tradatur in manus hominum.*

45 *Ipsi verò non intelligebant dictum istud, eratq; ipsis occultum, adeò ut ipsum non perciperent: & timebant eum interrogare de hoc dicto.*

Primò indicatur prædictionis hujus occasio, eademq; causa impulsiva: 2 prædictio ipsa recitatur: 3. narratur eventus. Occasionem Domino præbuit ad prædicationem hanc repetendam admiratio illorum qui viderant ejus miracula: unde nimirum ratiocinabantur, Jesum semper ejusmodi magnifica & glorioſa gesturum. Quem errorem ut discipulis suis eximeret, iterum monuit de ignominiosa morte sibi eventura. Prædictio ipsa recitatur v. 44. Eventus narratur duplex v. 45. Unus, quòd discipuli dictum istud non intelligebant: alter, quòd non audebant à Domino petere illius explicationem.

PARS

PARS NONA.

Revocat discipulos ab ambitione.

46 *Incidit autem disceptatio inter eos, quis esset eorum maximus.*

47 *Jesus autem visa cogitatione cordis ipsorum, arripuit puerulum & statuit eum apud se:*

48 *Et dixit eis, Quicunque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit: & quicunque me exceperit, excipit eum qui me misit, nam qui minimus est inter vos omnes, is erit magnus.*

Primò narratur occasio, 2. præparatio seu effectum destinatum, 3. admonitio ipsa. Occasionem Domino ad discipulos de colenda animi demissione admonendos præbuit, quòd illi inter se contendissent de primatu, v. 46. Præparavit eos ad hanc admonitionẽ attentè auscultandam, statuendo puerulum apud se, v. 47. ut nimirum illius præsentis exemplo animos discipulorum magis moveret. Admonitio ipsa confirmata est argumento ab utili effectu, videlicet præmio divino demissionis animi. Quod præmium innuit expositione causæ propinquæ, videlicet amoris sui erga demissos animo, in exemplo pueruli præsentis, ubi ait v. 48. *Quicunque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit, &c.* quibus verbis significat, se & Patrem remunerari velle eos qui non spreverint humiles pios, sed eis benefecerint. Estq; hîc elegans gradatio. Deinde eadẽ sententia repetitur aliis verbis per elegantem antithesin, ubi ait: *Nam qui minimus est inter vos omnes, is erit magnus.* Id est, qui animum suum demittit, nec se ipse magnificit, aut ab aliis magnifieri vult in hoc mundo, is in altera vita à Deo efficietur magnus: donatus nimirum cælesti eaq; æterna gloria.

PARS DECIMA.

Revocat discipulos à prohibendo quodam qui in ipsius nomine ejiciebat dæmonia.

49 *Respondens autem Johannes ait; Magister, vidimus quendam sub nomine tuo ejicientem dæmonia: & prohibuimus eum, quia te non sequitur nobiscum.*

50 *Et dixit ei Jesus, Ne prohibete* illum: *qui enim non est adversum nos, pro nobis est.*

Primùm narratur revocationis hujus causa impulsiva, deinde revocatio ipsa. Causa impulsiva fuit narratio Johannis de prohibitione illius: confirmata expositione causæ, quòd ille non profiteretur se discipulum Domini, v. 49. Revocatio ipsa similiter confirmata est expositione causæ: quæ continetur his verbis: *Qui enim non est adversum nos, pro nobis est*, v. 50.

PARS UNDECIMA.

Revocat discipulos à vindicta in Samaritanos.

51 *Factum est autem interim, dum compleretur tempus quo sursum reciperetur, tum ipse faciem suam obstirmavit ut proficisceretur Hierosolymam.*

52 *Misitq; nuntios ante faciem suam: qui profecti, ingressi sunt in vicum Samaritanorum, ut pararent ei* hospitium.

53 *Sed* illi *non receperunt eum, quòd facies ejus proficiscebatur Hierosolymam.*

54 *Quum autem hoc vidissent discipuli ejus Jacobus & Johannes, dixerunt; Domine, vis dicamus ut ignis descendat è cælo, & consumat eos, ut etiam Elias fecit?*

55 *Sed conversus Jesus objurgavit eos, dicens, Nescitis qualis spiritus vos situ.*

56 *Filius enim hominis nõ vênit ut perderet animas hominum, sed ut servaret. Abierunt igitur in alium vicum.*

Primò indicatur tempus, 2. occasio vindictæ, 3. causa vindictæ, 4. vindictæ cupiditas & conatus, 5. revocatio à vindicta, 6. eventus revocationis. Tempus indicatur in principio v 51. his verbis; *Factum est autem, dum compleretur tempus ut sursum reciperetur.* quibus verbis notatur tempus quod paulò ante mortem Domini antecessit. Etenim nomine ἀναλήψεως, id est, receptionis, videlicet in gloriam, synecdochicè comprehenditur & mors, per quam in gloriam suam ingredi Dominum oportuit. Occasionem huic vindictæ cupiditati præbuit iter Domini per Samariam, & petitio hospitii apud Samaritanos. Iter Domini

Domini amplificatur v. 51. à proposito proficiscẽtis, quòd *sese obfirmârit ut proficisceretur Hierosolymam*, ubi verbo *obfirmandi* connotatur causa corrumpens, quæ ipsum ab hoc itinere poterat impedire atque deterrere: videlicet quòd sciret quot & quanta mala se isthîc manerent. Petitio hospitii illustratur v. 52. à causa ministra, & specie loci. Causa ministra significatur his verbis: *Misitq; nuntios ante faciem suam*. Species loci: *Ingressi sunt in vicam Samaritanorum*. Causa vindictæ narratur v. 53. nempe quòd Samaritani hospitium Domino denegarunt. Cujus recusationis causa additur: quia Dominus proficiscebatur Hierosolymam, quibus verbis notatur odium Samaritanorum adversus Judæos: de quo habetur Johan. 4. v. 9. & alibi. Vindictæ cupiditas & conatus narratur v. 54. quòd scil. Jacobus & Johannes rogarint Dominum, ut sibi daret potestatem perdendi Samaritanos illos igne cælesti. Quæ petitio confirmata ab illis fuit à pari, videlicet exemplo Eliæ, qui scil. zelo divino correptus, igneni è cælo à Deo impetravit, quo consumpti sunt milites regis Achaziæ qui ipsum capere conabantur ac ducere ad regem inimicum. Revocatio à vindicta narratur v. 55. & 56. Quæ primùm exponitur, deinde amplificatur prolepsi, postremò confirmatur. Expositio continetur his verbis, *Sed conversus Jesus objurgavit eos*. videlicet propter istum conatum vindictam exercendi in Samaritanos: revocavit igitur eos ab illo conatu. Prolepsis continetur his verbis, *Nescitis qualis spiritus vos estis*. quibus verbis refutat ipsorum argumentum quod ad confirmandum petitionem suam attulerant, exemplum scilicet Eliæ: sic nimirum argumentantes.

Si Elias igne cælesti vindicavit se de adversariis suis: nobis liceat pari ratione nos vindicare.

At Elias se ita vindicavit.

Ergo idem liceat nobis.

Dominus negat propositionem connexam, quatenus monet, dissimilitudinem esse in exemplo: quia scilicet discipuli illi sui non regantur tali spiritu quali regebatur Elias. Innuit autem, Eliæ zelum fuisse divinum & spe-

ctaviſſe gloriam Dei: diſcipulorum autem zelum eſſe humanum atque carnalem, & ſpectare vindictam privatam. Confirmatio revocationis à vindicta ſumitur à fine adventus Domini in mundum: qui erat, non exercere vindictam ac perdere homines, ſed ſtudere ipſorum ſaluti, per munus ſcil. propheticum erga omnes, & per munus ſacerdotale erga electos. Eventus narratur in fine v. 56. his verbis: *Abierunt igitur in alium vicum*, omiſsâ ſcil. vindictâ illâ.

PARS DUODECIMA.

Repellit quendam, qui volebat ipſum ſequi.

57 *Factum eſt autem, ut proficiſcentibus ipſis, quidam in via dixerit ei; Sequar te quocunque ieris, Domine.*

58 *Dixit autem ei Jeſus, Vulpes luſtra habent, & volucres cæli, nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

Primò recitatur petitio receptionis, v. 57. deinde recuſatio petitionis, v. 58. Cæterùm recuſatio eſt obliqua: quia Dominus non dicit, Nolo ut me ſequaris: ſed cõmemorat ſuam inopiam, qua ſciebat illum à ſe ſequendo deterriti iri. Inopiam autem ſuam amplificat collatione minoris & antitheſi: monens, vulpes & aves minùs inopes eſſe quàm ipſe ſit: quippe quum vulpes habeant luſtra, & aves nidos: ipſe autem non habeat pulvinum in quo caput reclinet ad quietem capiendam. Apparet igitur iſtum hominem qui in numerum diſcipulorum à Domino petebat recipi, fuiſſe delicatum, & queſiviſſe apud Dominum opes ac voluptates hujus ſeculi.

PARS DECIMATERTIA.

Vocat quendam qui volebat ſepelire patrem.

59 *Ait autem ad alium* quendam, *Sequere me. Ille verò dixit; Domine, permitte mihi ut priùs abeam ac ſepeliam patrem meum.*

60 *Dixit autem ei Jeſus, Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu verò profectus annuntia regnum Dei.*

Primùm

Primùm narratur vocatio, 2. petitio officii patri defuncto præstandi, 3. recusatio petitionis. Vocatio narratur his verbis: *Ait autem ad alium, Sequere me.* Petitio istis: *Ille verò dixit, Domine permitte mihi ut priùs abeam ac sepeliam patrem meum.* Recusatio petitionis subjungitur v. 60. amplificata prolepsi & confirmata à comparatis. Prolepsis continetur his verbis: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* quasi dicat: Non est quod metuas, patrem tuum insepultum relicturum iri, si tibi non permisero id officii illi præstare: sunt enim alii qui id præstare possunt, atque etiam præstaturi sunt: quippe qui exteriùs illam speciem pietatis pluris faciunt, quam pietatem ipsam. Istos significat nomine mortuorum metaphoricè accepto: atque eâ occasione elegantem facit ἀνανάλωσιν, qua idem nomen in propria significatione repetit. *Sine ut mortui* (scilicet spiritualiter, hoc est, veræ pietatis experres) *sepeliant mortuos suos*, scilicet mortuos corporaliter. Confirmatio continetur his verbis: *Tu verò profectus, annuntia regnum Dei.* quasi dicat: Plus situm est in promovendo regno Dei, ut scilicet homines per evangelii prædicationem in illud introducantur: quàm in sepeliendis mortuis. Quare quod potius est, potiùs agas.

PARS DECIMAQUARTA

Repellit volentem priùs valedicere domesticis.

61 *Dixit autem etiam alius, Sequar te Domine: sed permitte mihi priùs ut valedicam iis qui sunt domi meæ.*

62 *Ait autem ei Jesus, Nemo qui manum suam admotâ aratro, respexerit ad ea quæ retrò sunt, appositus est ad regnum Dei.*

Primùm recitatur petitio, deinde recusatio. Petitio continet duo: unum, ut recipiatur in numerum discipulorum: alterum, ut permittatur priùs valedicere domesticis. Recusatio est obliqua: quia non apertè dicit, Nolo te recipere: quia non totum te mihi addicis, sed respectas ad mundum: sed pronuntiat in genere, tales homines ineptos esse ad ministerium verbi Dei: atque hoc ipsum similitudine aratoris inter arandum

retrò spectantis illustrat. Arator enim si rectè & utiliter arare velit, oculos antrorsum in agrum arandum intentos habere oportet: quòd si oculos retrorsum averterit, delirabit, neque rectum sulcum ducet.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 *Duodecim.* τοὺς δώδεκα. Græcum expressius, propter articulum ἀναφορικὸν. quasi dicat, Convocavit duodecim illos quos antea ex turba discipulorum elegerat, & Apostolos nominaverat, sup. cap. 6. v. 13. *Et morbos sanandi.* καὶ νόσους θεραπεύειν. Post *Et* repetendum. Δοὺς εἶπε, dedit eis vim ac potestatem. Sermo ἀνακόλουθον, inconsequens: pro, Δώσων αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν πάντα τὰ δαιμόνια ἐκβάλλειν, καὶ νόσους θεραπεύειν: Dedit eis vim ac potestatem omnia dæmonia ejiciendi & morbos sanandi. Ante verbum θεραπεύειν subauditur articulus τὸ: & ponitur θεραπεύειν pro ἰᾶσθαι: quo verbo utitur v. seq. Nam θεραπεύειν proprie est mederi, seu curare ægrotum adhibitis medicamentis, at Apostoli non sic sanabant: sed sanabant mandando morbis in nomine Christi ut discederent.

2 *Ut prædicarent.* κηρύσσειν. Pro, Τοῦ κηρύσσειν. Scilicet, ἔπεμψε.

3 *Ad iter.* εἰς τὴν ὁδὸν. Ad verb. In viam. *Pecuniam.* ἀργύριον. Ad verb. Argentum. Metonymia materiæ, & synecdoche speciei. nam intelligit pecuniam ex quovis metallo: sive argento, sive auro, sive ære: quæ omnia Matth. 10. 9. exprimuntur. *Binas.* ἀνὰ δύο. Id est, singuli duas. Sic Johan. 2. 6. Sex hydriæ χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς, capientes singulæ amphoras duas aut tres. *Habete.* ἔχειν. Pro, ἔχετε. Ellipsis Græca, subaudito verbo δεῖ. Non oportet vos habere. Apud Hebræos infinitivi constructi, & imperativi in prima voce, forma eadem est: quod ipsum sapit talem ellipsin.

5 *Exeuntes.* ἐξερχόμενοι. Scilicet, ὑμεῖς, vos. Sermo ἀνακόλουθον, inconsequens. nam præcessit, καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται ὑμᾶς: pro, καὶ εἴπατε μὴ δέξασθαι ὑμᾶς. Et si qui non receperint vos. *In testimonium.* εἰς μαρτύριον. Scil. in die judicii.

Adversus

Adversus ipsos. ἐπ' αὐτοὺς. Pro, κατ' αὐτῶν. Hebraismus: sic enim Hebræi utuntur particulâ ἐπὶ hál, id est, ἐπὶ, super.

6 *Obibant singulos vicos.* διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας. Nempe τὰς τῆς γῆς Ἰσραὴλ: ut liquet ex Matth. 10. v. 5. & 6. Articulus igitur vim habet ἀναφορικὴν. Potest etiam verti: Perambulabant, sive peragrabant *regionem* vicatim. Confer supra. 8. 1. *Sanantes.* θεραπεύοντες. Vide suprà ad v. 1. *Ubique.* πανταχοῦ. Quocunq; scil veniebant.

7 *Johannem excitatum esse*, &c. Id est, hunc Jesum esse Johannem. Sic v. seq.

9 *Ego decollavi.* ἐγὼ ἀπεκεφάλισα. Id est, Unus è spiculatoribus meis illum decollavit meo jussu: Matth. 14 10. Marc. 6. 27. Metonymia subjecti, nempe possessoris pro re possessa. *Studebat.* ἐζήτει Ad verb. Quærebat.

12 *Diuertant.* καταλύσωσι. Synecdoche generis, & metonymia effecti destinati, & catachresis. Primùm synecdoche generis: nam verbum καταλύειν, quod in genere significat *dissolvere*, hîc intelligitur specialiter de ea dissolutione qua solvuntur equi à vehiculo quum ad diversorium ventum est. Deinde metonymia effecti destinati: nam intelligitur hîc ipsum diuertere, ad quod destinata est illa dissolutio. Tum denique catachresis: quia intelligitur hîc divertere eorum qui non vehiculo, sed pedibus iter faciebant. Nisi dicamus, hos quoq; καταλύειν, dissolvere, nimirum cinctum quo se itineris causâ succinxerunt. Sed prius verum puto. *Inueniant.* εὕρωσιν. Id est, sibi comparent. *Cibaria.* ἐπισιτισμὸν. Quasi dicas supercibationem. σῖτος, frumentum, & metonymicè cibus. Inde σιτίζω & ἐπισιτίζω: unde ἐπισιτισμός.

14 *Quinquageni.* ἀνὰ πεντήκοντα. Intellige, in latitudinem, nam in longitudinem discumbebant centeni: ut colligitur ex Marc. 6. 40. Vide scholion in Johan. 6. 10.

15 *Et discubuerunt illi omnes.* καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντες. Sic D. Beza in veteris editionis plerisq; exemplaribus legi restatur. Alii tamen codices habent ἅπαντας: quomodo legisse apparet veterem interpretem, ut qui verterit, Fecerunt discumbere omnes. Nam verbum ἀνακλίνειν potest esse transitivum, sicut modò fuit κατακλίνειν versu præcedente.

16 *Suſpiciens.* ἀναβλέψας. Hîc ἀνὰ in compoſitione valet ἄνω. Et eandem ſignificationem huic verbo manere judico, quum paſſim dicitur de cæcis quibus Dominus viſum dedit. *Fregit.* κατέκλασεν. Proprie, confregit.

20 *Chriſtum illum Dei.* τὸν χριστὸν τοῦ Θεοῦ Vel, unctum illum Dei: id eſt, promiſſum illum Meſſiam ſive Chriſtum, à Deo ordinatum ac miſſum ad redimêdum populum ipſius. Genitivus adjuncti occupati.

21 *Ut nulli hoc dicerent.* μηδενὶ εἰπεῖν τοῦτο. Nempe pro illo tempore: nam differri debuit hoc Evangelium uſq; dum Jeſus paſſus eſſet & à morte reſurrexiſſet: ut percipitur ex collatione verborum ſequentium.

22 *Filium hominis.* τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Id eſt, me.

27 *Nequaquam guſtabunt mortem.* οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου Id eſt, non morientur. Phraſis Hebraica. *Regnum Dei.* τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Id eſt, ſpecimen aliquod gloriæ illius cæleſtis qua induentur pii in regno Dei. Hunc eſſe ſenſum percipitur ex collatione hiſtoriæ ſequentis de transformatione Domini in monte.

31 *In gloria.* ἐν δόξῃ. Id eſt, induti gloriâ, h. e. glorioſâ ſpecie. *Exitum.* τὴν ἔξοδον. Scil. vitæ: id eſt, mortem atque reſurrectionem.

32 *Gloriam ejus.* τὴν δόξαν αὐτοῦ. Græcum, expreſſius, propter articulum αἰαφορικὸν. Refertur enim ad gloriam (id eſt, glorioſam ſpeciem) paulò antè v. 29. deſcriptam.

34 *Inumbravit eos.* ἐπεσκίαζεν αὐτοῖς. Nempe Jeſum, Moſen & Eliam: quorum facta mentio proximo verſu. *Dum ingrederentur illi.* ἐν τῷ εἰσελθεῖν. Nempe duo illi viri, Moſes & Elias, quum jam à Domino diſcederent: quorum facta mentio remotiùs, nempe in fine verſ. 32. & in principio v. 33.

35. *Vox.* φωνὴ. Nempe Dei Patris: ut Planum evadit ex ſequentibus. *Exſtitit.* ἐγένετο. Nempe ad tres illos diſcipulos. *Hic.* οὗτος. Nempe hic Jeſus qui coram vobis adſtat.

36 *Dum vox illa exſtiſteret.* ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν. Pro ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν. Enallage temporis. Nam propria temporis ſignificatio poſtularet dici, μετὰ τὸ γενέσθαι, poſtquam exſtitiſſet. At res ipſa poſtulat, Jeſum adſtitiſſe ſolum (di-

greſſis

gressis jam Mose & Elia) dum vox illa fiebat: quippe quum de illo ipso pronuntiaretur. Veruntamen sup. 8. 40. positum est ὡς pro ὅτε, ubi dicitur: ὡς δὲ ὑπεστρεψαν τὸν Ἰησοῦν, quũ revertissent Jesus. *Nulli annuntiarunt.* οὐδενὶ ἀπήγγειλαν. Quia scilicet Dominus eis interdixerat, Matth. 17. 9. *Per id tempus.* ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. Ad verb. In illis diebus. Scil. antequam Dominus resurrexisset à mortuis: ut declaratur loco modò citato. *Quicquam eorum quæ viderant.* οὐδὲν ὧν ἑωράκασιν. Pro, οὐδὲν ἐκείνων ἃ ἑωράκασιν. Compendium loquendi elegans.

38 *Respice filium meum.* ἐπιβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου. Id est, miserere filii mei, juva filium meum: ut declarat Matthæus 17. 15. Ad verb. Aspice super filium meum. Beza, *Respice ad filium meum*, similiter sensu non expresso, nam differunt duæ istæ Phrases, ut percipitur ex his exemplis Terentianis. Andr. act. 2. scena 5. *Quasi de improviso respice ad eum*: hoc est, aspice eum retrò contorto collo. At in eâdem fabulâ act. 5. sc. 6. *Age, me in tuis secundis rebus respice*: hoc est, mei miserere, meæ miseriæ rationem habe, juva me. Græca verba sonant, Aspice super filium meum.

39 *Spiritus.* πνεῦμα. Nempe spiritus impurus, id est dæmonium. Synecdoche generis. *Arripit.* λαμβάνει. Vel, corripit. Ad verb. *capit. Spumantem.* μετ' ἀφροῦ. Pro, ἀφρίζοντα: Subauditur ὄντα: q. d. entem cum spuma.

40 *Sed.* καί. Copulativa pro adversativa.

43 *Super magnificâ virtute.* ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι. Ad verb. Super magnificentia seu majestate. *Super omnibus quæ faciebat.* ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίουν. Pro, ἐπὶ πᾶσιν ἐκείνοις ἃ ἐποίουν.

44 *Sermones istos.* τοὺς λόγους τούτους. Scilicet quos proponam, de mea scil. morte. Nisi potiùs vertendum, *Res istas*: id est, admirationem istam populi qua admirantur & prædicant mea miracula, quasi dicat: Non semper me ita laudabunt: sed non ita longè post petent me ad crucem. *Hominum.* ἀνθρώπων. Scil. peccatorum ut Angelus declarat in 24. 7.

45 *Non intelligebant,* ἠγνόουν. Id est. ἠγνόουν, sive οὐ συνίεσαν. Nam ἀγνοέω compositum videtur ex ἃ privante & γνόω:

nisi quis malit ex γνόα, per epenthesin, τῶ 1. Si reddas, *ignorabant dictum istud*: metonymia subjecti erit in nomine ῥῆμα id est, dictum. nam ipsum certè dictum non ignorabant, quippe quod ex ore Domini audierant: sed ignorabant dicti ejus sensum. Ut *non perciperent*. ἵνα μὴ αἴσθωνται. Ad verb. Ut non sentirent, Metaphora καταχρηστική. *Et timebant*. καὶ ἐφοβοῦντο. Id est, Et tamen timebant.

46 *Eorum maximus*. μείζων αὐτῶν. Pro, μέγιστος. Comparativus pro superlatiuo per Græcismum. Sic 1. Cor. 13. in fine: μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη: Maxima autem harum sive ex his (nempe fide, spe, charitate) charitas.

48 *Qui minimus est*. ὁ μικρότερος. Pro, ὁ μικρότατος. Enallage gradus, ut modò.

51 *Dum completretur tempus quo sursum reciperetur*. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ. Id est, quum tempus illud jam pænè esset completum & ad finem decurreret. Ad verb. Dum complerentur dies assumptionis ejus. Nomine ἀναλήψεως ascensio Domini in cœlum significatur. Hoc enim verbo Evangelistę in historia ascensionis utuntur: ut Marcus cap. ult. v. penult. Lucas Act. 1. 11. Item Paulus 1. Tim. 3. v. ult. Unde ascensio Domini in veteri Ecclesia Græca usitatè ἀνάληψις nominabatur: ut videre est apud Eusebium, qui subinde isto nomine in hac significatione utitur: ut lib. 2. hist. Eccles. cap. 1. &. 2. & alibi. *Tum ipse*. καὶ αὐτός. Copulativa pro relativa temporis, more Hebraico. *Faciem suam obfirmavit*. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήρισε. Id est, animum suum ita contrà mortis metum obfirmavit, ut nullum metus indicium in facie appareret: ut vulgò fieri solet. Vel simpliciter notatur firmum propositum: quasi dicatur, Firmiter sibi proposuit proficisci Hierosolymam, ac proinde faciem suam eò direxit.

52 *Ante faciem suam*. πρὸ προσώπου αὐτοῦ. Id est, ante se.

53 *Facies ejus proficiscebatur*. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον. Id est, Facies ejus ita erat directa, ut inde appareret eum proficisci. Metonymia subjecti. nam in facie non erat profectio, sed signum profectionis. Nisi potiùs dicenda est synecdoche membri, ut ex facie intelligatur totum corpus.

55 Nesci-

55 *Nescitis qualis spiritus vos sitis.* οὐκ οἴδατε ποίου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. Quasi dicat: Non animadvertitis, vos agi spiritu vitioso, nempe iracundiæ & vltionis privatæ: cui nolo vos indulgere.

56 *Filius enim hominis* &c. ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, &c. Primâ fronte non apparet, quomodo hæc sententia cum præcedente cohæreat tanquam ratio. Cohæret autem non cum verbo, *Nescitis*, sed cum istius dicti scopo: qui est, prohibere discipulis ne igne per preces cælitus detracto consumant istos Samaritanos.

60 *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. Elegans αὐτανάκλασις. nam idem nomen νεκροὶ in diversa significatione repetitur. In antecedente sententia significat mortuos spiritualiter; in consequente verò significat mortuos corporaliter. Consimile est illud Pauli de vidua vivente in deliciis ac luxu, quòd vivens mortua sit, 1. Timoth. 5. 6.

61 *Iis qui sunt domi meæ.* τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. Pro, τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ μου, scil. οὖσι. hoc est, domesticis meis.

62 *Ad regnum Dei.* εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Id est, ad annuntiationem regni Dei, seu ad prædicationem Evangelii: ex collatione v. 60.

OBSERVATIONES EX CAP. IX

Ex narratione de Apostolis missis ad prædicandum in Judæa. Vide observationes ex Matth. 10. v. 1. & seqq.

Ex narratione de Johanne decollato. Vide observationes ex Matth. 14. v. 1. & deinceps.

Ex historia de pastis quinquies mille viris per quinque panes. Vide Observationes ex Matth. 14. v. 13. & deinceps.

Ex v. 18. & seqq. usque ad 28. Vide Observationes ex Matth. 16. v. 13. & deinceps.

Ex historia transformationis Domini. Vide Matth. 17. v. 2. & deinceps.

Ex historia de sanato puero lunatico. Vide observationes ex Matth. 14. v. 17. & deinceps.

Ex v. 44. & 45. Vide Obſervationes ex Matth. 17. v. 22. & Marc. 9. v. 31. & deinceps.

Ex v. 46. 47. & 48. Vide Obſervationes ex Matth. 18. v. 1. & deinceps.

Ex v. 49. & 50. Vide Obſervationes ex Marc. 9. ex partis ſextæ membro primo.

Ex hiſtoria de Samaritanis recuſantibus hoſpitium Chriſto. In Samaritani proponitur nobis exemplum odii idolatrarum adverſus ſinceros Dei cultores. Quumque ipſe Dominus noſter iſtud odium ſit expertus, nec voluerit ulciſci: decet nos idem patienter tolerare.

In diſcipulis verò conantibus Samaritanos iſtos incendio delere, proponitur nobis exemplum perverſi zeli: à quo quum Dominus illos revocet, monemur cavendũ nobis eſſe, ne nos falſa zeli ſpecie decipiamus, ſed potiùs peccanti proximo reſipiſcentiam quàm vindictam Dei exoptemus.

Ex v. 57. & 58. Diſcipulos Chriſti, ac inprimis doctores Verbi, oportet paratos eſſe ad quævis incommoda ferenda, exemplo ipſius Chriſti.

Ex v. 59. Vide Obſervationes ex Matth. 8. v. 21. & 22.

Ex v. 60. Vide ibid.

Ex v. 61. & 62. Cavendum ne ſolicitudinibus mundi in promovendo regno Dei nos impediri patiamur.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Deſignat Dominus alios diſcipulos, numero ſeptuaginta, eosque mittit ad prædicandum: 2 monet illos quam ob rem ſit gaudendum: celebrat Patrem: 4 docet unde ſit ſalvifica notitia Dei: 5 beatos prædicat diſcipulos: 6 reſpondet Legis interpreti de vita æterna & de proximo: reprehendit Martham, & contrà laudat Mariam ſororem illius.

PARS PRIMA.

Deſignat alios diſcipulos, numero ſeptuaginta: eosq; mittit ad prædicandum.

Poſthæc autem deſignavit Dominus etiam alios ſeptuaginta, miſitque eos binos ante faciem ſuam in omnem urbem & locum

quò

quò erat ipse venturus.

2 *Dicebat igitur eis, Messis quidem multa, sed operarii pauci: rogate ergo Dominum Messis ut extrudat operarios in messem suam.*

3 *Abite, ecce, ego mitto vos ut agnos in medium luporum.*

4 *Ne portate crumenam, neque peram, neque calceamenta: & neminem in via saluta veritis.*

5 *In quamcunq; domum ingrediamini, primùm dicite, Pax esto huic domui.*

6 *Quod si fuerit illic quispiam filius pacis, requiesceat super eum pax vestra: sin minus, ad vos revertetur.*

7 *Manete autem in eadem ipsa domo, edentes & bibentes quæ ab ipsis apposita fuerint: dignus enim est operarius mercede sua. Ne transite è domo in domum.*

8 *Sed & in quamcunq; urbem ingressi fueritis, & exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis.*

9 *Et sanate ægrotos qui in ea fuerint, & dicite eis, Appropinquavit ad vos regnum Dei.*

10 *In quamcunque autem urbem ingressi fueritis, & non exceperint vos: egressi in plateas eius, dicite;*

11 *Etiam pulverem qui adhæsit nobis ex urbe vestra, abstergimus vobis: veruntamen hoc scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei.*

12 *Dico autem vobis, Sodomorum conditionem in die illo tolerabiliorem fore quàm urbis illius.*

13 *Væ tibi Corazin, væ tibi Beth-saida. nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim in sacco & cinere sedentes resipuissent.*

14 *Veruntamen Tyri & Sydonis tolerabilior erit conditio in judicio quàm vestra.*

15 *Et tu Capernaum quæ usque ad cælum exaltata es, usque ad inferos deprimêris.*

16 *Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit: qui verò me rejicit, rejicit eum qui misit me.*

Primùm indicatur designationis atque missionis hujus tempus, 2 forma missionis, 3 finis seu scopus, 4 loca in quæ sunt missi, 5 causa procatarctica mittendi, 6 præparatio eorum qui mittebantur, 7 mandata quibus eos instruxit,

8 inseritur exprobratio incredulitatis quarundam urbium Galilææ, 9 additur confirmatio discipulorum illorum & muneris impositi commendatio. Tempus indicatur his verbis, *Post hæc autem.* Forma istis, *Misit eos binos.* Finis notatur his verbis, *Ante faciem suam in omnem urbem & locum quo erat ipse venturus.* Misit igitur eos ut sibi auditores præpararent, annuntiando Dominum ipsum mox venturum & plenius eos de regno Dei edocturum. Loca significantur his verbis, *In omnem urbem & locum quo erat ipse venturus.* Causa procatarctica exponitur vers. 2. videlicet multitudo seu copia salvandorum in illo populo, quam significat Dominus simili messis sive segetis metendæ, ubi ait: *Messis quidem multa, sed operarii pauci.* Id est, Multi sunt electi in hoc populo qui per Evangelii prædicationem sunt convertendi ad Deum, ut ita salutem consequantur, & quasi metantur atque convehantur in horreum Dei, id est, in cælum. Sed interim pauci adhuc sunt Evangelii præcones. Itaq; ego non contentus duodecim illis quos antehac ad istud ministerium delegi, vos quoq; nunc designavi, & suo tempore plures missurus sum. Hæc sententia de multitudine salvandorum & paucitate ministrorum Evangelii amplificatur porismate seu corollario. Deducit enim inde exhortationem ad discipulos ut Deum orent pro majore copia ministrorum. Continuat autem allegoriam metaphoricam, inquiens: *Rogate ergo Dominum messis* (id est, Deum qui sibi certum numerum Judæorum ad vitam æternam elegit) *ut emittat operarios in messem suam:* id est, ut emittat præcones Evangelii ad electos suos. Præparatione monentur discipuli illi de periculo cum administratione muneris impositi conjuncto, videlicet odio & persecutione hostium Evangelii eorumque potentium: videlicet Scribarum & Pharisæorum. Hoc periculum significat similitudine, ubi ait v. 3. *Ecce ego mitto vos ut agnos in medium luporum.* Præparantur igitur hac admonitione ad cautionem & constantiam atq; tolerantiam persecutionis. Mandata recitantur numero octo: 1 *Ne portate crumenam*, &c. 2. *Et neminem in via salutaveritis.* 3. *In quamcunq; domum ingrediamini*, &c, 4. *Manete autem in ea ipsa domo,*

domo, &c. 5. *Sed & in quamcunq; urbem*, &c. 6. *Et sanate ægrotos.* 7. *Et dicite eis, Appropinquavit*, &c. 8. *In quamcunque autem urbem*, &c. Horum præceptorum tertium illustratur ex eventis per antithesin, v. 6. Tertium verò confirmatur à causa procreante, videl. beneficio quod ex se debet parere relationem gratiæ, ibi: *Dignus enim est operarius mercede sua.* Quæ sententia proverbialis est, ac proinde testimonio vulgi sive consensu omnium approbata. Et rationem à simili vel pari continet, in hunc sensum: Sicut operarius dignus est mercede sua, vel, sicut justum est operario dari mercedem suam: ita iustum quoque est vobis pro beneficio & labore prædicati Evangelii dari cibum ac potum gratitudinis, ergò. Tum præceptum ipsum repetitur aliis verbis, ibi: *Ne transite à domo in domum*: id est, ne mutate hospitium. Octavum denique præceptum amplificatur expositione eventus, videl. pœnæ divinæ ingratis istis eventuræ, ad consolandum discipulos contra istam ingratitudinem, ibi, *Dico autem vobis Sodomorum*, &c. v. 12. ubi pœna istorum amplificatur collatione minoris.

Exprobratio per digressionem ex occasione inserta, continetur v. 13. 14. & 15. Quoniam enim in genere mentionem fecerat pœna contemptoribus Evangelii eventuræ, nunc discendit ad speciem, commemorans specialia exempla tria istiusmodi contemptorum, videl. civium Chorazinis, Bethsaidæ & Capernaumi: quibus incredulitatem ipsorum exprobrat, & propter illam exitium æternum longè gravissimum eis denuntiat. Et exprobrationem quidem amplificat antithesi denunciationem verò pœnæ, collatione minoris. Etenim Chorazinitis & Bethsaidanis opponit Tyrios & Sidonios: de quibus affirmat, acturos fuisse pœnitentiam si illis fuisset verbum Dei prædicatum, & tam augustis miraculis confirmatum: ut factum fuerat apud ipsos sine fructu. Deinde infert, pœnam Tyriorum & Sidoniorum in altera vita fore minorem atque tolerabiliorem quàm istorum Galilæorum. Tum pœnam Capernaitarum specialiter amplificat illustrissimâ antithesi, qua beneficium Dei in ipsos collatum & ingratitudinis ipsorum pœnam inter se opponit, dicens: *Et tu Ca-*

pernam quæ ad cælum usque elata es (id est maximis beneficiis, videl. tum doctrina Evangelii tum miraculorum, à Deo affecta) *ad inferos usque deprimêris*: id est, gravissimè à Deo apud inferos seu in inferno punieris.

Confirmatio discipulorum additur v. 16. *Qui vos audit, me audit*, &c. Quibus verbis significat, ministerii ipsis commissi dignitatẽ esse maximam: quippe quum à se & à Deo patre habeantur eo loco quo ipse sit: ac proinde & se & Patrem contemptum verbi ipsorum gravissime ulturum.

PARS SECUNDA.

Monet discipulos quam ob rem sit gaudendum.

17 *Reversi sunt autem Septuaginta cum gaudio, dicentes; Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis per nomen tuum.*

18 Ipse *autem dixit eis; Spectabam Satanam, ut fulgur, è cælo cadentem.*

19 *Ecce, do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & super omnem vim inimici; & nihil quicquam vos lædet.*

20 *Veruntamen de eo ne gaudete quòd spiritus vobis subjiciantur: gaudete verò potiùs quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Primùm indicatur causa impulsiva hujus admonitionis, deinde admonitio ipsa subjicitur. Causa impulsiva, fuit narratio discipulorum de rebus suis gestis, ac nominatim de subactis à se dæmonis: quam ob rem nimium gaudebant, nimiumq; sibi placebant, v. 17. Cæterùm ista narratio deinceps illustratur ex eventu duplici, videl. approbatione narrationis tanquam veræ, v. 18. & collatione novi doni, videlicet ne possent lædi ab ulla re noxia, v. 19. Admonitio ipsa constat antithesi, v. 20. Primùm enim monet, non esse tantopere gaudendum de subactione dæmoniorum: deinde, gaudendum inprimis esse de electione divina ad vitam æternam. Ex qua antithesi percipitur sententiæ negativæ ratio, nempe quòd subactio dæmoniorum nihil conferat ad vitam æternam veramq; beatitudinem. Id quod vel inde liquet, quòd potestas subigendi dæmones communis fuit & reprobis: ut cõstat ex verbis Domini, Matth. 7. v. 22. & 23. *Multi dicent mihi in illo die, Domine, domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?*

edidimus? Tunc autem profitebor eis, Nunquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.

PARS TERTIA.

Celebrat Patrem,

21 *Eo ipso momento exultavit Jesus spiritu, & dixit; Gloriam tibi tribuo Pater, domini cæli & terræ, quòd hæc absconderis à sapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea infantibus: etiam Pater, quia sic fuit beneplacitum coram te.*

Primò indicatur tempus, à causa impulsiva, & celebratio ipsa. Tempus indicatur his verbis, *Eo ipso momento*. Scilicet quo dixerat discipulis, gaudendum eis esse, quòd nomina ipsorum scripta sunt in cælis, ex collatione versus præcedentis: id est, quòd ex Evangelio cognoverint se à Deo electos esse ad vitam æternam. Itaq; simul notatur occasio. nam occasione exempli specialis incidit in contemplationem generis universi, considerata in specie conditione electorum humili atq; abjecta coram mundo. Nisi potiùs in hanc contemplationem incidit occasione narrationis discipulorum, qui haudubiè narraverant, verbum Evangelii quod annuntiarant, receptum fuisse à plebejis, repudiatum verò à doctis, puta Scribis & Pharisæis. Causa impulsiva significatur his verbis. *Exsultavit spiritu*. nam (ut alibi ait Dominus) ex abundantia cordis os loquitur. Quòd igitur spiritu seu animo suo affectus esset lætitiâ ex consideratione admirandæ sapientiæ & justitiæ & bonitatis Dei in negotio salutis hominum: erupit in virtutum illarum Dei celebrationem. Celebratio continetur his verbis, *Gloriam tibi tribuo Pater*, &c. quibus verbis celebrat Patris sapientiam, justitiam & bonitatem in negotio salutis hominum. Sapientiam: ut, qui mysteria regni cælorum absconderit à sapientibus & intelligentibus, & contrà revelarit ea infantibus, id est, simplicibus ac rudibus. Justitiam: ut qui sit Dominus cæli & terræ, ac proinde potestatem habeat tractandi suas creaturas suo arbitratu, dando suam gratiam quibus placeat, & eandem subtrahendo quibus placeat. Bonitatem denique: ut qui misereatur rudium, eosq; de mysteriis regni cælorum erudiat.

PARS QUARTA.

Docet unde sit salvifica notitia Dei.

22 *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo novit quis sit filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cuicunq; voluerit Filius revelare.*

Occasio hujus doctrinæ percipitur ex cohærentia sententiarum. Cohærent enim hæc verba (ut videtur) cum præcedentibus per prolepsin, qua occurrit falsæ opinioni quam auditores ex iis quæ dixerat, poterant concipere, nempe quasi salvifica notitia Dei detur à solo Patre: quippe cui hoc nomine gratias egerat, quòd mysteria regni cælorum, tanquam mundi Dominus, patefecerit quibus placuerit. Ne quis igitur falsam hanc opinionem conciperet, affirmat, notitiam illam à se quoq; dari, non minus quàm à Patre: quippe quum & ipse sit mundi Dominus: id quod significat his verbis, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Simul etiam declarat, quænam sit salvifica Dei notitia, nempe ea qua cognoscitur & Filius & pater: sicut etiam docet Johan. 17. v. 3. ubi ait, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Cæterum Filium & Patrem ita nosse oportet, quòd Filius sit nobis à Patre donatus, ac in mundum missus ad redimendum nos suâ morte à morte æterna, vitamq; æternam nobis promerendum: item ad tradendum nobis doctrinam salutis, eandemq; nobis persuadendum per Spiritum sanctum: & deniq; ad assumendum nos ad se in cælum ut in æternum cum ipso vivamus ac regnemus: quodque ista fecerit & facturus sit.

PARS QUINTA.

Beatos prædicat discipulos.

23 *Tunc conversus ad discipulos, seorsim dixit; Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

24 *Dico enim vobis, Multi Prophetæ & reges cupierunt videre quæ vos videtis, nec viderunt: & audire quæ auditis, nec audierunt.*

Primùm

Primùm indicatur occasio hujus prædicationis, deinde modus, postremò recitatur prædicatio ipsa. Occasio significatur his verbis, *Tunc conversus ad discipulos*: quum scilicet commemorasset beneficium Dei erga hùc populum, quòd scilicet misisset ad eos Filium per quem traderet salvificam notitiam sui. Modus significatur his verbis, *Seorsim dixit*. Prædicatio sequitur, ibi: *Beati oculi*, &c. Sententia est: Vos beatiores estis sanctis Prophetis & regibus populi Dei qui jam olim mortui sunt: quia illis non contigit videre Christum exhibitum, & docentem audire: id quod vobis contigit.

PARS SEXTA.

Respondet Legis interpreti de vita æterna & de proximo.

25 *Tum ecce quidam Legis interpres surrexit, tentans eum, & dicens, Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?*

26 *At ille dixit ei, In Lege quid scriptum est? quomodo legis?*

27 *Ille verò respondens dixit; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum ut teipsum.*

28 *Tum* ipse *dixit ei, Rectè respondisti: hoc fac, & vives.*

29 *Ille autem volens justificare seipsum, dixit Jesu; Et quis est meus proximus?*

30 *Excipiens autem Jesus dixit, Quidam descendebat ab Hierosolyma Jerichuntem, & incidit in latrones; qui exuto eo & plagis impositis ubierunt, eo semineco relicto.*

31 *Casu autem Sacerdos quidam descendit per viam illam: qui viso eo, ex adverso prætériit.*

32 *Similiter & Levita, quum venisset ad eum locum, & illum vidisset, prætérit ex adverso.*

33 *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum, & eo viso, misericordiâ commotus est,*

34 *Et accedens obligavit ejus vulnera, infundens oleum & vinum: & ipsum impositum suo jumento, duxit in diversorium, & ejus curam egit.*

35 *Postero autem* die *abiens, prolatos duos denarios dedit hospiti, & dixit ei, Curam ipsius age: & quodcunque præterea in-*

ſumpſeris, ego quum rediero, reddam tibi.

36 *Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones?*

37 *Ille autem dixit, Is qui uſus eſt miſericordia erga eum. Ait igitur ei Jeſus; Abi, & tu fac ſimiliter.*

Primùm recitatur quæſtio prima: deinde reſponſio ad illam: tum quæſtio ſecunda: poſtea reſponſio ad illam: poſtremò πόρισμα ſeu corollarium adjicitur. Quæſtio prima recitatur v. 25. quæ eſt de cauſa inſtrumentali vitæ æternæ, & quidem ſpecialiter, quibus operibus acquiri poſſit vita æterna. Reſponſio ad hanc quæſtionem recitatur v. 26. 27. & 28. Summa eſt: Si quis fecerit opera in Lege Dei præcepta, vitam æternam per illa conſequetur. Secunda quæſtio ex reſponſo ad primam quæſtionem nata, recitatur v. 29. illuſtrata à fine ſeu ſcopo interrogantis, nempe quòd voluerit juſtificare ſeipſum: id eſt, juſtum eſſe declarare, ut qui ſcilicet proximum dilexiſſet, ſicut Deus in Lege præcepit. Sperabat enim, Dominum proximum definiturum ex doctrina Scribarum & Phariſæorum tum recepta, videlicet nomine proximi intelligendum eſſe amicum. Reſponſio ad quæſtionem, Quis ſit proximus, ſubjicitur v. 30. & deinceps. Declaratur autem illa quæſtio exemplo ſpeciali cujuſdam qui inciderat in latrones: quem neglexerunt Sacerdos & Levita, curaverat autem Samaritanus. Sententia eſt: Proximus eſt alteri tum qui poteſt illi benefacere, tum viciſſim qui alterius ope atque beneficio eget. Sicut enim Samaritanus proximus erat illi qui inciderat in latrones, quia illi egenti opem ferebat: ita viciſſim ille erat proximus Samaritano, quia ope ejus indigebat. Corollarium adjicitur in fine v. 37. Ait igitur ei Jeſus: *Abi, & tu fac ſimiliter.* Quibus verbis perſtringit tum falſam ipſius opinionem de proximo, quaſi ſolus amicus ſit proximus: tum falſam perſuaſionem, quaſi ipſe diligat proximum, quum tamen non ſoleret inimicis benefacere, ſicut fecerat ille Samaritanus, curando hominem Judæum.

PARI

PARS SEPTIMA.

Reprehendit Martham, & contrà laudat Mariam sororem illius.

38 *Factum est verò ut dum iter facerent, ipse ingrederetur in quendam vicum; Mulier autem quædam Martha nomine excepit eum domum suam.*

39 *Et huic erat soror quæ vocabatur Maria; quæ etiam assidens ad pedes Jesu audiebat ipsius sermonem.*

40 *Martha verò distrahebatur circa frequens ministerium: superveniens igitur ait; Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me ut sola ministrem? dic ergo ei ut me adjuvet.*

41 *Respondens autem dixit ei Jesus; Martha, Martha solicita es, & turbaris de multis:*

42 *Atqui unâ re opus est. Maria verò bonam partem elegit; quæ non auferetur ab ea.*

Primò indicatur locus, 2 occasio, 3 causa impulsiva, 4 narratur reprehensio Marthæ, 5 laudatio Mariæ. Locus indicatur tum generalis, tum specialis. Generalis ibi. *Ingressus est in quendam vicum*. Fuit autem isti vico nomẽ Bethania ut liquet ex Johan. 11, v. 1. Specialis locus fuit domus Marthæ. Occasionem huic reprehensioni atque laudationi præbuerunt diversa duarum illarum sororum facta. Factum Mariæ narratur v. 39. cujus scopus fuit proficiscere in cognitione salutis æternæ. Factum Marthæ narratur in principio v. 40. cujus scopus fuit, demereri Dominum officio humanitatis. Causa impulsiva narratur ibidem, nempe querela Marthæ de sorore. Quæ querela quum ex falsa opinione esset profecta, quasi scilicet Dominus magis expeteret lautam tractationem, quàm auscultationem suæ doctrinæ; Dominus ut falsam hanc opinionem Marthæ eximeret, & Mariam atque etiam seipsum ab injusta reprehensione vindicaret: Martham quidem ob nimiam illam solicitudinem præstandi officium humanitatis reprehendit, Mariam verò propter studium proficiendi in cognitione salutis æternæ laudavit.

Reprehensio narratur v. 41. & 42. Laudatio v. 42. quæ

adjunctam habet consolationem à promissione doni perseverantiæ in semel accepta fide salvifica, ubi ait: *Quæ non auferetur ab ea.*

SCHOLIA IN CAP. X.

1 *Etiam alios septuaginta.* καὶ ἕτερους ἑβδομήκοντα. Hoc perinde sonat, ac si Dominus jam antea septuaginta quosdam designasset: quibus nunc totidem alios adjunxerit. Sed loquutio est elliptica. nam ad nomen sive pronomen ἕτερους subauditur μαθητὰς, & tum nomen ἑβδομήκοντα adjicitur per appositionem. Plenus enim sermo esset sic: *alios ex* ἕτερους μαθητὰς, οἵτινες ἦσαν ἑβδομήκοντα: id est, Designavit etiam alios discipulos, (nempe præter illos duodecim) qui erant numero septuaginta. Eodem loquendi genere vtitur & infrà 23. 32. *Ducebantur autem etiam alii duo malefici.* ἦγοντο δὲ καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι. Pro, καὶ ἕτεροι δύο ἄνδρες, οἵτινες ἦσαν κακοῦργοι: id est, etiam alii duo viri qui erant malefici. Nam Dominus certè malefici non erat.

2 *Extrudat.* ἐκβάλλῃ. Vide Matth. 9. 38.

3 *In medium.* εἰς μέσον. Pro, εἰς μέσον. Enallage Hebraica.

4 *Neminem in via salutaveritis.* μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε. Id est, Cum nemine colloquimini, ne detineamini & interrumpatur iter vestrum. Synecdoche membri hyperbolica. nam salutatio est prima eaq; minima, colloquii pars. Simile exemplum vide 2. Reg. 4. 29. de Elisæo & famulo ipsius Gechazi.

5 *Pax esto huic domui.* εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Scil. ἔστω. Formula salutandi Hebraica. Unde apud Matthæum habetur, ἀσπάσασθε αὐτὴν, *salutate illam*, scil. domum, Matth. 10. 12.

6 *Quispiam filius.* ὁ υἱὸς. Pro, υἱός τις. Articulus capitur indefinitè. Sic suprà 8. 5. ἐξῆλθεν ὁ σπείρων. Exiit sator quidam. *Filius pacis.* υἱὸς εἰρήνης. Id est, dignus pace, hoc est, prosperitate illa quam ei à Deo exoptaveritis salutantes. Hanc expositionem confirmat collatio Matthæi, cap. 10. v. 11. & 13. ubi nomen ἄξιος ponitur pro eo qui hic vocatur υἱὸς εἰρήνης. Et sic *filius iræ* dicitur Ephes. 2. qui dignus est irâ, h. e. cui irascatur Deus quemve iratus puniat.

Pri

Etsi autem propter naturæ humanæ corruptionem nemo pace seu felicitate dignus est: tamen ex Dei gratia digni censentur electi: reprobi autem filii iræ manent. *Revertetur.* ἀνακάμψει. Sese reflectet.

9 *Sanate.* θεραπεύετε. Pro, ἰᾶσθε. Metonymia effecti destinati καταχρηστική. Sanabant enim non medendo, sed imperando morbis.

11 *Abstergimus vobis.* ἀπομασσόμεθα ὑμῖν. Id est, ἐφ' ὑμᾶς vel κατ' ὑμῶν, adversum vos: nempe in testimonium in judicio Dei. Ex collatione præcepti quod recitatur supra 9. 5.

12 *Sodomorum conditionem tolerabiliorem fore,* &c. ἐν Σοδόμοις ἀνεκτότερον ἔσται, &c. Ad verb. Sodomis tolerabilius fore quàm urbi illi. *In die illo.* ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. Nempe in illustri illo die judicii universalis.

13 *Væ tibi, væ tibi.* Scil. ἔσται, erit. Id est, misera eris: ita ut cogaris exclamare, Væ mihi. Metonymia effecti synecdochica. nam unâ cum effecto intelligitur causa procreans. *Virtutes.* αἱ δυνάμεις. Id est, miracula, effecta τῆς θείας δυνάμεως, divinæ potentiæ. Metonymia efficientis.

14 *Veruntamen.* πλήν. Sententia hæc cum præcedente sic cohæret, ac si dicat: Veruntamen etsi Tyrii & Sidonii non respuerunt, ac proinde in die judicii damnabuntur: tamen damnabuntur ad cruciatus tolerabiliores quàm vos. *In judicio.* ἐν τῇ κρίσει. In judicio illo Dei quod exercebit per Christum in fine mundi. Hoc innuit articulus.

15 *Exaltata.* ὑψωθεῖσα. Nempe quia Filius Dei dignatus est ibi habitare, Evangelium identidem prædicare, & miracula plurima edere.

18 *Spectabam.* ἐθεώρουν. Scilicet dum vos dæmonia ejiceretis: ex collatione versus præcedentis. Quasi dicat, Non dubito quin vera mihi narretis, nam ego, quantumvis corpore absens, tamen vi deitatis meæ, res absentes menti meæ repræsentantis, spectabam ipsum Satanam, dæmoniorum principem è sublimi deturbari. Ut *fulgur,* ὡς ἀστραπήν. Id est, momento.

19 *Inimici.* τοῦ ἐχθροῦ. nempe Satanæ: quem Petrus nominat τὸν ἀντίδικον ὑμῶν, adversarium nostrum, 1. Pet. 5. 8.

Nihil quicquam vos ladet. οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει. Ad verb. Nihil vos non non lædet. Triplex negatio, fortissimè negans apud Græcos. Quanquã illud οὐδὲν potest etiam aliter exponi, subauditâ scilicet præpositione κατ'. Quasi dicat Dominus, κατ' οὐδέν, id est, nulla in re vos lædet, scil. ὁ ἐχθρὸς, inimicus cujus modò facta mentio. *Lædet. ἀδικήσει.* Pro, βλάψει. Ad verb. Injuriâ afficiet. Metonymia effecti destinati. nam injuria ad damnum seu læsionem tendit.

20 *De eo. ἐν τούτῳ.* Pro, διὰ τοῦτο, propter hoc. *Spiritus. τὰ πνεύματα.* Scilicet ἀκάθαρτα, impuri: quæ ipsi nominarant dæmonia v. 17. *Quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς.* Id est, quòd nomina vestra scripta sunt in libro vitæ, quem Deus secum habet in cœlis. Metonymia subjecti recipientis in se, nempe loci pro re locata: & ἀνθρωποπάθεια, id est, metaphora à rebus humanis ad rem divinam.

21 *Spiritu. τῷ πνεύματι.* Id est, animo. Exsultavit autem spiritu, seu animo, id est vehementer. *Gloriam tibi tribuo. ἐξομολογοῦμαί σοι.* Ad verb. Confiteor tibi. Pro, δοξάζω σε, glorifico te, seu celebro te. Synecdoche generis Hebraica. nam qui aliquem celebrat, cõfitetur illius virtutes & præclara facinora. *Hæc. ταῦτα.* Nempe mysteria regni cælorum. Sicut alibi ait, Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. Vide Matth. 13. 25. *Quia sic fuit beneplacitum coram te. ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου.* Phrasis Hebræa. Id est, quia sic tibi placuit.

29 *Et quis est. καὶ τίς ἐστι.* Pro, Quis igitur est? vel, Quis autem est? Cæterùm verbum ἐστὶ hîc non patitur ἔγκλισιν, sed potiùs retractionem accentus propter emphasin. *Proximus. πλησίον.* Pro, ὁ πλησίον. Scil. ὰγ. Ellipsis articuli. Is qui propè est: periphrasis.

30 *Excipiens. ὑπολαβὼν.* Scilicet sermonem illius Legis periti: id est, respondens ad illius quæstionem.

31 *Casu autem. κατὰ συγκυρίαν δέ.* Verbum συγκυρεῖν (unde nomen συγκυρία) Latinè significat accidere vel contingere. Et simplex κυρεῖν, ab Hebræo קרה karáh ejusdem significationis verbo ortum videri potest: unde nomen מקרה mikréh, casus, 1. Sam. 6. 9. Interim tenendum casum nullum

nullum fortuitum esse, id est, à Fortuna dea illa impiè à Gentibus conficta gubernari: sed casus omnes gubernari providentiâ Dei. Solet autem eo nomine significari quicquid homini ex improviso prætérve propositum accidit sive contingit.

35 *Postero autem* die. τῇ ἐπαύριον. Subauditur ἡμέρᾳ. Ad verb. In diem qui cras, id est, postridie scil. erat.

38 *In quendam vicum.* εἰς κώμην τινά. Videlicet nomine Bethaniam: ut percipitur ex collatione ejus quod continenter annectitur de Martha, cum iis quæ de eâdem narrantur Johan. 11. v. 1. ubi Bethania nominatur vicus Mariæ & Marthæ: id est, ubi habitabant duæ illæ sorores.

40 *Ut me adjuvet.* ἵνα μοι συναντιλάβηται. Græcum verbum ἀντιλαμβάνεσθαι, est: quasi dicatur, ut unâ mecum è regione prehendat & regat instrumenta culinaria & cibos coquendos.

41 *Satagis de multis.* τυρβάζῃ περὶ πολλά. Vel, perstrepis circa multa. Ad verb. Turbaris. Apud Xenophontem lib. 1. παιδ. Cyri, τύρβα ἀγορᾶς strepitum fori significat.

42 *Bonam partem.* τὴν ἀγαθὴν μερίδα. Græcum expressius, propter articulum. Sed videtur positivus hîc positus pro comparativo: quia partem Mariæ cum parte Marthæ tanquam meliorem comparat: præferendo scilicet studium cognoscendi doctrinam salutis, studio lautè excipiendi Dominum. Neque enim hoc studium simpliciter ut malum damnat.

OBSERVATIONES EX CAP. X.

Ex v. 1. & 2. Quum crescit numerus amplectendarum Evangelium, numerum quoque ministrorum sive pastorum augeri oportet.

Reliquas observationes ex parte prima capitis excerpendas, annotavi partim ad caput 10. Matthæi, v. 2. & deinceps: partim ad caput 11. v. 20. & deinceps.

Ex v. 17. Exemplo Septuaginta discipulorum de subjectione dæmoniorum apud Dominum gloriantium monemur, nos à natura ad ambitionem & κατακρίσεις,

id est, vanæ gloriæ cupiditatem propensos esse. Hunc igitur animi nostri morbum agnoscamus, & ab illo per S. S. liberari petamus. πεφ.

Ex v. 18. Sicut Satanas tempore Christi à discipulis illius vi fidei, nitentis promissione Christi, è corporibus obsessorum ejectus & cum ignominia deturbatus fuit: ita Deus illum suo tempore sub pedes omnium credentium contriturus est, Rom. 16. v. 20. & conjecturus unâ cum Antichristis, hostibus Ecclesiæ, in stagnum ignis & sulphuris, ut ibi crucietur in æternum, Apoc. 20. v. 10. Id quod facit ad omnium piorum consolationem. δισ.

πκφ.

Ex v. 19. Quoties Deo visum est, servos suos ab omni noxa defendit. Quare fideliter munere nostro fungentes, in providentia & protectione Dei acquiescamus. δισ.

πκδ.

Ex v. 20. Solidum gaudium ex nulla re alia nascitur, quàm ex fide electionis divinæ, qua scil. credimus, nos à Deo electos esse ad vitam æternam. Hoc autem tum demum credere possumus & credimus, quum in nobis sentimus effecta vocationis divinæ; videlicet resipiscentiam, & desiderium gratiæ Dei, & fidem remissionis peccatorum propter satisfactionem Christi, & denique studium bonorum operum ad gratitudinem nostram erga Deum testificandam. Ergo ut solido gaudio perfruamur; assiduè audiamus, legamus ac meditemur verbum Dei; quum Spiritus sanctus istis mediis uti soleat ad effecta illa in nobis efficiendum & augendum. πκφ. δισ.

Ex v. 21. Vide Observationes ex Matth. 11. v. 25.

Ex v. 22. collato cum præcedente 21. Mysterium salvificæ cognitionis Dei consistit in cognitione Dei Patris & Filii: quòd scil. Pater Filium in mundum miserit per incarnationem, propter salutem nostram: quodque Filius homo factus, in carne sua nos Patri reconciliarit, gustando pro nobis mortem æternam quam peccatis nostris fueramus meriti: quodque unâ cum Patre nos sanctificet Spiritu suo, donans nos fide & studio sanctè vivendi: donec nos plenè sanctificet & glorificet, in cælum ad se translatos. δισ.

Ex v. 23. & 24. Beatitudinis nostræ in cœlo non minima

pars

pars erit, quòd videbimus & audiemus Christum. Nam si beati fuerunt discipuli, quòd viderunt illum in statu humilitatis, & audiverunt loquentem more humano ac terreno de mysteriis regni Dei: quanto beatiores erunt qui videbunt eum in gloria, & audient explicantem mysteria cælestia modo divino ac cælesti? Confer Joh. 17. v. 24. & 1. Joh. 3. v. 2. & 1. Cor. 13. v. 12. & 2 Cor. 12. v. 4. Ergo studeamus ita nos gerere, ut digni habeamur quos Christus in cælestem illam gloriam ad se recipiat. πατ.

Ex v. 25. & sequentibus. Vide Observationes ex Matth. 22. v. 34. & sequentibus.

Ex v. 28. Qui vitam æternam ex Lege consequi vult, eum oportet perfectam illi præstare obedientiam. Quam quum nemo præstare possit: necesse est ut vitam æternam alibi quæramus, nempe in Christo: qui illam nobis suâ morte acquisivit: ut Evangelium testatur. δικ.

Ex v. 29. & sequentibus. Christianorum est, non solùm amicos diligere, sed etiam ignotos, imò inimicos. Confer suprà cap. 6. v. 32. & deinceps. Vera autem proximi dilectio ex se parit liberalem ac sollicitam erga illum beneficentiam, ut in exemplo Samaritani videre est. πατ. δικ.

Ex v. 38. & sequentibus. Studium discendi verbum Dei, omnibus aliis curis præponendum est. πατ.

Ex v. ult. Qui semel seriò cœpit rationem salutis æternæ cognoscere ex verbo Dei, ei dat Deus quotidiana incrementa & perseverantiam. Nam dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. δικ.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Docet discipulos precari: promittit recte precantibus exauditionem: defendit se contra calumniam eorum qui dicebant ipsum ejicere dæmonia per principem dæmoniorum, eâq; occasione monet cavendam securitatem, necnon pronuntiat qui sint beati: sermonem habet ad turbam: reprehendit Pharisæos & Scribas & Legis interpretes propter vitiosos ipsorum mores.

PARS PRIMA.

Docet discipulos precari.

ET *factum est ut quum ipse precaretur quodam in loco, post-*
quam cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis; Domine,
doce nos precari, prout & Johannes docuit discipulos suos.

2 *Dixit autem eis; Quum precamini, dicite,* PATER *noster*
qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: veniat regnum tuum:
fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita etiam in terra.

3 *Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie.*

4 *Et remitte nobis peccata nostra: etenim ipsi remittimus om-*
nibus qui nobis debent. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera
nos à Malo.

Primùm indicatur occasio, deinde causa impulsiva, tum recitatur precandi formula. Occasionem huic institutioni præbuit, quòd quidam ex discipulis eum viderat audierátve precantem. Causa impulsiva fuit discipuli illius petitio, confirmata exemplo Johannis Baptistæ. Precationis formula constat proœmio, & narratione: quæ ipsa constat sex petitionibus. Proœmium constat his verbis, *Pater noster qui es in cælis.* Quorũ verborum scopus est, accendere in cordibus nostris reverentiam & fiduciam filialẽ: qui uterque animi affectus in precando requiritur. Nam quum Deus pater noster sit, reverendus est nobis propter paternam dignitatem atq; potestatem: quumq; sit in cælis, reverendus est nobis propter cælestem majestatem & potentiam immensam. Rursus, quum sit pater noster, in
2 paternam ejus benevolentiam fiduciã filialẽ debemus recumbere: quumq; sit in cælis, confidere debemus infinitã ejus potentiã: præsertim quum sciamus cælum nobis ab eo paratum esse, ut ibi æterna beatitudine ex cõmunione eum ipso perfruamur. Insuper vocabulo *Patris* admone-
3 mur quoq; filialis obedientiæ, qua Deũ ut patrem perpetuò debemus honorare. Sex illis petitionibus summatim
a comprehenduntur tum omnia bona quæ à Deo petere,
b tum omnia quæ ab eo deprecari debemus: illa quidem quatuor petitionibus prioribus; ista verò, duabus posteri-

mis.

mis. Bona quæ à Deo debemus petere, ſpectant vel ipſius 1. 2
gloriam, vel noſtram felicitatem. Gloriam Dei ſpectat, ut
à nobis *ſanctificetur nomen ejus*: quæ eſt petitio prima. hoc
eſt, ut per ſpiritum ſanctũ in nobis efficiat Deus, ut ipſius
virtutes quæ lucent in operibus ejus, videlicet infinitam
ſapientiam, potentiam, bonitatem, juſtitiam & miſericor-
diam prædicemus: ſummam ejus majeſtatem adoremus,
judiciaq; celebremus. Felicitas noſtra cõſiſtit potiſſimùm
in fruitione regni illius cæleſtis, quod Deus electis ſuis in-
de à jactis fundamentis mundi paravit: partim verò etiã
in fruitione bonorum terrenorum, dum vivimus vitam a-
nimalem in hoc mundo. De fruitione regni cæleſtis eſt
petitio ſecunda, *Veniat regnũ tuum*. id eſt, Transfer nos ſuo
tempore in regnum illud cæleſte quod paraſti nobis ab o-
rigine mundi, ut illic æternâ gloriâ & beatitate ex com-
munione tui & perpetua cõtemplatione tui perfruamur:
idq; propter Chriſtum qui regnum illud nobis ſuo ſangui-
ne eſt promeritus. Cæterùm quoniam in iſtud regnũ ne-
mo transferetur, ex adultis quidem, niſi in hoc mundo ſe-
rium habeat propoſitũ obſequendi voluntati Dei in Lege
ipſius patefactæ: idcirco antequam ad alteram felicitatis
noſtræ partem venitur, interſeritur petitio tertia: *Fiat vo-
luntas tua, ſicut in cælo, ita etiam in terra*. id eſt, Effice in no-
bis per ſpiritum ſanctum, ut promptè & alacriter ob-
ſequamur ſanctæ voluntati tuæ quam nobis certo verbo
patefeciſti: quo declaraſti quid velis à nobis fieri, quo-
modóve in hoc mundo velis à nobis coli: donec nos tranſ-
feras in cælum, ubi ſancti Angeli voluntati tuæ prompti-
ſſimè obſequuntur. Sequitur felicitatis noſtræ pars al-
tera, quæ conſiſtit in fruitione bonorum terrenorum:
de qua eſt petitio quarta, *Panem noſtrum quotidianum
da nobis quotidie*. ubi ſub vocabulo *panis*, per ſynecdo-
chen membri petimus quælibet bona terrena, ad anima-
lis hujus vitæ ſuſtentationem atque commoditatem ne-
ceſſaria: puta cibum, potum, amictum, ſanitatem, habi-
tationem, pacem: ſimulq; contraria mala deprecamur:
idque ſubintellectâ hac exceptione ſive conditione.
Quatenus iſtis bonis frui & à contrariis malis liberari,

nos non impedit in consequendo regno illo ad quod per obsequia voluntatis Dei tendimus, sed potiùs ad illud cõsequendum nobis conducit. Atq; hæ sunt petitiones quibus à Deo petimus omnis generis bona: restant petitiones duæ, quinta & sexta, quibus deprecamur mala: & quidem ea nominatim quæ principaliter mala sunt, videlicet peccata: quæ nisi essent, nullo alio malo premeremur. Peccata autẽ considerantur hic aut ut præterita & jam à nobis admissa: aut ut futura & quæ periculũ est ne admittamus, nisi per Spiritum Dei prohibeamur. Quinta igitur petitio est de peccatis præteritis. *Et remitte nobis peccata nostra: etenim ipsi remittimus omnibus qui nobis debent.* Id est, Ne peccata jam à nobis admissa, propter quæ debemus tibi pœnas, felicitatem nostram impediant aut destruant, pœnasq; commeritas nobis inducant: remitte nobis illa, idq; propter satisfactionem domini nostri Jesu Christi; qui suâ morte illa expiando, pro nobis tibi satisfecit. Atque hoc beneficiũ nobis præsta memor promissionis tuæ, qua per Christum nobis promisisti: Si nos remiserimus debitoribus nostris (h. e. proximis nostris qui nos injuriâ aliqua offenderint) te quoque nobis remissurum. Sexta eaque postrema petitio est de peccatis futuris: hoc est, quæ pro nostra infirmitate & diaboli potentia atque insidiis admissuri essemus, nisi per Spiritum Dei prohiberemur. De his igitur peccatis est petitio ultima, *Et ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* id est, Ne iterum peccando vel gloriam tuam (quantum in nobis est) lædamus, vel felicitatem nostram labefactemus aut destruamus: noli permittere diabolo ut tentationibus suis nos vincat: sive nos ad securitatem carnalem pellicere, sive in desperationem propter peccata admissa præcipitare studeat: Sed potiùs sustenta nos robore Spiritus tui, ut in fiducia gratiæ tuę perseveremus: & cohibe nos fræno timoris tui, ne cupiditatib. nostris fræna laxemus & in securitatem carnalem ruamus: denique libera nos tandem penitus à malignoisto spiritu: ne saluti nostræ ampliùs insidiari, aut gloriam tuam per nos lædere possit.

PARS

PARS SECUNDA.

Promittit recte precantibus exauditionem.

5 *Dixit etiam eis, Quis vestrûm habebit amicum, & proficiscetur ad eum mediâ nocte, & dicet ei, Amice, da mihi mutuò tres panes:*

6 *Quoniam amicus meus vênit de via ad me, & non habeo quod apponam ei:*

7 *Et ille intus respondens dicat, Ne mihi molestiam exhibe: jam ostium clausum est, & pueruli mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi.*

8 *Dico vobis, etiamsi non dederit ei surgens, eo quòd amicus ejus sit: at certè propter importunitatem ejus surget ac dabit ei quotquot sunt ei opus.*

9 *Et ego dico vobis; Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.*

10 *Quisquis enim petit, accipit: & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.*

11 *Ecquis autem ex vobis pater, si filius ab eo petierit panem, lapidem ei dabit? aut si piscem, num pro pisce dabit ei serpentem?*

12 *Aut si petierit ovum, num dabit ei scorpium?*

13 *Si vos igitur quum sitis mali, nostis bona dona dare liberis vestris; quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum iis qui ab ipso petierint?*

Promissionem hanc illustrat duobus exemplis similibus, eâdemq; operâ confirmat per ratiocinationem à minori. Prius exemplum est de amico qui vicino instanter petenti mutuo dat panes, quantumvis petenti intempestive, videlicet noctu quum ille sc jam recepit cum suis ad quietem, v. 5. 6. 7. & 8. Posterius exemplum est de patre, qui filio petenti cibum, dat cibum bonum & salubrem, non autem in locum cibi substituit aliquid inutile aut noxium, v. 11. 12. & 13. Ipsa autem promissio deducitur primùm ex exemplo primo, v. 9: & amplificatur copia verborum. Deinde deducitur etiam ex exemplo altero, idq; per ratiocinationem à minori, v. 13. Simul autem innititur, quæ bona potissimùm sint à Deo petenda, nempe spiritualia: ubi ait, *Quanto magis pater vester cœlestis dabit*

SPIRITUM SANCTUM &c. id est, per Spiritum sanctum dabit dona spiritualia, necessaria ad Deum rectè colendum & vitam æternam consequendam: puta veram Dei cognitionem, fidem & obedientiam.

PARS TERTIA.

Defendit se contra calumniam * eorum qui dicebant, ipsum ejicere dæmonia per principem dæmoniorum: eâq; occasione monet cavendam securitatem; necnon pronuntiat qui sint beati.

* Fuerunt autem isti Pharisæi: ut patet ex collatione Matth. 9. v. 34. & cap. 12. v. 24.

14 *Ejecit etiam dæmonium quod erat mutum: factum est autem ut egresso dæmonio, loqueretur ille mutus: & mirata est turba.*

15 *Quidam verò ex iis dixerunt,* Per Beelzebulem *principem dæmoniorum ejicis dæmonia.*

16 *Alii verò tentantes* eum, *signum è cælo petebant ab eo.*

17 *Ipse verò quum sciret cogitationes eorum dixit eis; Omne regnum dissidens adversus sese, vastatur: & domus adversus sese* dissidens, *cadit.*

18 *Quòd si etiam Satanas adversus seipsum dissidet, quomodo stabit regnum ejus? Nam dicitis, per Beelzebulem ejicere me dæmonia.*

19 *Quòd si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt? propterea ipsi erunt vestri judices.*

20 *Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, nempe pervenit ad vos regnum Dei.*

21 *Quum potens quispiam armatus custodit aulam suam, in pace sunt ea quæ habet:*

22 *Postquam verò quispiam eo potentior superveniens vicerit eum, totam armaturam ejus aufert qua confidebat; & spolia ejus distribuit.*

23 *Qui non est mecum, contra me est: & qui non cogit mecum, spargit.*

24 *Quum impurus spiritus exierit à quopiam, transit per arida loca, quærens requiem: & non inveniens, dicit, Revertar domum meam unde exivi.*

25 *Veniam*

25 *Veniens igitur invenit eam verſam & ornatam.*

26 *Tunc proficiſcitur & aſſumit ſeptem alios ſpiritus pejores quàm ſit ipſe: & ingreſſi habitant illic: fitq; ultima conditio hominis illius deterior priore.*

27 *Factum eſt autem ut quum hæc diceret, attollens vocem quædam mulier è turba, diceret ei; Beatus uterus qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.*

28 *Ipſe autem dixit, Imò verò beati qui audiunt ſermonem Dei, & eum obſervant.*

Primùm narratur calumniæ iſtius occaſio, 2. calumnia ipſa, 3. defenſio & calumniæ refutatio, 4. reprehenſio diſſimulantium veritatem in gratiam inimicorum Domini, 5. admonitio de cavenda ſecuritate, 6. pronuntiatum de cauſis procreantibus beatitudinis. Occaſionem iſti calumniæ præbuit admiratio turbæ ob dæmonium mutum à Domino ejectum, v. 14. Calumnia ipſa recitatur v. 15. Et amplificatur facto aliorum ſimili, id eſt ſimiliter malitioſo, v. 16. Calumniam refutat Dominus duobus argumentis: quorum primum concluditur duobus ſyllogiſmis: uno principali, altero proſyllogiſmo. Principalis hic eſt:

Si per Beelzebulem ejicerem dæmonia, Satanas adverſus ſeipſum deſſideret.

At Satanas adverſus ſeipſum non diſſidet.

Non igitur ejicio dæmonia per Beelzebulem.

Proſyllogiſmo approbatur aſſumptio, ad hunc modum:

Si Satanas adverſus ſeipſum diſſideret: quæreret interitum regni ſui. nam omne regnum adverſus ſeſe diſſidens, vaſtatur.

At Satanas non quærit interitum regni ſui.

Satanas igitur adverſus ſeipſum non diſſidet.

In textu, primo loco ponitur approbatio propoſitionis proſyllogiſmi: ibi, *Omne regnum* &c. ſecundo loco propoſitio proſyllogiſmi: ibi, *Quod ſi etiam* &c. tertio loco ſententia propoſitionis ſyllogiſmi principalis, ibi, *Nam dicitis* &c. Secundum argumentum continetur v. 19. cujus hæc videtur eſſe ſententia atque concluſio:

Si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia: fatendum erit vobis

vestros quoque filios (nempe Apostolos & exorcistas) per eundem ejicere dæmonia: quia scil. illi dæmonia ejiciunt per nomen meum.

At hoc vos non dicitis: sed judicatis illos dæmonia ejicere per Spiritum Dei.

Ergo nec ego dæmonia ejicio per Beelzebulem, sed per Spiritum Dei.

Sententia propositionis præcedit, ibi, *Quod si ego* &c. Assumptionis loco ponitur illius corollarium quo Dominus adversariis suis minatur judicium Dei propter hanc ipsorum malitiam: quod quum faterentur, filios suos dæmonia ejicere per Spiritum Dei, interim tamen affirmabant, Jesum dæmonia ejicere per principem dæmoniorum. Deinde amplificatur altera pars conclusionis alio corollario, quo admonet Dominus, malitiam istorum calumniatorum atque adeò omnium ipsum repudiantium, esse inexcusabilem: quia ipse factis divinis ac Messiæ propriis demonstret, se esse verum doctorem, atq; adeò ipsum Christum: ut qui digito Dei & propriâ virtute dæmonia ejiciat. Id significat v. 20. his verbis: *Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, nempe pervênit ad vos regnum Dei.* Præterea exemplo simili de heroë armato qui à robustiore aut potentiore ejicitur ex aula sua, declarat Dominus, quomodo ipse ejiciat dæmonia: nempe per potentiam divinam qua potentiam Satanæ longè superet, v. 21. & 22. Huic refutationis calumniæ adjicit Dominus reprehensionem eorum qui in gratiam inimicorum ipsius, nempe Scribarum & Pharisæorum authoritate pollentium, dissimulabant veritatem, non contradicentes scil. calumniatoribus istis. de his conquiritur v. 23. inquiens: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non cogit mecum, spargit.* quasi dicat, Qui non ingenuè & apertè mecũ facit, meamq; innocentiam contra calumniatores defendit, quantum in ipso est: illum habeo pro adversario non minùs quàm si apertè me oppugnaret. Quare viderint illi qui nunc ad calumniam istã adversariorum meorum tacent, ne scil. eos offendant, atque ita odium aut periculum sibi creent meâ causâ. Isti reprehensioni & querelæ subjicit admonitionem de cavenda

venda ſecuritate, ſi quis ſemel à diaboli poteſtate ſit liberatus, ſive corporaliter ſcilicet, ſive ſpiritualiter. Etſi enim Dominus ſolummodò loquitur de liberatione corporali: tamen ſpiritualem videtur ſimul ex natura ſimilium intelligere. Sententia eſt, Satanam ſemel ab homine depulſum, quærere occaſiones ad illum redeundi, illumq; in ſuam poteſtatem retrahendi: idque conſequi ſolere per hominis ſecuritatem: ſiq; ſuccedat propoſitum, deteriorem reddere illius conditionem quàm fuerat antea: ac proinde à ſecuritate carnali ſtudioſè eſſe cavendum, v. 24. 25. & 26.

Huic admonitioni ſubjicitur pronuntiatum Domini de cauſis procreantibus beatitudinis: cujus pronuntiati primùm exponitur occaſio, eademq; cauſa impulſiva, v. 27. videlicet pronuntiatum mulieris cujuſdam de matre Domini, quo illam beatam prædicabat eò quòd talem filium genuiſſet, videlicet tam excellentem atque ſanctum doctorem. Dominus igitur hac occaſione veras beatitudinis cauſas protulit, contradicens illi pronuntiato mulieris, tanquam falſo: quatenus nimirum intelligitur de cauſa beatitudinis vel totali vel ſaltem principali. nam alioqui ad beatitudinem Mariæ nonnihil contulit, & pars illius fuit atque eſt, quòd Deus tanto honore ipſam dignatus eſt, ut fieret mater Domini: quo nomine & Eliſabeta ex afflatu Spiritus ſancti benedictam ipſam prædicat inter mulieres, & Angelus Gabriel gratiam apud Deum nactam eſſe affirmat. Sed illa neque totalis cauſa beatitudinis Mariæ fuit, neque principalis; ſed præcipua cauſa beatitudinis ut omnium electorum, ita & illius, fuit, quòd credidit in Chriſtum tanquam ſervatorem ſuum.

Cæterùm Dominus hîc duas beatitudinis procreantes cauſas commemorat: audire ſermonem Dei, & eundem obſervare: credendo videlicet promiſſionibus gratiæ Dei propter Chriſtum, & faciendo bona opera in Lege Dei præcepta.

Sermonem habet ad turbam.

29 *Quum autem turba congregaretur ad eum, cœpit dicere, Natio hæc mala est: signum requirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum illud Jonæ Prophetæ.*

30 *Nam prout fuit Jonas signum Ninivitis, ita etiam erit Filius hominis nationi isti.*

31 *Regina Austri surget in judicio cum viris nationis hujus, & condemnabit eos, quòd venerit à terminis terræ ut audiret sapientiam Solomonis: & ecce, plus quàm Solomon est hoc in loco.*

32 *Viri Ninivitæ exsurgent in judicio cum hac natione, & condemnabunt eam: quòd ad præconium Jonæ respuerint, & ecce, plus quàm Jonas est hoc in loco.*

33 *Nullus verò si lucernam accenderit, in occulto ponit eam, neque subter modium: sed in candelabrum; ut qui ingrediuntur splendorem videant.*

34 *Lucerna corporis est oculus: quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quum verò malus fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.*

35 *Cave ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.*

36 *Itaque si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrosam: sic erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore te illustrat.*

Sermonis hujus tria sunt membra. 1. querela Domini de malitia * eorum qui postulabant ab ipso signum. 2. admonitio de benignè aliis communicanda luce cognitionis Dei. 3. admonitio de cavenda invidia in genere. Querela continetur his verbis: *Natio hæc mala est, signum requirit.* Hæc querela amplificatur primùm antitheſi disparatorum: deinde expoſitione effecti. Antitheſi diſparatorum Dominus hoc agit ut iſtos malitiæ convincat, & ſuam doctrinam quæ malitioſè ab eis rejiciebatur, aſſerat: id quod facit per prædictionem ſuæ quietis in ſepulchro & reſurrectionis ex illo: quæ res erat ſignum teſtificans quòd ipſe eſſet Chriſtus, ſicuti docebat: ſed ſignum diſparatum illi ſigno quale petiverant malitioſi illi. Illi enim petiverant ſignum, hoc eſt, miraculoſum aliquod opus,

* Fuerunt autem iſti Scribæ & Phariſæi: ut liquet ex Matth. 12. v. 38.

opus, è cælo: quale fuit quòd olim ad preces Eliæ ignis de cælo delapsus fuit. Cæterùm quietem illam suam triduanam in sepulchro, esse signum ex quo ipso agnosci debeat pro Christo, confirmat testimonio prophetæ Jonæ, sed testimonio typico, cujus tota vis consistit in casu quodam simili: eoq; miraculoso: quòd scilicet Jonas per triduum delituit in ventre ceti, veluti sepultus: & tamen ibi conservatus est, indeq; post triduum vivus emersit. Hic enim casus miraculosus, typus fuit similis casus qui accidere debebat Christo, ut scilicet per triduum delitesceret in sepulchro, ibiq; conservaretur à putredine, atque inde tertio die vivus prodiret. Hoc significat Dominus quum ait v. 30. *Sicut Jonas fuit signum Ninivitis, ita etiam erit Filius hominis nationi isti.* quasi dicat: Sicut Ninivitæ ex mirabili illo casu qui Jonæ acciderat, coacti sunt illum agnoscere pro propheta divinitus ad se misso, cujus proinde doctrina sit vera: ita Judæi ex resurrectione mea cogentur me similiter agnoscere pro propheta divinitus ad se misso, cujus doctrina sit vera; ac proinde cogentur me agnoscere pro Christo, quippe quum docuerim me esse Christum, idque ex prophetiis divinis demonstrârim. Expositio effecti (quæ est altera amplificationis pars) est denuntiatio pœnæ divinæ, maliosis istis Judæis justo Dei judicio eventuræ. Hanc pœnam significat quum ait, *Regina austri surget in judicio cum viris nationis hujus, & condemnabit eos.* Item, *Viri Ninivitæ exsurgent in judicio cum hac natione & condemnabunt eam.* Justitiam autem & gravitatem pœnæ illius ostendit per declarationem malitiæ illorum, per antithesin dissimilium & collationem imparium, in duobus exemplis quæ in Scriptura narrantur; unoreginæ austri, altero Ninivitarum. Dissimilia fuerunt facta illorum, factis malitiosorum istorum Judæorum. Nam regina Sabæ magni fecit sapientiam Salomonis: at malitiosi isti Judæi contemnebant sapientiam Christi. Item, Ninivitæ resipuerunt ad prædicationem Jonæ: at isti non resipiscebant ad prædicationem Christi. Imparium verò collatio est, quatenus Christus ut major confertur cum Solomone & Jona, ubi ait: *Et ecce plus*

quàm Salomon est in hoc loco. item, *Et ecce plus quàm Jonas est in hoc loco.* Si igitur regina Sabæ tanti fecit sapientiam Salomonis, ut ad illam audiendam non sit gravata longinquum iter suscipere: multo magis Judæi isti debebant magni facere sapientiam Christi, præsertim quum absque sua molestia & sumptu illam possent audire. Quod quum non fecerint: justo Dei judicio damnabuntur. Sic si Ninivitæ resipuerunt ad præconium Jonæ: multo magis Judæi isti debebant resipiscere ad præconium Jesu, quia Jesus major erat Jona, tanquam dominus servo; & tanquam res significata typo. Atque hoc primum istius sermonis membrum est. Secundum continetur vers. 33. videlicet admonitio de luce cognitionis Dei benignè cum aliis communicanda. Hæc admonitio proponitur sub involucro rei similis, videlicet consuetudinis circa lucernam accensam. Sententia est. Sicut lucerna accensa non solet poni in occulto aut subter modium, sed in candelabrum, ut luceat iis qui ingrediuntur domum: ita cognitio Dei quam quis adeptus est, non est occultanda, sed benignè cum aliis communicanda, ut & ipsi illâ illuminentur ad salutem. Huic admonitioni annectitur alia ex occasione similis allati, & ipsius sententiæ: cui nunc subjicitur sententia ejusdem generis, sed generalis, nempe de cavenda invidia omnino, non solùm in occultanda doctrinâ cælesti. Sententia est, Studendum benignitati; quoniam is affectus afferat homini lætitiam: contrà cavendam malignitatem atq; invidiam; quoniam is affectus afferat homini tristitiam. Benignitatem intelligit per oculum simplicem: malignitatem atque invidiam per oculum malum: Lætitiam, per lucem corporis: tristitiam per tenebras corporis.

PARS QUINTA.

Reprehendit Pharisæos & Scribas & Legis interpretes propter vitiosos ipsorum mores.

37 *Postquam autem loquutus esset, rogavit eum quidam Pharisæus ut prandere at apud se. Ingressus igitur discubuit.*

38 Phari-

38 Pharisæus autem quum hoc vidisset, admiratus est eum non prius abluisse sese ante prandium.

39 Dixit autem Dominus ei, Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæq; partem purgatis: sed interius vestrum plenum est rapinâ & scelere.

40 Dementes, nónne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit?

41 Immo, ea quæ insunt date in eleemosynam: & ecce, omnia erunt vobis pura.

42 Sed væ vobis Pharisæis, quoniam decimatis mentham & rutam, & quodvis olus, sed præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

43 Væ vobis Pharisæis, quoniam diligitis primum consessum in conventibus, & salutationes in foris.

44 Væ vobis Scribæ & Phariseæi hypocritæ: quoniam estis ut monumenta quæ non apparent, & quæ sciunt ii qui super ea ambulant.

45 Respondens autem quidam ex Legis interpretibus, ait ei; Magister, quum hæc dicis, etiam nos afficis injuriâ.

46 Ipse autem ait, Væ vobis quoque Legis interpretibus, quoniam oneratis homines oneribus difficilibus portatu, sed ipsi uno ex digitis vestris non attingitis onera.

47 Væ vobis, quoniam ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri trucidarunt eos.

48 Nempe testimonio vestro comprobatis facta patrum vestrorum: quoniam illi quidem eos trucidarunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.

49 Propterea etiam Sapientia Dei dixit, Mittam ad eos Prophetas & Apostolos, et ex ipsis quosdam trucidabunt, et quosdam expellent.

50 Ut à natione ista requiratur sanguis omnium Prophetarum, effusus à jactis fundamentis mundi.

51 A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem: profecto dico vobis, requiretur ab hac natione.

52 Væ vobis Legis interpretibus, quoniam sustulistis clavem cognitionis: ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.

53 Quum autem hæc eis diceret, cœperunt Scribæ & Pha-

riſæi vehementer ipſi *imminere, & eum allicere ad loquendum de multis.*

54 *Inſidiantes ei, & ſtudentes venari aliquid ex ipſius ore, ut eum accuſarent.*

Primùm indicatur tempus quo reprehenſio iſta pronũciata fuit, 2 locus vbi pronuntiata fuit, 3 occaſio unde nata fuit, 4 cauſa impulſiva quæ Dominũ ad eam inſtituendam movit, 5 reprehenſio ipſa, 6 eventus. Tempus ſignificatur in principio v. 37. his verbis. *Poſtquam autem hæc loquutus eſſet*, nempe poſtquam refutaſſet calumniam Phariſæorum de ſuo modo ejiciendi dæmonia, & conqueſtus eſſet de malitia eorundem petẽtium ab ipſo ſignum: ut narratum fuit inde à v. 17. huc uſq;. Locus fuit domus cujuſdam Phariſæi, ut ſignificatur ibid. his verbis: *Rogavit eum quidam Phariſæus ut prãderet apud ſe. Ingreſſus igitur diſcubuit.* Occaſionem huic reprehenſioni præbuit, quòd Dominus ſe non lavit ante prandium more apud Judæos recepto ſeu ritu Judaico, v. 38. Cauſa impulſiva ſignificatur ibi. his verbis: *Phariſæus autem quum hæc vidiſſet, admiratus eſt* &c. Impulit igitur Dominum ad hanc reprehenſionem ſuſcipiendam injuſta offenſio Phariſæi hoſpitis, qui ipſum prãdio exceperat: qui omiſſionem ritus recepti tacitè in Domino damnabat, eò quòd putaret, ritum illum eſſe partem cultus divini. Dominus igitur ut & innocentiam ſuam oſtenderet, & Phariſæum illum ejuſq; ſocios erroris atq; hypocriſeos cõvinceret, reprehenſionem hanc inſtituit. Reprehenſio ipſa ſeptem conſtat membris: quorum tria priora nominatim pertinent ad Phariſæos, quartum ad Scribas & Phariſæos ſimul, tria poſtrema ad interpretes Legis. Reprehendit autem in illis hæc vitia ſeptem: avaritiam, vacuitatem charitatis, ambitionem, hypocriſin, injuſtitiam erga plebem, crudelitatẽ erga pios doctores, & falſam doctrinam. Etſi autem hypocriſin ſeperatim & expreſsè eis exprobat in membro quarto: tamen illam ſimul in cæteris quoq; membris perſtringit. Avaritiam igitur reprehendit v. 39. 40, & 41. Idq; occaſione offenſionis Phariſæi de qua dictum eſt, per antitheſin, his verbis: *Vos quidem Phariſæi exteriorem poculi patinæq; partem purgatis; ſed interius*

interius vestrum plenum est rapinâ & scelere, ubi per τὸ ἔνδοθεν, id est, ipsum interius, intelligit cibum ac potum qui in patina & poculo solet cõvivantibus apponi: ut liquet tum ex ipsa antithesi, tum ex collatione Matth. 23. v. 25. Vult igitur dicere, cibum atq; potum Pharisæorum comparari ab ipsis seu acquiri solere per rapinam: dum scil. exedebant domos viduarũ, prætextu precum quas pro salute illarum conciperẽt, ut declaratur Matth. 23. v. 14. Deinde stultitiæ simul & hypocriseos cum ista rapina conjuncta eos damnat argumento ducto à pari, v. 40. ubi ait: *Dementes, nonne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit?* q. d. Deus tam creavit cibum ac potum, quàm metallum aut lignum aut argillam unde confici solent patinæ & pocula: Ergo non minùs cibum ac potũ purè & sanctè haberi vult, quàm patinas & pocula. Vos igitur dementes estis & perversi hypocritæ: qui de puritate cibi ac potus minimè solliciti, interim saragiris purgare patinas & pocula. Tertio per prolepsin quandam docet, quomodo possint consequi ut & interiora vasorum pura habeãt, nempe si ea dent in eleemosynam, ac proinde eos hortatur ad virtutem avaritiæ contrariam, videl. liberalitatem in eroganda eleemosyna, v. 41. ubi ait, *Imò ea quæ insunt* (scil. in vasis: in patinis & poculis) *date in eleemosynam: & ecce, omnia* (scil. tam quæ intra vasa quàm quæ extra sunt) *erunt vobis pura*. Atque hoc primum reprehensionis membrum est. Secundo membro reprehendit in Pharisæis vacuitatem charitatis, simulq; notat ipsorum hypocrisin per antithesin diversorum & collationem imparium; & hanc reprehensionem, sicut & sequentes, amplificat indicatione effecti inutilis seu noxii, id est, denuntiatione æterni exitii: quod notat interjectione dolentis, *Væ*. Ait igitur, *Sed væ vobis Pharisæis, quoniam decimatis mentham & rutam & quodvis olus: sed præteritis judicium & charitatem Dei*: ubi nomine judicii intelligitur assertio illorum qui à potentioribus defraudantur aut opprimuntur, & per synecdochen speciei charitas erga proximum significatur: cui additur charitas Dei, id est erga Deum seu qua diligitur à nobis Deus. Syllogismi hujus loci duo sunt: unus, principalis: nempe hic.

Qui de minutis satagunt, & præcipua officia interim omittunt, hypocritæ sunt.

Vos id facitis.

Vos igitur estis hypocritæ.

Alter, prosyllogismus assumptionis.

Decimare mentham & rutam, minus est officium quàm exercere judicium & charitatem erga Deum.

At vos decimatis mentham & rutam. judicium verò & charitatem Dei præteritis.

Ergo facitis quod minus est, negligitis quod majus.

In textu primùm ponitur assumptio prosyllogismi, ibi: *Quoniam decimatis*: deinde sententia propositionis prosyllogismi, ibi, *Hæc oportuit facere* (scil. inprimis & ante omnia) *& illa* (interim) *non omittere*. quæ sententia est propositionis illius πόρισμα seu corollarium. nam si exercere judicium & charitatem Dei plus est quàm decimare mentham & rutam: sequitur illa etiam inprimis esse facienda & magis quàm ista. Syllogismus autem principalis innuitur ipsâ conclusione prosyllogismi. Sequitur tertium reprehensionis membrum, quo reprehenditur Pharisæorum ambitio, v. 43. quæ ostenditur ex duobus factis ipsorum, ut patet in textu. Quarto membro expressè reprehenditur ac demonstratur Scribarum & Pharisæorum hypocrisis, v. 44. argumento ducto à simili.

Si estis ut monumenta quæ non apparent & quæ nesciunt ii qui super ea ambulant, estis hypocritæ: quippe qui occultatis nequitiam vestram coram hominibus larvâ singularis sanctimoniæ.

At estis ut monumenta &c.

Ergo estis hypocritæ.

Conclusio præcedit ibi, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Assumptio sequitur: *Quoniam estis ut monumenta &c.* Propositio subintelligitur. Sequentium membrorum narratio illustratur expositione causæ impulsivæ, v. 45. videlicet querelæ cujusdam interpretis Legis, qui querebatur, se quoque & suum ordinem reprehensione illa proximè præcedente iniuriâ affici, quasi scil. ipsi non sint hypocritæ. Dominus igitur deinceps ostendit, illos quoque non minùs

minùs quàm Phariſæos, hypocritas eſſe. Quod dum oſtendit, ſimul alia quoq; crimina eis objicit. Quintum igitur membrum reprehenſionis ſequitur v. 46. quo reprehenditur interpretum Legis injuſtitia erga plebem: quippe *quam onerabant oneribus difficilibus portatu, quum ipſi interim ne uno quidem ex digitis ſuis illa attingerent.* hoc eſt, præcipiebant plebi ex Lege ut Deum diligerent ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſos: quum ipſi interim de neutra dilectione exercenda ſolliciti eſſent. Ex quo ipſo illorum patet hypocriſis: quippe qui præcipiendo plebi, amantes pietatis videri volebant, qua tamen erant vacui. Sextum reprehenſionis membrum continetur v. 47. & deinceps uſque ad 52. Illo reprehenditur crudelitas totius illius factionis. Scribarum inquam, Phariſæorum & Legis interpretum: crudelitas inquam erga pios Dei ſervos: quum tamen interim vellent videri honorare illos atque in pretio habere, ædificando Prophetarum monumenta: ex quo rurſum patet ipſorum hypocriſis. Dominus autem ſcit è factum illorum detorquet in alium finem. Ædificabant illi monumenta Prophetarum, ut viderentur ſervos Dei habere in pretio: at Dominus ait, illos id facere ut teſtentur ſe delectari cæde ſervorum Dei: quippe qui quaſi mutuam operam traderent patribus ſuis qui Prophetas trucidarant. Quaſi dicat: Patres veſtri Prophetas è medio ſuſtulerunt, trucidando eos: vos operam datis ut è medio & conſpectu hominum ſublati maneant, ædificando ipſorum monumenta. Ergo teſtimonio veſtro comprobatis ſcelera patrum veſtrorum in trucidandis Prophetis commiſſa, v. 47. & 48. Deinde reprenſionem iſtam crudelitatis probat teſtimonio divino, v. 49. nempe ſuo ipſius quatenus eſt Sapientia Dei, ut appellatur quoq; Prov. 8. Quo ipſo nomine teſtimonii ſui veritatem confirmat, ut qui certò norit omnia, ac proinde falli non poſſit in ſua prædictione. Hunc eſſe ſenſum verborum, colligi poteſt ex collatione Matth. 23. & 34. ubi pro his verbis. *Propterea etiam Sapientia Dei dixit, Mittam ad eos Prophetas &c.* habentur iſta, *Propterea ecce*, EGO *mitto ad vos Prophetas &c.* Poſtremò amplificat iſtud crimen crudelitas, expoſi-

tione effecti, denuntiando illis vindictam divinam, v. 50. & 51. ubi simul crimẽ ipsum amplificat collatione similium exemplorum, nempe cædium in sanctis Dei servis perpetratum inde ab origine mundi usq; ad illud tempus: quod temporis intervallum Dominus à duobus extremis sive terminis describit, nempe termino à quo, *sanguine Abelis*, & termino ad quem, *sanguine Zachariæ*. Porrò Zachariæ cædem amplificat à circumstantia loci, quòd *interfectus sit inter altare & ædem*, id est: in atrio domus Jehovæ: ut habetur 2. Chron. 24. v. 21. Immanis igitur fuit crudelitas illorum qui occiderunt Zachariam, quòd eum occiderint statim in eo ipso loco, & quidem loco sancto, ubi spiritu Dei correptus populum propter peccata sua reprehenderat: non autem potuerunt exspectare donec inde exiret, aut donec de causâ diligentiùs cognoscerent, & ex Lege Dei judicarent. Restat septima reprehensio, v. 52. qua reprehenduntur Legis interpretes propter falsam doctrinam. Hoc crimen significat sermone metaphorico, dicens eos sustulisse clavem cognitionis: h. e. sustulisse veram interpretationem Legis seu Scripturæ sacræ: quæ interpretatio est quasi clavis qua aperiuntur mysteria regni cælorum, atq; adeò ipsum cælum aperitur: unde apud Matth. habetur, quòd claudant regnũ cælorum coram hominibus, cap. 23. v. 13. Hoc crimen amplificat collatione minoris: quum ait, *Ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis*. q. d. Non solùm ipsimet non estis solliciti de genuino sensu Scripturæ, ut inde adepti veram Dei cognitionem, introire possitis in regnum cælorum: sed (quod majus scelus est) alios insuper ab ingressu prohibetis, falsâ scil. Scripturæ interpretatione eos impedientes, quo minùs possint genuinum illius sensum consequi, atq; inde veram & salvificam Dei cognitionem haurire. Hactenus reprehensio: eventus sequitur, v. 53. & 54. nempe conatus ulciscendi ac Dominum perdendi, exercẽdo eum captiosis quæstionibus, quibus elicerent dictum aliquod quod supplicio capitis dignum videretur.

SCHOLIA IN CAP. XI.

3 *Quotidie. τὸ καθ' ἡμέραν.* Syrus יומם cul-jùm, id est, omni die.

die. Quomodo autem non committatur hîc ἀδιαλεξία sive otiosa ejusdem verbi repetitio, licet præcedat τὸ ὄνομα, i.e. *quotidianũ*: vide in scholiis in Mat. 6. v. 11. ad vocẽ *Hodie*.

4 *Etenim ipsi remittimus.* καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίομεν. Vel, *Nam & nos remittimus.* Quid ergo? Num igitur nostra remissio (h.e. qua nos remittimus proximo peccata quibus nos offẽdit) causa est remissionis divinæ? hoc est, qua Deus remittit nobis peccata nostra, quibus ipsum offendimus? Sanè ita res habet, dummodò rectè intelligatur. Ac primùm remissionem nostram esse causam aliquam remissionis divinæ, planum evadit ex ipsa rationis quæ hîc affertur conclusione: quæ talis est.

Si nos remittimus proximo: tu quoque nobis remittere tenẽris.

Atqui nos proximo remittimus.

Ergo tu quoque nobis remittere tenẽris.

Propositio cõfirmatur testimonio promissionis Dei: quippe qui promisit, si nos proximo remiserimus, se quoq; nobis remissurum: id est, promisit nobis remissionem cũ hac conditione, si nos priùs remiserimus proximo. Omnis autem conditionis impletio sive præstatio habet vim causæ respectu impletionis sive præstationis rei promissæ. At quomodo nostra remissio (inquiat aliquis) causa statui potest remissionis divinæ: quum remissio nostra ex remissione divina oriatur, quippe quum certum sit, neminem nostrûm proximo remittere posse, nisi Deus ipsi priùs remiserit. Id quod sic ostenditur:

Remissio qua nos proximo remittimus, oritur ex proximi dilectione. Sorites

Proximi dilectio oritur ex dilectione Dei.

Dilectio Dei oritur ex fide remissionis divinæ, h. e, ex certa persuasione quòd Deus nobis ex gratia propter Christum peccata jam remiserit.

Fides oritur ex remissione divina. quia enim Deus peccata nobis remisit, ideò fidem nobis donat qua de illa remissione certò persuasi, à metu mortis sive damnationis æternæ liberi simus & contrà spem vitæ æternæ cõcipiamus & alamus.

Ergo remissio nostra oritur ex remissione divina.

Respondeo. Utrumq; verum est: sed observatâ diversâ significatione verbi *Remittere*. Nos non remitteremus proximo, nisi Deus priùs remitteret nobis: id est, sibi proponeret non velle punire nos propter nostra peccata: & tamen nisi nos priùs remiserimus proximo, Deus non remittet nobis, id est non omittet pœnam nobis propter peccata debitam. Ergo verbum *Remittendi* hoc loco per metonymiam efficientis significat omissionem pœnæ, quasi dicamus, Noli nos punire propter nostra peccata: sed parce nobis: quia nos ita affecti sumus erga proximum, ut & ipsi nolimus ulcisci injurias nobis ab illo illatas: tu tamen promisisti, si nos proximo parcere velimus atque parcamus, te nobis quoque parsurum, nec nos propter injurias quibus te affecimus, puniturum. *Omnibus qui nobis debent.* παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν. Vulgata ad verb. Omni debenti nobis. Dicuntur autem nobis debere (scilicet pœnam) qui nos injuriâ aliquâ affecerunt. Atque hinc peccata ipsa dicuntur debita, ὀφειλήματα, per metonymiam effecti: quia reddunt nos debitores, ut scilicet debeamus Deo illorum pœnam. Hinc etiam peccata dicuntur remitti & condonari, quando pœna eorum non exigitur. Quare frivola est distinctio Papistarum: quum dicunt, Deum nobis remittere culpam, non autem pœnam. At, inquam, ideò dicitur Deus remittere culpam, quia non exigit pœnam. quemadmodum creditor dicitur condonare debitum, quia non exigit illius solutionem.

7 *Et ille.* κἀκεῖνος &c. Hîc incipit consequens enuntiati copulati: quod quidem æquipollet huic connexæ Si quis vestrûm habebit amicum &c. num ille intus respondens dicet &c. Tum ad hanc interrogationem sequitur responsio v. 8. *Dico vobis* &c. Id est, Nequaquam ita dicet, nequaquam recusabit panes, sed dabit.

8 *Importunitatem.* ἀναίδειαν. Ad verb. Impudentiam, id est, impudentem postulationem. Synecdoche generis. Syrus יצפוחא jaziphucá: quod Tremellius vertit *instantiam.*

9 *Et ego.* κἀγώ. Pro, οὕτως ἐγώ. Sic ego. Est enim hîc apodosis institutæ similitudinis.

10 *Quisquis*

10 *Quisquis enim petit.* πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν. Scil. rectè, secundùm voluntatem scilicet Dei, 1. Johan. 5. 14.

11 *Ecquis autem.* τίνα δὲ. Sermo hic ἀνακόλουθος est. Aut enim pro μὴ legendum καὶ, sic: τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς αὐτοῦ, καὶ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; Id est, *Quem autem vestrûm, qui pater est, poscet filius panem: & ille lapidem dabit ei?* qualis loquendi forma præcessit v. 5. 6. & 7. Aut pro τίνα, legendum, εἰ τινα: & vertendum, *Si quem autem ex vobis patrem filius poposcerit panem: num lapidem ei dabit? Aut si piscem.* εἰ καὶ ἰχθῦν. Vulgata, Aut piscem: & sic v. seq. ἢ καὶ similiter reddit *Aut*. quare εἰ pro ἢ irrepsisse hoc loco videtur, *Dabit.* ἐπιδώσει. Pro simplici, δώσει. nam aliâ ἐπιδιδόναι apud Græcos est augescere seu incrementum capere.

14 *Dæmonium quod erat mutum.* δαιμόνιον καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν. Sic vocat ab effectu, per metonymiam: quia hominem efficiebat mutum. *Loquutus est ille mutus.* ἐλάλησεν ὁ κωφός. Id est, ille qui fuerat mutus. Sic Matth. 11. 5. Cæci vident, claudi ambulant &c.

20 *Digito Dei.* ἐν δακτύλῳ θεοῦ. id est, per Spiritum Dei: ut declaratur Matth. 12. 28. Ex digito intelligitur primò imperium, per metonymiam adjuncti metaphoricam: nam homines, quibus imperant ut desistant à lædendo, eis digito porrecto minãtur. Deinde ex imperio intelligitur virtutis seu potẽtia (nempe potentia Spiritus sancti) per metonymiam efficientis: nam homines potentiâ suâ freti, imperant.

21 *Aulam suam.* τὴν ἑαυτοῦ αὐλήν. Id est, regiam. Synecdoche membri.

29 *Quum autem turba congregaretur apud* eum τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων. Pro, ἀθροιζομένων ἐπ' αὐτόν. *Signum.* σημεῖον. Id est, miraculum, quo significet Deus se misisse me ad docendum. Synecdoche generis.

30 *Fuit signum Ninevitæ.* ἐγένετο σημεῖον τοῖς Νινευΐταις. Id est: Sicut Ninevitæ adducti fuerunt ad credendum prædicationi Jonę, admirando illo casu qui illi prędicationem illam defugienti acciderat, quòd scil. è navi projectus & à ceto deglutitus, per triduum in illius ventre velut sepultus jacuit, ac tum vivus & integer atq; illæsus ab illo est li-

bero aëri redditus: ita ad credendum prędicationi meæ vel inviti adducentur pręfracti isti, quum cognoverint, me per triduum in ventre terræ sepultum, vivum inde prodiisse: idq; secundùm prędictionem meam. Hunc esse sensum, colligitur ex collatione Matth. 12. 40.

32 *Ad præconium.* εἰς τὸ κήρυγμα. Id est, διὰ τοῦ κηρύγματος, per præconium: hoc est, conciones quibus eis denuntiavit iram Dei & interitum propter scelera ipsorum.

38 *Abluisset sese.* ἐβαπτίσθη. Ad verb. Ablutum fuisse Hebraismus. Etenim apud Hebræos Niphál sæpe ponitur in significatione reciproca.

39 *Sed interius vestrum.* τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν. Id est, cibus vester qui est intra patinam: itemq; potus vester qui est intra poculum. Hunc esse sensum, patet ex collatione Mat. 23. v. 25. & 26. item ex collatione versus sequentis. Quare illa verba, τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν, non recte vertuntur, *Sed quod intra vos est*: quasi pronomen ὑμῶν regatur ab adverbio ἔσωθεν. Regitur enim à participio ὄν, subintellecto ad articulum τὸ: vel certè regitur à complexo illo, τὸ ἔσωθεν.

41 *Quæ insunt.* τὰ ἐνόντα. Scil. in patina & poculo: ex collatione v. 39.

42 *Quod vis olus.* πᾶν λάχανον. Ad verb. Omne olus: id est, omnis generis olus. Simili significatione accipitur nomen hoc 1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines* (πάντας ἀνθρώπους) *servari*: id est, omnis generis homines, puta nobiles & obscuros, divites & pauperes &c. Sic. Eph. 1. v. 3. *Benedixit nobis omni benedictione spirituali*, ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ. *Hæc.* ταῦτα. Referendum puto ad propius membrum, quasi dicat, Judicium & charitatem Dei imprimis exercere vos oportuit: interim tamen non debetis omittere illa minoris momenti officia.

46 *Uno ex digitis* &c. ἐνὶ τῶν δακτύλων. Id est, Ne uno quidem ex digitis vestris attingitis. q. d. Multò minùs omnibus digitis seu tota manu. Amplificatio hyperbolica à majori, id est, probabiliori.

48 *Nempe testimonio vestro combrobatis* &c. ἄρα μάρτυρεῖτε &c. Acuta argumentationis inversio. Nam isti videbantur sibi sancti & volebāt videri sancti, eò quòd monumēta

Prophe-

Prophetarum ædificarent. Hoc argumentum Christus invertit, ad arguendum eorum cum patribus consensum qui Propheras occiderant; quasi qui sepulcurâ alicujus delectantur, ii delectentur etiam ejusdem morte. Itaq; factum istorum scitè aliò detorquet quàm ipsis propositum erat.

49 *Sapientia Dei.* ἡ σοφία τ̃ θεοῦ. Id est, Ego: qui in Scriptura (nempe Proverb. 8.) nominor Sapientia Dei. Ex collatione Matth. 23. v. 34.

50 *Requiratur sanguis.* ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα. Id est, ut eogantur rationem reddere Deo de sanguine isto effuso: hoc est, ut propter illum injustè à se effusum à Deo puniantur. *A natione ista.* ἀπὸ τ̃ γενεᾶς ταύτης. Concurrunt hîc minùs commodè tria ἀπό, diversa significatione: primo notatur terminus temporis, ἀπὸ καταβολῆς: secundo subjectum patiens, ἀπὸ τ̃ γενεᾶς: tertio terminus rei, ἀπὸ τ̃ αἵματος. Primum & tertium reguntur à participio ἐκχυνόμενον: secundum à verbo ἐκζητηθῇ. Cæterùm illud ἐκζητηθῇ potest etiam verti *Repositatur*: sicut Gen. 9. v. 5. Deus ait, se sanguinem, sive per hominẽ sive per bestiam effusum reposcere velle à manu illius. Manu enim ut eripitur, ita etiam redditur aliquid. Sic sensus erit: Sanguis Prophetarum reposcetur à gente ista: hoc est, jubebuntur eum reddere, ut quem ipsi abstulerint: quum autem reddere non possint, tãquam injusti alienatores damnabuntur ac punientur. Exemplum talis ἐκζητήσεως narratur de Cajino, Gen. 4. v. 9. & deinceps.

52 *Clavem cognitionis.* τὴν κλεῖδα τ̃ γνώσεως. Id est, veram interpretationem Scripturę qua introitur in cognitionem Dei & consequenter in cælum. *Non introistis.* οὐκ εἰσ ἤλθατε. Scil. in cognitionem Dei & consequenter in cælum.

54 *Venari.* θηρεῦσαι. Id est, venando capere. Synecdoche membri metonymica.

OBSERVATIONES EX CAP. XI.

Ex v. 1. Ad officium doctoris Ecclesiæ pertinet, ut auditores suos doceat precari.

Ex v. 2. 3. & 4. Vide Observationes ex Matth. 6. v. 19. & seqq.

mnd. Ex v. 5. & sequentibus. In precibus requiritur perseverantia. Confer infrà, cap. 18. in principio, parabolam de vidua instante apud judicem.

dct. Ex v. 9. & sequentibus. Ad precandum moveri debemus tum mandato Dei: tum promissione exauditionis.

mnd. Ex v. 11. & sequentibus. In spe exauditionis confirmare nos debemus consideratione paterni favoris Dei erga
dct. nos, adhibita consideratione paternæ benevolentiæ hominum erga liberos suos.

mnd. Ex v. 13. In precibus potissimùm petere debemus ut Deus nobis det Spiritum sanctum. Absque hoc enim nec Deum glorificare, nec veram felicitatem consequi possumus. Est autem hoc intelligendum de incremento donorum Spiritus sanctinam alioqui rectè peccari non poterimus, nisi Spiritum sanctum jam habeamus: id est, dona aliqua illius, ac inprimis Fidem justificantem.

Ex v. 14. & sequentibus. Vide Observationes ex Matth. 12. v. 22. & sequentibus.

Ir. Ex v. 24. 25. & 26. Cavenda securitas carnalis: & contra
mnd. sollicitè adhærendum Domino. nam qui à Domino deficiunt, illorum conditio deterior redditur, quàm erat antequam ad Dominum venirent.

dct. Ex v. 27. & 28. Vera beatitudo non consistit in cognatione Christi carnali: sed in cognitione ejus spirituali: item in cognitione voluntatis Dei ex verbo ipsius, & in præstatione illius. Voluntas autem Dei est, ut credamus in Christum & sanctè vivamus. Matth. 17. v. 5. Joh. 6. v. 40. 1. Thess. 4. v. 3.

Ex v. 29. & sequentibus. Vide Observationes ex Matth. 12. v. 38. & deinceps.

mnd. Ex v. 33. Unusquisque cognitionem Dei quam adeptus est, liberaliter cum aliis communicare debet: inprimis verò ministri Verbi.

Ir. Ex v. 34. 35. & 36. Invidia omnis cavenda: & contrà be-
mnd. nignitati studendum.

Ex v. 39. & sequentibus. Vide Observationes ex Matth. 23. v. 13. & deinceps.

mag. Ex v. 52. Quum videmus hodie doctores Pontificios clavem

clavem cognitionis Dei populo Dei auferre, falsis nimirum interpretationib. verbum Dei corrumpendo: quod hodie inprimis ac præ cæteris faciunt Jesuitæ: non est quòd hac re tanquam nova aut insolita nimium perturbemur: quia videmus idem jam olim tempore Christi à doctoribus populi Dei factitatum esse. Confer Matth. 5. v. 21. & deinceps: ubi Christus corruptelas Legis Pharisaicas detegit ac reprehendit.

Ex v. 53 & 54. Si experiamur nobis imminere Jesuitas, & doctrinam sanam quam ex verbo Dei tradidimus, calumniari: consolemur nos exemplo Christi, cui idem à Scribis & Pharisæis accidit.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Toto hoc capite recitantur sermones à Domino habiti partim ad discipulos, partim ad turbam. Sunt autem numero quinque: quorum primus habitus fuit ad discipulos, usq; ad v. 13: secundus ad turbam, à v. 13. usq; ad 22: tertius iterum ad discipulos, à v. 22. usque ad 41: quartus iridem ad discipulos, à v. 41. usque ad 54: quintus denique ad turbam, à v. 54. ad finem usque capitis.

PARS PRIMA.

Sermo Domini ad discipulos.

INterea quum congregata essent multa millia populi, adeò ut alii alios conculcarent; cæpit dicere discipulis suis, Inprimis cavete vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

2 *Nihil autem opertum est quod non sit revelandum: nihilque occultum, quod non sit cognoscendum.*

3 *Propterea quæ in tenebris dixistis, in luce audientur: & quod in aurem loquuti estis in cubiculis, prædicabitur supra domos.*

4 *Dico autem vobis amicis meis, Ne timete* vobis *ab iis qui trucidant corpus, & postea non habent quod amplius faciant.*

5 *Premonstrabo autem vobis quem timeatis: timete eum qui*

postquam trucidarit, potestatem habet conjiciendi in gehennam: ita
inquè dico vobis, hunc timete.

6 *Nónne quinque passerculi veneunt asseriis duobus? Et tamen*
unus ex iis non est in oblivione apud Deum.

7 *Quinetiam pili capitis vestri omnes numerati sunt. ne igitur*
timete: multis passerculis praestatis.

8 *Dico autem vobis, Quisquis me confessus fuerit coram hominibus, Filius quoque hominis confitebitur eum coram Angelis*
Dei:

9 *Qui verò negaverit me in conspectu hominum, abnegabitur*
in conspectu Angelorum Dei.

10 *Et quisquis dicet quippiam in Filium hominis, ei remittetur: ei verò qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.*

11 *Quum autem adduxerint vos ad synagogas & ad magistratus ac potestates, ne solliciti estote quomodo aut quid pro defensione allaturi, aut quid dicturi sitis:*

12 *Spiritus enim sanctus docebit vos eo ipso momento, quae oporteat dicere.*

Primùm narratur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse. Occasionem Domino ad hunc sermonem ordiendum præbuit frequentia auditorum: ut significatur his verbis, *Interea quum congregata essent multa millia turbae, adeò ut alii alios conculcarent, cœpit dicere discipulis suis.* Sermo ipse membris constat septem. 1. Monet de cavenda falsa doctrina Pharisæorum, v. 1. 2. Præcipit ut veram doctrinam ex ipso cognitam, suo tempore prædicent publicè, v. 2. & 3. 3. Consolatur eos contra metum supplicii propter Evangelii prædicationem, v. 4. 6. & 7. 4. Monet timeant offendere Deum, v. 5. 5. Horratur ad Evangelii confessionem, & contrà dehortatur ab ejusdem abnegatione, v. 8. & 9. 6. Monet ut sibi caveant à malitiosa veritatis cœlestis damnatione, v. 10. 7. Monet ne sint solliciti, quum propter Evangelium ducentur ad magistratus, v. 11. & 12.

Falsam Pharisæorum doctrinam caveri monet duobus argumentis: primùm, quòd sit fermentum: id est quòd instar fermenti totam religionem inficiat atque corrumpat. Deinde, quòd sit hypocrisis: id est, quòd nil nisi hypo-

crisis

erisin ex se pariat, non autem verum Dei cultum. Veram Evangelii doctrinam privatim ex ipso cognitam, publicè suo tempore prædicari jubet argumento voluntatis Dei, quam significat his verbis, *Nihil autem opertum est quod non sit retegendum, neque occultum quod non sit cognoscendum.* Contra metum supplicii propter Evangelii confessionem consolatur eos duobus argumentis: primùm, quia per supplicium capitis non possit ipsis eripi vita æterna, v. 4: deinde quia pro ipsis excubet paterna providentia Dei, quæ non sit passura ut quicquam eis eveniat quod non faciat ad ipsorum salutem, v. 6. & 7. Hoc posterius argumentum confirmat à minori, prolatis exemplis duobus rerum viliorum, quas Deus providentiâ suâ curet: videlicet passerculorum & capillorum. Ad metum offensionis Dei hortatur argumento effecti noxii, videlicet cruciatuum æternorum in gehenna, v. 5. Quam hortationem per antithesin inserit. Ad confessionem Evangelii hortatur, v. 8. ab effectu utili, videlicet vita æterna: quam significat ex effecto destinato, videlicet confessione sua, h.e. testificatione coram Angelis de confessorū illorum constantia & dilectione erga se ubi elegans est ἀντανάκλασις in verbo *Confessionis* diversâ significatione repetito. nam alio sensu dicimur nos confiteri Christum coram hominibus: & alio ipse dicitur cōfiteri nos coram Angelis. Nos dicimur illum confiteri coram hominibus, quum profitemur atque testificamur, nos ipsum agnoscere pro unico salutis nostræ autore, quumq; doctrinam ab ipso nobis traditam arctè tenemus atque defendimus: at Christus dicitur confiteri nos coram Angelis, quum coram Angelis in judicio illo universali & coram toto mundo profitebitur se agnoscere nos pro veris ac fidelib. suis cultoribus, ac proinde se cœlestibus atq; æternis præmiis nos remunerari velle. Cōtrà ab Evangelii abnegatione dehortatur v. 9. agumento effecti noxii, videlicet supplicii æterni: quod similiter per effectum destinatum significat, simili adhibitâ ἀντανάκλασι. Nos enim dicimur negare Christum, si negemus doctrinam ab ipso traditā: ipse verò dicitur negare eos, de quibus in judicio illo universali profitebitur, quòd eos non nōrit, id est, non

agnoſcat pro veris ac fidelibus ſuiscultoribus, ſed potius habeat pro perfidis deſertoribus: ac proinde quòd eos velit commerito ſupplicio adjudicare. Malitioſam veritatis cæleſtis damnationem cavendam monet v. 10. argumento effectí noxii: quia futurum ſit ut peccatum illud nemini remittatur: quo ſignificat, certò punitum iri, idque æternis pœnis. Hujus autem peccati atrocitatem declarat à forma, quum ipſum nominat blaſphemiam in Spiritum ſanctum: hoc eſt, damnationem doctrinæ à Deo profectæ malitioſam, quæ ſcilicet ſit contra conſcientiam, de veritate illius à Spiritu ſancto perſuaſum: cujus tamen teſtimonio ex mera malitia atque petulantia contradicitur: quia homines vident, doctrinæ illius profeſſionem ſibi obſtare quò minùs à mundo poſſint conſequi exoptatas opes, honores ac voluptates. Contradicere autem Spiritui ſancto, horrenda atq; intoleranda blaſphemia eſt. Cæterùm hanc blaſphemiam illuſtrat antitheſi blaſphemiæ diſparatæ ſive diſſimilis, nempe blaſphemiæ in Filium hominis: hoc eſt, damnationis doctrinæ Chriſti ex ignorantia & errore judicii: quum quis damnabat doctrinam Chriſti propterea quòd offendebatur ſervili ipſius forma: cum qua non videbatur doctrina ipſius conſentire, qua ſe docebat eſſe Chriſtum: quum Judæi tunc vulgari hoc errore tenerentur, Chriſtum fore regem mundanum. Hanc igitur blaſphemiam alteri diſſimilem eſſe monet: quia illi poſſit contingere remiſſio: ſi ſcil. Deus alicujus miſertus, errorem illum de Chriſto adimeret & blaſphemiæ inde ortæ pœnitentiam daret. Sollicitudinem meditandi defenſionem doctrinæ cæleſtis coram judicibus, eximit eis promiſſione ſpeciali v. 12. ubi ait, *Spiritus enim ſanctus docebit vos eo ipſo momento quæ oporteat dicere.*

PARS SECUNDA.

Sermo Domini ad turbam.

13 *Dixit autem ei quidam è turba, Magiſter, dic fratri meo ut partiatur mecum hereditatem.*

14 *Ipſe verò dixit ei, Homo tu, quis me vobis judicem aut partitorem præfecit?*

15 *Dixit*

15 *Dixit igitur eis, Videte, & cavete ab avaritia, neque enim quum* bona *copiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis.*

16 *Dixit autem eis parabolam in hac verba, Hominis cujusdam divitis exuberarat regio:*

17 *Itaque ratiocinabatur apud se, dicens, Quid faciam? nec enim habeo ubi cogam fructus meos.*

18 *Et dixit, Hoc faciam: destruam horrea mea, & majora ædificabo: & illic cogam omnes fructus meos, & bona mea:*

19 *Et dicam animæ meæ; Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede, bibe, oblectare.*

20 *Dixit autem ei Deus; Demens, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ verò parasti, cujus erunt?*

21 *Ita est qui thesaurum congerit sibi, nec est in Deo dives.*

Primùm narratur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse. Occasionem Domino ad hunc sermonem præbuit importuna cujusdam è turba petitio, eaq; ex avaritia profecta: qua petebat ille ut Dominus imperaret fratri suo (petentis) ut secum partiretur hæreditatem, v. 13. Id quod Dominus recusavit, monendo non pertinere istud ad suam vocationem, seu non esse sibi à Deo mandatum, v. 14. Sermone ipso monet Dominus, cavendum ab avaritia: idq; duobus argumentis, primùm ab effecto inutili, deinde ab effecto pernitioso. Effectum inutile est, quòd avarus frustratur sua spe, dum corradit opes hac opinione ac spe, quòd inde vitam suam diu sit sustentaturus, voluptatesq; carnales inde percepturus. Hoc significat Dominus istis verbis v. 15. *Neque enim quum bona copiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis.* Hoc argumentum confirmat exemplo cujusdam divitis, v. 16. & deinceps: quo exemplo simul innuitur alterum argumentum. Significat enim Dominus, quod accidit isti diviti, ut præter opinionem ac spem suam non solùm hac vita illusq; voluptatibus subitò privaretur, sed etiam ad cruciatus æternos propter securitatem suam carnalem à malis spiritib. abriperetur: idem aliis quoque isti similibus, nempe avaris & securis, eventurum. Quod ipsum manifestiùs significat in exempli accommodatione v. 21. ubi ait: *Ita est* (id est, ita

accidere solet ei) *qui thesaurum congerit sibi, nec est dives in Deo.* Quibus verbis significat, divitem illum non fuisse divitem in Deo, id est, avaritiæ penitus fuisse immersum ac proinde à fiducia ac timore Dei aversum: unde factum sit ut animâ ejus repetiverint atq; abstulerint mali spiritus, inq; gehennam ad æternos cruciatus deportarint. Cæterùm exempli istius narratio exornata est elegante prosopopœia, qua tum dives ille, tum Deus, loquentes introducuntur.

PARS TERTIA.

Alter sermo Domini ad discipulos.

22 *Dixit autem discipulis suis, Propterea dico vobis, ne solliciti estote de anima vestra, quid edatis: neque de corpore, quæ vestitu induendi.*

23 *Anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus.*

24 *Considerate corvos, nec enim seminant, neque metunt; quibus non est cella neque horreum; & tamen Deus alit eos: quanto vos præstatis volucribus?*

25 *Quis autem ex vobis sollicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum?*

26 *Itaque si ne rem quid. minimam* præstare *potestis, quid de cæteris sollicitis estis?*

27 *Considerate lilia, quomodo crescant, non laborant, neque nent: dico autem vobis, Ne Solomon quidem in omni gloria sua amictus fuit ut unum illorum.*

28 *Quòd si herbam quæ hodie est in agro, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit: quanto magis vos, ô exiguæ fidei?*

29 *Vos igitur ne quærite quid edatis, aut quid bibituri: & ne suspenso animo estote.*

30 *Hæc enim omnia gentes mundi requirunt: Pater autem vester novit, vos istis indigere.*

31 *Quin potiùs quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

32 *Ne time ô parve grex: nam placuit Patri vestro dare vobis regnum illud.*

33 *Vendite*

33 *Venalia bona vestra, & date eleemosynam. Parate vobis crumenas quæ non veterascunt, thesaurum in cœlis qui nunquam deficiat: quo fur non appropinquat, neque tinea corrumpit.*

34 *Ubi enim est thesaurus vester, illic & cor vestrum erit.*

35 *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ:*

36 *Et vos similes estote iis qui exspectant dominum suum quando reversurus sit à nuptiis: ut quum venerit ac pulsaverit, statim aperiant ei,*

37 *Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes. amen dico vobis, præcinget se, & jubebit eos discumbere, & accedens ministrabit eis.*

38 *Et si venerit in secundâ vigiliâ, & si in tertia vigilia venerit, atque ita invenerit; beati sunt servi illi.*

39 *Hoc autem scitote, si sciret paterfamilias qua hora fur venturus sit; vigilaret, nec sineret perfodi domum suam.*

40 *Et vos igitur estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

Sermo hic tribus constat membris. Primùm dehortatur à sollicitudine circà victum & amictum, usque ad v. 33. Deinde hortatur ad eleemosynam, v. 33. & 34. Tum hortatur ad vigilantiam sive curam in faciendis officiis vocationis usque ad Domini adventũ, à v. 35. & deinceps. Dehortationis propositio continetur v. 22. Argumenta subjiciuntur numero septem: quorum alia ad victum & amictum simul, alia ad alterutrã tantùm pertinent. Primum argumentum continetur v. 23. quod pertinet ad utrumq;, victum scil. & amictum. *Anima plus est quàm alimentum, & corpus quam vestitus.* Syllogismus ita est:

Si Deus vobis dedit animam & corpus: dabit quoque alimentum & vestitum.

Atqui Deus dedit vobis animam & corpus.

Ergo dabit quoque alimentum & vestitum.

Propositio probatur à minori: Quia anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus. Minus autem probabile est, aliquem velle dare bonum præstantius, quàm vilius. Si quis igitur det præstantius, multo magis putandum quòd daturus sit & vilius. In textu sola ponitur approbatio propositionis: unde cætera suâ sponte

fluunt. Secundum argumentum continetur v. 24. & pertinet ad victum tantùm. Sententia est:

Si Deus alit corvos: multo magis alet vos.

At corvos Deus alit.

Multo magis igitur vos alet.

Propositio probatur à minori dupliciter: primùm quia corvi nec seminant, nec metunt: neq; cella eis est neque horreum: at vos seminatis & metitis: vobis item cellæ sunt & horrea. Minùs autem probabile est, alimenta suppetitura non seminanti & non metenti, item non habenti cellam & horreum: quàm seminanti & metenti, & cellã horreumq; habenti. Si igitur illi suppetent alimenta: multo magis isti. Deinde corvi sunt volucres, animantes scil. rationis expertes & minus præstantes: vos autem estis homines, conditi ad imaginem Dei, imò filii Dei, & longè volucribus præstantiores. Minùs autem probabile est Deũ alimenta suppediturum ignobiliori creaturæ quàm nobiliori. Si igitur illud facit, multo magis faciet istud. Tertium argumentum continetur v. 25. & 26. ac pertinet ad utrumque, alimentum & vestitum. Sollicitudo ista frustra à vobis suscipitur. Ergo stultè, ac proinde omittenda. Antecedens probatur à majori:

Si nemo ex vobis sollicitudine sua vel unum cubitum apponere potest ad staturam suam: Ergo multò minùs poteritis sollicitudine vestra procurare victum & amictum: & per consequens non debetis de istis esse solliciti.

Sed verum est antecedens. Igitur & consequens.

In textu præcedit assumptio v. 25: tum annectitur propositio, v. 26. Conclusio præcessit v. 22. Quartum argumentum continetur v. 27. & 28. & pertinet ad solum vestitum. Syllogismus:

Si Deus vestit lilia, vestiet & vos.

Sed Deus vestit lilia.

Ergo vos quoque vestiet.

Propositio probatur à minori bifariam. Primùm, quia lilia non laborant neque nent: vos autem laboratis & netis. Minùs autem probabile est, vestimenta habiturum eum qui non laborat neque net, quàm eum qui laborat & net.

net. Si igitur ille veſtimenta habiturus eſt: multò magis iſte. Deinde lilia ſunt herba agri, quæ hodie floret, cras in clibanum conjicitur: at vos eſtis homines conditi ad imaginem Dei, & filii Dei, prædeſtinati ad beatam immortalitatem, ac proinde liliis multo præſtatis. Minùs eſt autem probabile, Deum veſtire velle creaturam ignobiliorem quàm nobiliorem. Si igitur illud facit: multo magis faciet iſtud. Aſſumptio amplificatur collatione minoris, qua pulchritudo veſtitus liliorum anteponitur pulchritudini veſtitus Salomonis. Ubi concurrunt aliæ amplificationes duæ, quæ ſumptæ ſunt à majori: Salomon ne in omni quidem gloria ſua ita amictus fuit ut lilia, quaſi dicat: Ergo multò minùs quum indutus fuit veſte ſua quotidiana. Deinde, Non fuit amictus ut unum illorum, quaſi dicat, Multo minùs ut lilia ſingula. Conſequens cõnexi amplificatum eſt corollario, quo reprehendit Dominus diſcipulorum incredulitatem. Nam ſi verum eſt fore ut à Deo veſtiantur: conſequens eſt dignos eſſe reprehenſione, quum iſtud non credunt, nec providentiæ Dei confidunt. Cæterùm argumentis expoſitis ſubjicitur concluſio v. 29. Poſtea v. 30. additur argumentum quintum, itemq; ſextum. Quum ibi: *Hæc enim omnia gentes mundi requirunt.* Syllogiſmus:

Quod gentes mundi, id eſt homines expertes Spiritus Dei, ſollicitè requirunt: id non decet vos requirere, qui eſtis participes Spiritus Dei & per illum regenerati, eſtis filii Dei.

At victum & amictum gentes mundi ſollicitè requirunt.

Vos igitur illa requirere ſollicitè non debetis.

Sextum argumentum ibi: *Pater autem veſter novit, vos iſtis indigere.* Syllogiſmus:

Si pater veſter (nempe cæleſtis, id eſt, Deus) novit vos iſtis indigere: procurabit vobis illa, quippe quum hoc ſit ingenium patris, filiis procurare quibus indigent.

Sed verum antecedens.

Igitur & conſequens.

Septimum argumentum continetur v. 31. & 32.

Si Deo placuit dare vobis regnum illud cæleſte: multo magis

debit vobis bona terrestria, puta victum & amictum.
Sed verum antecedens.
Ergo & consequens.

Propositio probatur à minori: quia regnum cæleste est bonum longè præstantius quàm bona terrestria, quæ sunt tanquam additamenta quædam, v. 31. Assumptio amplificatur corollario, ibi: *Quin potiùs quærite regnum Dei.* Nam si Deus paratus est dare nobis regnum illud: officii nostri est, omni studio illud quærere, ut aliquando obtineamus: præsertim quũ bonis istis terrestribus longè præstet, tanquam principale scil. accessorio & additamento Conclusio similiter amplificata est corollario, ibi: *Ne timeas pusillus grex*: atque adeò illa est conclusio principalis.

Hactenus fuit dehortatio à sollicitudine circa victum & amictum: sequitur secundum hujus sermonis membrum, hortatio ad eleemosynam, virtutem scil. isti vitio contrariam. Propositio est: *Date eleemosynam*: id est, Date egenti proximo pecuniam aut alimenta aut vestes ad sese sustentandum. Hæc sententia amplificatur à minori, ubi ait, *Vendite bona vestra* (puta agros aut domos) *& date eleemosynam.* Nam si tunc quoq; divites eleemosynã dare debent quum pecuniâ aut alimentis aut vestibus non abundant: multo igitur magis debent dare, quum abundant. Et sic divites in Ecclesia Hierosolymitana vendiderunt agros, ut eleemosynam darent fratribus egentibus, Act. 2. v. 45. Hæc hortatio confirmatur ab effectu utili, videl. remuneratione Dei in cælo: quæ eleganter & accommodatè ad propositum, comparatur thesauro inexhausto, incorruptibili & furibus non obnoxio. Quibus epithetis tacitè perstringitur vanitas thesaurorum terrestrium: ut qui brevi possint exhauriri; aut si nihil inde ad usus nostros sumatur, rubigine exeduntur, vel à furibus surripiuntur. unde percipitur, non esse tantopere in istis thesauris congerendis elaborandum: sed potiùs in cælestibus illis: ac proinde eleemosynam largiter dandam. Quod ipsum Dominus concludit, tali syllogismo:

Ubi est thesaurus vester, illic & cor vestrum erit, id est, ipse debet.

Atqui

Aequi thesaurus vester est in cælo.

Ergo illic cor quoque vestrum esse debet: ac per consequens, debetis dare eleemosynam ut hoc modo thesaurum vestrum in cælo augeatis, nam qui miseretur pauperis Domino fœneratur.

Sequitur tertium sermonis hujus membrum, hortatio ad vigilantiam seu curam in faciendis officiis vocationis usq; dum adveniet Dominus, v. 35. & deinceps. Hæc hortatio illustratur similitudine servorum qui dominũ suum à nuptiis reversurum, follicitè & cum cura exspectant, lumbis præcinctis & lucernis accensis. Deinde exemplo patrisfamiliâs vigilantis propter adventum furis. Confirmatur autem ex effectis: videlicet effectu utili, si quis exemplũ vigilantis servi imitetur: & effectu inutili seu noxio, si quis exemplum vigilantis patrisfamiliâs non imitetur. Effectum utile significatur v. 37. his verbis, *Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, præcinget se, & jubebit eos discumbere, & accedens ministrabit eis.* Sententia est: Christus in suo adventu honorabit ac beabit cælesti gloria & gaudiis fideles suos servos, qui sedulò officiis suæ vocationis incubuerint. Effectum noxium significatur v. 39. ibi: *Nec sineret perfodi domum suam.* quibus verbis significatur: sicut damnum accipit patersfamiliâs nisi vigilet adveniente fure: ita damnum accepturos omnes eos qui non vigilaverint in faciendis officiis vocationis suæ.

PARS QUARTA.

Alius sermo Domini ad discipulos.

41 *Dixit autem ei Petrus, Domine, nobis dicis istam parabolam, an etiam omnibus?*

42 *Dixit autem Dominus, Quisnam est fidus dispensator ac prudens, quem dominus præficiet familiæ suo, ut in tempore det demensum?*

43 *Beatus servus ille quem dominus quum venerit, invenerit ita facientem.*

44 *Verè dico vobis, omnib. suis bonis præficiet eum.*

45 *Quòd si dixerit servus ille in corde suo, Tardat dominus meus adventum: cæperitq; verberare servos & ancillas, & edere & bibere & ebriari:*

46 *Veniet dominus servi illius eo die quo non exspectat, & ea hora quam non novit: & separabit eum, partemq; cum infidis assignabit.*

47 *Ille autem servus qui novit voluntatem domini sui, nec se comparavit, nec fecit ex voluntate ejus, cædetur multis plagis:*

48 *Qui vero non novit, & fecit digna plagis, cædetur plagis paucis. Porrò cuicunque multum datum est, multum repetetur ab eo: & apud quem deposuerunt multum, amplius reposcent ab eo.*

49 *Ignem veni mittere in terram, & quid volo si jam accensus est?*

50 *Sed baptismo oportet me baptizari: & quomodo constringor usquequo hoc perficiatur?*

51 *Putatis me advenisse ut pacem dem in terra? non, dico vobis, imò dissidium.*

52 *Erunt enim ex hoc tempore quinque in una domo dissidentes, tres adversus duos, & duo adversus tres.*

53 *Dissidebit pater adversus filium, & filius adversus patrem: mater adversus filiam, & filia adversus matrem: socrus adversus nurum suam, & nurus adversus socrum suam.*

Primùm indicatur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse narratur. Occasionem Domino ad hunc sermonem præbuit interrogatio Petri, v. 41. Quum enim ille scire cuperet, an sermo præcedens ad se cæterosq; discipulos solos pertineret, an etiam ad turbam: Dominus pergit, & dicit ea quæ propriè pertinebant ad discipulos, tanquam constitutos Ecclesiæ doctores. Hortatur igitur eos ad fidelem & prudentem atque sollicitam verbi administrationem: & hanc hortationem illustrat similitudine servi actiensis qui reliquo famulitio præfectus est, ut singulis in tempore det demensum: Confirmat autem ab effectis in utramque partem: nempe tum effecto utili, si quis in fungendo munere fidelem sese & prudentem atq; assiduum sive sedulum præstet: tum effecto noxio, si quis agat contraria. Effectum utile significatur v. 43. *Beatus servus ille &c.* & v. 44. *Verè dico vobis, Omnibus suis bonis præficiet eum.*

cum. Effectum noxium significatur v. 46. & quietè dominus servi illius, & separabit eum, partemq; cum infidelibus ei assignabit. Hujus effecti expositio amplificatur deinceps v. 47. & 48. collatione imparium: qua pœna infidelium servorum distribuitur ex gradibus in majorem & minorem: prout servi voluntatem domini vel norunt, vel ignorant: item prout cuique vel multum commissum est, vel parum. Atque hoc primum hujus sermonis membrum est, in reliqua parte à v. 49. & deinceps præmonet de persecutione oboritura præconibus & confessoribus Evangelij, illam primùm comparat igni, v. 49. Deinde significat tempus quo ignis ille sit accendendus, nempe post suam passionem: quam hic metaphoricè nominat baptismum: & amplificat ab effectu, videlicet angore animi sui, v. 50. Tertiò præmonitionem repetit, & antitheſi illustrat, v. 51. Quartò præmonitionem declarat & amplificat exemplis indefinitis, nempe enumeratione dissidentium, primùm à quantitate seu multitudine, v. 52: deinde à qualitate, nempe speciebus cognationis & affinitatis, v. 53.

PARS QUINTA.

Alius sermo Domini ad turbam.

54 *Dicebat autem & ad turbas, Quum videritis nubem exoriri ab occasu, statim dicitis, Imber venit: & ita fit.*

55 *Et quum Austrum flantem, dicitis, Æstus erit: & fit.*

56 *Hypocritæ, faciem terræ & cœli nostis explorare: hoc autem tempus quòd sit ut non exploretis?*

57 *Cur autem & per vos ipsos non judicatis quod justum est?*

58 *Enim verò dum abis cum adversario tuo ad magistratum, da operam in via ut liberaris ab eo: ne pertrahat te ad judicem, & judex te tradat exactori, & exactor conjiciat te in carcerem.*

59 *Dico tibi, non exibis illinc usquequò ultimum etiam minutum reddideris.*

In hoc sermone duo agit Dominus. Primò reprehendit turbam propter malitiam ac perversitatem in æsti-

manda sua doctrina & factis, usque ad v. 58. deinde dehortatur à pertinacia in causa mala. Perversitatem judicii turbæ declarat collatione similium, videlicet signorum tempestatis. Sicut enim sunt signa quædam tempestatis, unde judicium de tempestate fieri potest: ita quoque erunt signa quædam (in sacris Scripturis ostensa) adventus Christi in carnem: quæ signa manifestè in doctrina & factis Domini Jesu conspiciebantur. At Judæi agnoscebant quidem signa tempestatum, indeq; de instante tempestate rectè pronuntiabant: at signa adventus Christi conspicere nolebant, sed illa petulanter aut negligebant aut dissimulabant. Unde jam apparet illorum in judicando injustitia: ut qui de rebus similibus dissimile ferebant judicium. Protasis similitudinis exponitur v. 54. & 55. Apodosis, sed obliqua, v. 56. Recta apodosis erat: Sic quum videatis in me signa Messiæ, debebatis me pro Messia agnoscere. Sed loco hujus sententiæ ponitur reprehensio malitiæ Judæorum, qua fiebat ut ipsum pro Messia non agnoscerent: quantumvis signa Messiæ in illo manifestè apparerent. Id significat quum ait, *Hoc autem tempus quî fit ut non exploretis?* Intelligit enim tempus exhibendi Messiæ, jam olim à Prophetis prædictum & claris signis insignitum. Porrò reprehensionem istam repetit v. 58. apertè conquerens de injustitia judicii ipsorum. Atq; hoc primum hujus sermonis membrum est. Deinde v. 58. & 57. dehortatur à pertinacia in mala causa, & contrà hortatur ad placabilitatem & reconciliationem cum adversario: adhibito argumento ab effectu noxio, ibi: *Et judex te tradet exactori* &c.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 *Multa millia.* τῶν μυριάδων. Ad verb. Dena millia Numerus certus pro incerto. Synecdoche speciei. *Ut alii alios conculcarent.* ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους. Id est, ut alii aliorum pedes calcarent. Synecdoche integri.

2 *Nihilq; occultum.* καὶ κρυπτὸν. Post καὶ repetendum ἐδὲν ex priore membro.

5 *Utique*

5 *Utique.* ναί. Seu, *profectò.* πάντως, Omninò, planè. Asseverandi adverbium.

6 *Venerunt assariis duobus.* πολεῖται ἀσσαρίων δύο. Hic notandum signum interrogationis: & interrogatio innuit affirmationem indubitatam rei vulgo notæ. *Et tamen unus.* καὶ ἕν. Hæc sententia cum præcedente cohæret per enuntiatum discretum: quasi dicatur: Etsi quinque passerculi veneunt assariis duobus (hoc est, pretio minimo) tamen ne unus quidem ex iis in oblivione est apud Deum. Hinc jam percipitur, signum interrogationis non rectè ad finē hujus sententiæ adscribi. *Unus ex iis non est.* ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν. Pro, οὐδὲ ἓν ἐξ αὐτῶν ἐστιν, Ne unus quidem ex iis est, &c. Amplificatio ἀπὸ τῶν μᾶλλον. quasi dicat, Multò minùs aliqua illorum multitudo in oblivione est apud Deum. *Non est in oblivione apud Deum.* οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τῶν Θεοῦ. Ad verb. Non est oblivioni traditum coram Deo. Id est, Deus singulorum passerum recordatur & curam gerit. ἀνθρωποπαθεία.

7 *Numerati sunt.* ἠριθμήνται. Scil. à Deo. Id est, non secus Deo curæ sunt, quàm hominibus possessiones quas subinde numerant, ne quid ex illis amittant: ut pastor numerat oves suas. Metonymia effecti: nam ista numeratio ex cura rei numeratæ proficiscitur. *Etiam pili.* καὶ αἱ τρίχες. Quasi dicat, Quanto magis corpus vestrum seu vita vestra Deo curæ est? Hîc καὶ est nota minoris, τῶν ἧττον: id est, ejus quod minùs probabile est. *Multis passerculis præstatis.* πολλῶν στρουθίων διαφέρετε. Subaudienda conjunctio causalis.

8 *Filius quoque hominis.* καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Pro, κἀγώ, ego quoque.

9 *Abnegabitur.* ἀπαρνηθήσεται. Scil. ὑπ' ἐμοῦ, à me.

10 *Quippiam.* λόγον. Sermonem seu verbū. Hebraismus.

16 *Exuberarat.* εὐφόρησεν. Germanicum expressius, & Græco è regione respondens, *hatte wol getragen.*

18 *Fructus.* τὰ γενήματα. Quos versu præcedente nominarat τοὺς καρποὺς. Sic alibi, γενήματα ἀμπέλου, fructus vitis: ad verbum genimen, id est, quod genitum est ex vite.

20 *Animam tuam repetunt.* τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν. Pro, Anima tua repetitur. Genus loquendi impersonale.

Quanquam videtur hoc per synecdochen generis referendum ad malos spiritus, nam ut boni angeli animas piorum asportant in sinum Abrahæ, infrà 16.22. sic mali angeli animas impiorum haudubiè asportant in gehennam. Est autem impersonale hoc loquendi genus apud Hebræos usitatum: ut Proverb. 9. 11. *Adjicient tibi anni vitæ*: pro, Adjicientur tibi anni vitæ, scil. à Deo. Sic Job. 4. 19. Item 7. 3. *Cujus erunt.* τίνι ἔσται. Ad verb. Cui erunt? Id est, Cui cedent? quis habebit?

21 *Sibi.* ἑαυτῷ. Id est, ad usus suos. *In Deo.* εἰς Θεόν. Vel, *dives Deo.* casu ablativo. Pro, ὑπὸ Θεοῦ. Dicitur autem πλουτεῖν ὑπὸ Θεοῦ, dives esse Deo, qui præditus est salvifica cognitione, fiducia ac timore Dei. Porrò loquutionis hujus exemplum occurrit 1. Tim. 6. 18. ubi divites jubentur πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, divites esse operibus bonis.

24 *Quanto vos præstatis.* πόσῳ μᾶλλον &c. Redundat adverbium μᾶλλον. Et vicissim deficit conjunctio transitiva ἢ: pro, πόσῳ δὲ ὑμεῖς διαφέρετε, quanto autem vos præstatis volucribus? Quæ est approbatio propositionis omissæ, nempe hujus sententiæ: Si Deus alit corvos, multo magis alet vos.

25 *Cubitum unum.* πῆχυν ἕνα. Id est, Vel unum cubitum. Quasi dicat, Quanto minùs apponere aliquis potest cubitos plures?

26 *De cæteris.* περὶ τοῦ λοιποῦ. Videlicet de vitæ & corporis conservatione: de qua præsens disputatio à Domino instituta est. *Quid solliciti estis.* τί μεριμνᾶτε. Quum scilicet ista solicitudine nihil proficiatis.

27 *In omni gloria sua.* ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτ. Id est, splendore & magnificentia regali. Sic suprà 9. 31. Moses & Elias apud Dominum in monte, dicuntur conspecti ἐν δόξῃ, in gloria: hoc est, induti specie splendida & gloriosa. Sic 1. Cor. 15. 41. stellis attribuitur δόξα, gloria, id est, splendor seu claritas.

28 *Quanto magis vos.* πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς. Scilicet circumvestiet. Latinum obscurius, propter ὁμωνυμίαν pronominis *vos*: quod & nominativo & accusativo casu accipi potest.

29 *Vos*

29 *Vos igitur.* καὶ ὑμεῖς. Pro, ὑμεῖς δέ. Continetur enim hîc disputationis hujus conclusio. *Ne suspenso animo estote.* μὴ μετεωρίζεσθε. Verbũ μετεωρίζεσθαι significat in sublimi pendere. Atq; sic potest verti, *Ne pendete*, vel pleniùs, *Ne pendete animi.* Cicero ad Attic. lib. 4. epist. 14. *Ne diutiùs pendeas, palmam tulit*, Syrus interprete Tremellio sensum sic expressit, *Neque distrahatur cogitatio vestra in istis.*

30 *Hæc enim.* ταῦτα γάρ. Quæstioni modo conclusæ annectit novum argumentum. *Gentes mundi.* τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου. Id est, gentes huic mundo addictæ, mundanâ sapientiâ præditæ, expertes interim sapientiæ veræ quæ consistit in cognitione Dei. *Pater autem vester* &c. ὑμῶν δὲ ὁ πατὴρ &c. Antithesis postulabat talem sententiam: Vos autem agnoscitis Deum pro vestro patre. Tum annecteretur: Is verò novit, vos istis indigere. Unde nimirum efficitur, vos non debere de istis esse sollicitos: quum Deus ista suppeditare vobis velit, ut benignus pater, atque etiam suppeditare possit, ut omnipotens Deus. Ad quod significandum apud Matthæum additur epitheton ὁ οὐράνιος, id est, cælestis, Matth. 6. 32.

32 *Regnum illud.* τὴν βασιλείαν. Articulus vim habet demonstrandi, quo hîc notatur regnum illud cæleste.

33 *Et date eleemosynam.* καὶ δότε ἐλεημοσύνην. Post δότε videtur supplendum αὐτά, itemq; ante ἐλεημοσύνην præpositio εἰς: ut integra oratio sit, καὶ δότε αὐτὰ εἰς ἐλεημοσύνην, Et date ea in eleemosynam. Confer suprà 11. 41. & Matth. 19. 21.

36 *Exspectant dominum suum, quando reversurus sit.* προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν, πότε ἀναλύσῃ. Constructio qualis illa apud Terent. *Observa filium quid agat:* pro, Observa quid filius agat.

37 *Accedens.* παρελθὼν: Pro, περιζωσάμενος: Sicut infrà 17. 7.

46 *Eâ horâ quam* &c. ἐν ᾗ ὥρᾳ οὐ προσδοκᾷ &c. Pro, ἐν ᾗ ὥρᾳ ἐκείνῃ τοῦ ἡμέρου. *Separabit eũ.* διχοτομήσει αὐτόν. Vide scholia in Matth. 24. v. ult. *Cum infidis.* μετὰ τῶν ἀπίστων. Hi apud Matthæum dicuntur ὑποκριταί, hypocritæ.

47 *Cædetur multis plagis.* δαρήσεται πολλάς: Scil. πληγάς: subintellectâ etiam præpositione ἐν. Sic versu seq.

48 *Deposuerunt.* παρέθεντο. Pro, *deposita sunt.* Loquutio impersonalis: qualis suprà v. 20. Cæterùm παρέθεντο idem hic valet quod παρακατέθεντο. Et sic Paulus promiscuè utitur vocabulis παραθήκη & παρακαταθήκη, 2. Tim. 1. v. 12. & 14. *Reposcent ab eo.* αἰτήσουσιν αὐτόν. Pro, ἀπαιτήσουσιν ἀπ' αὐτοῦ: quo modo loquutus est suprà v. 20. Est autem rursus loquutio impersonalis, Hebræis usitata.

49 *Ignem.* πῦρ. Id est, prædicationem atque confessionem Evangelii, propter quam mundus exardescet odio & Evangelii præcones atque confessores hostiliter persequetur. Metonymia effecti metaphorica. nam per ignem metaphoricè significat persecutionem: ex persecutione autem intelligit metonymicè Evangelii confessionem & prædicationem. *Et quid volo si jam accensus est?* καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; Pro, Quàm velim ut jam accensus esset? Sunt enim verba optantis: ut percipitur ex subjecta correctione: *Sed baptismo oportet me baptizari,* scil. priusquam ignem illũ in terram mittam. *Baptismo oportet me baptizari.* Βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι. Id est, oportet me multa pati & tandem trucidari ut sanguine meo perfundar. Metaphora: qualis Matth. 20. v. 22. & 23. *Constringor.* συνέχομαι. Scil. animo: id est, angor. Sic Philip. 1. 23.

51 *Imò.* ἀλλ' ἤ. Aut ἤ redundat: aut subaudiendum οὐδέν. quasi dicatur, ἀλλ' οὐδὲν ἤ, Sed nihil quàm.

52 *Ex hoc tempore.* ἐκ τοῦ νῦν. Subauditur χρόνου.

53 *Dissidebit pater &c.* διαμερισθήσεται πατὴρ &c. Est hîc elegans antithesis relatorum, & ἐπάνοδος.

54 *Nubem.* τὴν νεφέλην. Pro, νεφέλην τινὰ, nubẽ aliquam. Articulus positus indefinitè. *Ab occasu.* ἀπὸ δυσμῶν. Græcum plurale est: quia triplex est occasus. *Venit.* ἔρχεται. Id est, paulo pòst venturus est.

55 *Et quum Austrum flantem.* καὶ ὅταν νότον πνεύοντα. Scilicet ἴδητε, videritis: ex versu præcedente. Pro, ἀκούσητε, audiveritis. Catachresis. *Æstus erit.* ὅτι καύσων ἔσται. Conjunctio ὅτι servit mimesi.

OBSER-

OBSERVATIONES EX CAP. XII.

Ex v. 1. Sicut tempore Christi cavenda fuit hypocrisis Pharisæorum, hypocrisis scil. tum doctrinæ tum vitæ ipsorum: sic hodie cavenda est hypocrisis doctorum Pontificiorum, ac inprimis Jesuitarum. *πρῶτ.*

Ex v. 2. & 3. Qui doctrinam Christianam in scholis ex præceptoribus didicerunt, suo tempore ad docendū Ecclesiam vocati, publicè illam prædicare debent. Ac proinde ut illo prædicandi munere rectè fungi possint, studio & priùs præceptores doctrinæ Christianæ audire debent. *πρῶτ.*

Ex v. 4. & sequentibus. Contra persecutionem mundi, pii Ecclesiæ doctores aliiq; doctrinæ Christianæ confessores, consolari se debent argumentis hoc loco à Domino suppeditatis: videlicet quòd tyranni non possint lædere ipsorū animam, quin illa servetur æternum: quòd protegantur providentiâ Dei, ne vel in corpore à tyrannis læsi possint pro ipsorum libidine: quòd constantia ipsorum in Christo confitendo in die judicii prædicabitur coram angelis Dei, & præmiis æternis afficietur. A Christo verò abnegando deterrere nos debet metus gehennæ & ignominiæ coram Angelis Dei. *πρῶτ.*

Ex v. 10. Gradus sunt peccatorum: & omnium maximum peccatum est, blasphemia in Spiritum sanctum. Quare Deus quotidie orandus, ut nos Spiritu suo regat ne in illud peccatum incidamus: quippe quod irremissibile est: idq; justissimo Dei judicio, qui non patitur se mendacii argui & veritatem suam pedib. conculcari; id quod faciunt qui in Spiritum sanctum blasphemant. *δεύτ.* *πρῶτ.*

Ex v. 11. & 12. Confessores veritatis cælestis præceptū hoc Domini observent: seque promissione hac illius consolentur & contra omnem metum erigant. *πρῶτ.* *πρῶτ.*

Ex v. 13. & 14. Ministris Verbi cavendum ne judicia civilia exerceant: quum ad hoc non sint vocati. *ἐν.*

Ex v. 15. & sequentibus. Notanda sunt argumenta contra avaritiam & fiduciam in bonis terrenis, & sollicitudinem in illis acquirendis: nempe quòd vita nemini constat *δεύτ.*

ex illis: & quòd pater noster cælestis nobis est procuraturus quantum satis est: & quòd sollicitudine ista nihil proficimus: & denique quòd ista sollicitudo tanquam Ethnica, hominem Christianum dedecet.

Ex v. 31. Qui bona terrena desiderant, inprimis cælestia quærant. Sic enim fiet, ut illa quoque tanquam ἐπιδόσεις μέρει consequantur.

Ex v. 32. Numerus Electorum, comparatus cum numero Reproborum, parvus est. Confer Matth. 7. v. 13. & 14. & 22. v. 14.

Ex eod. Vita æterna à beneplacito Dei tanquam primo fonte emanat.

Ex eod. Contra omnem metum erigere se debent Credentes spe vitæ æternæ ex promissione Dei certò potiundæ.

Ex v. 33. Divites eleemosynis dandis intenti esse debent.

Ex eodem versu & sequenti. Non terrenis, sed cælestibus divitiis acquirendis studendum est: quia terrenæ divitiæ fluxæ & caducæ: cælestes verò, constantes & æternæ.

Ex v. 35. & sequentibus. Adventus Domini ad judicium perpetua cum vigilantia & officii cura exspectandus est: ne incautos opprimat: idque inprimis ministris Verbi.

Ex v. 49. 51. 52. & 53. Quum videmus mundum propter Evangelii prædicationem & confessionem tumultuari: non est quod magnopere perturbemur aut de Evangelii veritate dubitemus: quia Christus prædixit, Evangelium fore veluti ignem cujus accensione mundus tumultuetur. Interim ipse hunc ignem ardere vult usq; dum ad judicium redeat.

Ex v. 49. & 50. inter se collatis. Evangelium post Christi demum mortem in toto mundo prædicari oportuit. Confer infrà ult. v. 46. & 47.

Ex v. 50. Consideranda hic est causa cur Christus supplicium quo se afficiendum nôrat, tantopere exhorruerit: ut percipitur ex illis verbis, *Et quomodo constringor* &c. Sicut & ex agone illo quem sustinuit in horto: quum supplicii tempus

tempus instare sentiret. Causa fuit non tam metus cruciatuum corporalium, quàm metus cruciatuum spiritualium: quia sciebat oportere se in cruce gustare iram Dei adversus peccata electorum, ac proinde sentire cruciatus infernales: quales cruciatus reprobi in gehenna in æternum sensuri sunt. Quales quidem cruciatus Dominum in cruce sensisse, percipitur ex illa ejus voce, *Deus mi, Deus mi, quare dereliqui me?* Hinc nos, quotquot verè in Christum credimus, certi sumus: nos tales cruciatus nunquam sensuros, quia Christus illos pro nobis sensit: sed potiùs per mortem corporalem in vitam æternam & sensum plenum paternæ favoris Dei ingressuros. *vap.*

Ex v. 54. & sequentibus. Tempus gratiæ, quum scilicet Deus verbum suum prædicari nobis curat, gratis animis agnoscere & prudenter eo ad salutem nostram uti debemus. Confer infrà 19. 44. *viii.*

Ex v. 58. & 59. Cavenda pertinacia: & contrà studendum placabilitati. *ix. xuii.*

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Dominus hortatur auditores suos ad resipiscentiam & studium pietatis: sanat mulierem incurvam: proponit duas parabolas, unam de grano sinapis, alteram de fermento: iterum hortatur ad resipiscentiam & studium pietatis: postremò exprobrat Hierosolymitanis incredulitatem. Sunt igitur quinque capitis partes.

PRIMA PARS.

Dominus hortatur auditores suos ad resipiscentiam & studium pietatis.

1 *ADfuerunt autem eo ipso tempore quidam annuntiantes ei de Galilæa, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis.*

2 *Et respondens Jesus dixit eis, Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quod talia passi sint?*

3 *Non, dico vobis: imò, nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.*

4 *Aut illos decem & octo, supra quos cecidit turris ad fluvium Siloam, & trucidavit eos, putatis debitores fuisse præ omnibus hominibus qui habitant Hierosolymæ?*

5 *Non, dico vobis: imò, nisi resipiscetis, omnes itidem peribitis.*

6 *Dixit autem hanc parabolam, Ficum habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in ea, sed non invenit.*

7 *Dixit autem vinitori; Ecce, tres* jam *annos venio quærens fructum in ficu ista, sed non invenio: exscinde eam: quorsum etiam terram inutilem reddit?*

8 *Ille verò respondens dixit ei; Domine, sine eam etiam hunc annum, usquequo fodiam circum eam, & apposuero stercus:*

9 *Et si quidem tulerit fructum, sines; sin minus, in futuro exscindes eam.*

Primùm narratur hortationis hujus occasio, deinde causa impulsiva, tum hortatio ipsa. Occasionem Domino ad hanc hortationem faciendam præbuit nuntium de crudelitate Pilati quam exercuerat in quosdam Galilæos sacrificantes, v. 1. Causa impulsiva quæ Dominum movit ad hanc hortationem faciendam, fuit falsum judicium eorum qui nuntium illud ipsi retulerant, quasi scil. Galilæi illi præ cæteris peccatores fuissent, h. e. quasi Deus crudelitatem illam Pilato ideo permisisset ut per illam istos puniret propter singularia peccata v. 2. Hortatio ipsa primùm confirmatur, deinde illustratur. Confirmatur argumento ab effectu noxio, videlicet interitu simili qualis erat istorum Galilæorum, v. 3. Illustratur duobus modis: primùm exemplo, deinde parabolâ. Exemplum est de octodecim Hierosolymitanis occisis per casum turris, v. 4. & 5. Parabola est de ficu sterili cui paterfamiliâs, per triennium frustra exspectato fructu, quartum adhuc annum concessit antequam exscinderet. Qua parabola simul commendatur bonitas atque lenitas Dei in concedendo impiis resipiscentiæ spatio, v. 6. & deinceps.

PARS SECUNDA.

Sanat mulierem incurvam.

10 *Docebat autem in quadam synagoga Sabbatho.*

11 *Et*

11 *Et ecce, mulier erat habens spiritum infirmitatis annos* jam *decem & octo: erat autem incurvata, nec poterat sese recurvare prorsus.*

12 *Ipsam autem quum vidisset Jesus, advocavit, & dixit ei; Mulier, soluta es ab infirmitate tua.*

13 *Et imposuit ei manus: et illico surrecta est, glorificabat Deum.*

14 *Respondens autem præfectus synagogæ, indignans quòd Sabbatho sanasset Jesus, dixit turbæ; Sex dies sunt quibus operari oportet: in eis ergo diebus venite & sanamini, & non die Sabbathi.*

15 *Respondit ergo ei Dominus, & dixit; Hypocrita, unusquisque vestrum Sabbatho nonne solvit bovem suum aut asinum à præsepi, & ducit aquatum?*

16 *Hanc autem filiam Abrahæ, quam vinxit Satanas ecce decem & octo annos, non oportuit à vinculo isto solvi die Sabbathi?*

17 *Et quum hæc diceret, pudore afficiebantur omnes qui opponebant ei: sed tota turba gaudebat super omnibus gloriosis rebus quæ fiebant ab eo.*

Primùm indicatur locus, 2 tempus, 3 occasio, 4 causa impulsiva, 5 præparatio seu effectum destinatum, 6 modus agendi, 7 miraculum ipsum, 8 eventa.

Locus ubi hoc miraculum factum est, fuit quædam synagoga, v. 10. Tempus quo factum est, fuit Sabbathum, ibid. Occasio Domino ad hoc miraculum præbita, fuit præsentia istius mulieris, v. 11. Causa quæ Dominum ad illam sanandam impulit, fuit ejus miseria: quæ narratur eodem versu 11. Præparatio qua tũ ipsa mulier, tum spectatores ad hoc miraculum fuerunt præparati, nempe in spem illius erecti, fuit advocatio mulieris, quòd Jesus mulierem ad se vocavit, v. 12. idque clarâ voce, ut videretur innui voce Græcâ, προσεφώνησεν: pro quo aliàs dicitur, προσεκάλεσατο. Modus agendi consistit in duobus, in pronuntiato Domini, v. 12. & in gestu, v. 13. Miraculum ipsum narratur eod. v. 13. his verbis: *Et illico surrecta est.* Eventa, alia ex aliis ordine consecuta, narrantur quinque. 1. Mulier sanata glorificabat Deum: id est, gratias illi agebat pro accepto beneficio, celebrãs ipsius bonitatẽ atq; misericordiã, v. 13. 2. Præfectus synagogæ indignatus fuit quòd Dominus sanasset illã sabbatho, ac proinde turbę præcepit

ut posthac non amplius in sabbatho sese sanandos offerrent: non ausus videlicet Dominum ipsum apertè reprehendere, sed interim obliquè (hypocritarum more) ipsum insimulans violati sabbathi: v. 14. 3. Dominus innocentiam suam contra tacitam illam & obliquam præfecti criminationem defendit, demonstrans se rectè & laudabiliter egisse. Id quod demonstrat à comparatis, ratiocinando à minori, in hunc modum:

Si licet vobis in sabbatho solvere bovem aut asinam à præsepi, & ducere aquatum: multo magis mihi licuit in Sabbatho solvere hanc mulierem à vinculo Satanæ.

At illud vobis licet.

Ergo istud multo magis licuit mihi.

Assumptio confirmatur testimonio opinionis sive sententiæ Judæorum: quæ ipsa ostenditur ex factis: quia solebant ita facere, neque putabant se eo pacto sabbathum violare. Propositio confirmatur à minori: idq; bifariam. Primùm ubi mulierem istam nominat *filiam Abrahæ*. Minùs enim probabile est licere (saltem in speciem) violare sabbathum propter jumentum aliquod, quàm propter hominem, & quidem hominem pertinentem ad populum Dei. Quare si illud licitum putatur: multo magis istud licitum judicandum fuerit. Atq; hæc una ratio minoris est: altera notatur his verbis, *Quam vinxerat Satanas ecce decem & octo annos*. Quasi dicat: Non est vobis tanta causa sabbatho solvendi jumenta ad aquandum: quanta mihi fuit sabbatho solvendi hanc à vinculo invaletudinis ad sanandum: quia jumenta unicum in hebdomade diem cogerentur sitim pati, si sabbatho non ducerentur aquatum: at ista totos octodecim annos invaletudinem passa fuit ex vinculo isto Satanæ. Minùs autem probabile est, licere sabbathum violare propter causam minoris momenti, quàm propter causam graviorem. Quare si illud licet: multò magis hoc. 4. Defensione ista Domini pudore affecti fuerũt omnes, qui se ei opponebant, v. 17. Ubi simul perspicitur, præfectum synagogę dum Dominum violati sabbathi obliquè insimularet, suos applausores habuisse. 5. Tota turba gaudebat super omnibus gloriosis rebus quæ fiebant ab eo, v. eod.

PARS

PARS TERTIA.

Proponit duas parabolas: unam de grano sinapis, alteram de fermento.

18 *Dixit autem* Jesus, *Cui rei similis est regnum Dei? & cui rei illud assimilabo?*

19 *Simile est grano sinapis, quod acceptum quispiam jecit in hortum suum: & crevit, & evasit in arborem magnam, & volucres cæli nidulati sunt in ejus ramis.*

20 *Et rursum dixit, Cui rei assimilabo regnum Dei?*

21 *Simile est fermento quod acceptum mulier recondidit in farinæ satis tribus, usquequo fermentaretur tota.*

22 *Peragrabat igitur singulas urbes & vicos, docens, & iter faciens Hierosolymam.*

Utrique parabolæ sua præmittitur accessio, qua auditores excitabantur ad attentionem: deinde ambabus adjicitur appendix de gestis similibus. Prioris parabolæ accessio habetur v. 18. ibi. *Cui rei simile est* &c. Elegans & Hebræis usitatum interrogandi genus, quod innuit cupiditatem docendi. Parabola ipsa continetur v. 19. Cujus sententia videtur esse hæc: Verbum Evangelii, licet judicio carnis simile grano sinapis, hoc est, vile, nullíúsue pretii aut efficaciæ videatur: tamen satum in corda Electorum, excrescere in cognitionē Dei amplam & salvificam. Accessio posterioris parabolæ habetur v. 20. similis priori. Parabola ipsa continetur v. 21. Cujus sententia videtur esse hæc: Sicut fermento massa tota fermentatur: sic verbo Dei in cordibus electorum recondito, totum hominem immutari & ex insipido sapidum reddi, hoc est, placentem Deo per fidem & studium pietatis, quum antea ei displiceret propter fidei & pietatis defectum. Appendix adjicitur v. 22. de factis Domini similibus: quòd scil. sicut in illa synagoga ubi incurvam mulierem sanaverat, turbam docuit: itidem fecerit in singulis urbibus & vicis, quas iter faciens Hierosolymam peragravit. Qua narratiuncula studium Domini in fungendo munere Prophetico commendatur, illiusq; studii causa impulsiua connotatur, videlicet quòd sciret parum sibi temporis restare ad po-

pulsum docendum: quum brevi esset Hierosolymis occidendus: hanc enim ob causam Hierosolymam tunc proficiscebatur: utriquet ex collatione v. 33.

PARS QUARTA.

Iterum hortatur ad resipiscentiam & studium pietatis.

23 *Dixit autem quidam Domine, num pauci sunt qui salvantur? Ipse vero dixit ad eos,*

24 *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, studebunt intrare, & non poterunt.*

25 *Ex quo videlicet surrexerit paterfamilias, & occluserit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis: qui respondens dicet vobis, Nescio unde vos sitis.*

26 *Tunc incipietis dicere, Edimus in tuo conspectu, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.*

27 *Et dicet, Dico vobis, nescio unde vos sitis: discedite a me omnes qui facitis operam iniquitati.*

28 *Illic erit fletus & stridor dentium, quum videritis Abrahamum & Isaacum & Jacobum & omnes Prophetas in regno Dei, vosmet autem ejectos foras.*

29 *Et ubi venient ab Oriente et Occidente, & Borea & Austro, & discumbent in regno Dei.*

30 *Et ecce, sunt ultimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt ultimi.*

Primùm narratur hortationis hujus occasio, deinde hortatio ipsa. Occasionem Domino ad hanc hortationem instituendam præbuit quæstio cujusdam de numero salvandorum, v. 23. Ad quam quidem quæstionem Dominus non respondet directè: sed ex occasione monet, unumquemque sollicitum potius esse debere ut ipse sit in numero salvandorum (quod nimirum super veram resipiscentiam & studium pietatis) quàm ut scire desideret, quantus sit numerus salvandorum, magnusne an parvus. Interim tamen in ipsa hortatione innuit, numerum salvandorum esse parvum: quatenus portam per quam in cælum introitur, nominat angustam. Plerique enim malunt ingredi per portam latam, quàm per angustam. Hortatio ipsa primùm

primùm proponitur, deinde confirmatur. Proponitur illustrata simili, ibi: *Contendite intrare per angustam portam*, v. 24. quasi dicat: Sicut difficile ac molestum est intrare in domum aliqu im per portam angustam: sic etiam difficile & carni molestum est intrare in cælum, domum illam patris cælestis, per resipiscentiam & studium pietatis. Interim tamen quum nulla alia porta in cælum pateat: per illam omnino intrandum est omnib. illis qui intrare cupiunt. Confirmatur hæc hortatio ab effectu pernicioso, nisi quis ei obtemperet. Effectus ille est exclusio è cælo: quæ significatur ibid. his verbis: *Quia multi, dico vobis, studebunt intrare* (scil. in cælum) *& non poterunt*. Quibus verbis innuit. multo maximam hominum partem manere impœnitentes, nec velle in cælum intrare per angustam portam: unde futurum sit, ut intrare in illud non possint, sed in die judicii à sese tanquam patrefamilias inde excludantur: quod ipsum v. 25. ἀπ' ἀκριβείας pluribus verbis exponit atq; declarat. Cæterùm ista exclusio amplificatur expositione causæ corrumpentis v. 26. quòd impœnitentes illi in die judicii dicturi sint ei, *Edimus in tui conspectu* &c. Id est, Familiariter tecum versati fuimus in mũdo: itaque confidimus te nunc quoque amicum te nobis exhibiturum, ac proinde è domo tua non exclusurum. Hęc causa corrumpens removetur tanquam inefficax, vers. 27. & contrà affertur causa efficax exclusionis, videlicet injustitia seu impietas illorum propter quã excludi merentur. Postea exclusio ista amplificatur tribus modis, primùm ab effectis, ubi ait: *Illic erit fletus & stridor dentium*, v. 28. Deinde à contrario, videlicet felicitate piorum in cælo: & quidem non solùm Judæorum, ut Abrahami, Isaaci, Jacobi & omnium Prophetarũ, v. 28. sed etiam gentilium: qui venturi sunt ab omnib. mundi plagis, v. 29. Postremò ab inopinato eventu, quòd scil è cælo excludendi sint quidam qui nunc videntur esse primi: & contrà admittendi qui nunc videntur esse ultimi. Per primos autem intelligit hypocritas, ac inprimis Scribas & Pharisæos: per ultimos verò, peccatores manifestarios, quales tum erant publicani & meretrices. Confer Matth. 21. v. 31.

Item parabolam de operariis in vineam conductis Matth. 20. in principio: collatam cum versu ultimo capitis 19. & cum ipsa parabolæ apodosi, v. 16. Unde percipitur, Dominum nomine primorũ intellexisse justitiarios illos qui gloriantur de multitudine bonorum suorum operum, & illis condignam mercedẽ à patrefamiliâs postulant; quum ultimi illi qui per totam fere vitam otiosè & securè vixerunt, nihil boni operis facientes, denario sibi à patrefamiliâs dato bene contenti sint.

PARS QUINTA.

Exprobrat Hierosolymitanis incredulitatem.

31 *Eo ipso die accesserunt quidam Pharisæi, dicentes ei; Exi, & abi hinc: nam Herodes vult te trucidare.*

32 *Tunc ait eis, Profectis dicite vulpi illi; Ecce, ejicio dæmonia, & sanationes peragO hodie & cras, & tertio die consummor.*

33 *Verumtamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere: quia fieri nõ potest ut Propheta pereat extra Hierosolymam.*

34 *Hierusalem, Hierusalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pullicem suam sub alas? Sed noluisti.*

35 *Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta. Amen autem dico vobis, non videbitis me, usquedum veneritis* tempus *quum dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Primùm narratur exprobrationis hujus occasio, deinde exprobratio ipsa, postremò denuntiatio pœnæ. Occasionem Domino ad hanc exprobrationem præbuit mentio sui supplicii post paucos dies Hierosolymis subeundi. Hæc autem ipsa supplicii mentio illustratur è sua occasione, videlicet monitione Pharisæorum qua Dominum monebant, ut è Galilæa abiret, ad cavendum periculum sibi imminens ab Herode v. 31. Quibus Dominus ita respondet, ut significet, se non metuere Herodem: sed intrepidè officium suum Propheticum in Galilæa peracturum, quamdiu per vocationem divinam poterit: quod quidem non diuturnum fore significat: postea se ultrò è Galilæa Hierosolymam abiturum, non ut supplicium ab Herode inferendum

rendum decimet: sed ut illud sponte subeat Hierosolymis sibi inferendum ab ipsis Hierosolymitanis: contra quorum crudelitatem sese consolatur exemplo cæterorum Prophetarum, quos Deus ante id tempus ad illos miserat, v. 32. & 33. eâdemq; opera crudelitatem istorum amplificat. Exprobratio ipsa continetur, v. 34. illustrata & amplificata simili, quo studium suum in salvandis per suam prædicationem Hierosolymitanis confert studio gallinæ pullos suos à raptu milvii servantis per collectionem sub alas. Denuntiatio pœnæ subjicitur v. ult. ubi duo illis minatur desertionem Dei urbisque desolationem, & vindictam æternam in adventu suo ad judicium. Atque ita simul se contra instantem passionem consolatur spe beatæ resurrectionis & exaltationis in cælo.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

4 *Turris ad* fluvium *Siloam.* ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ. Scil. ποταμῷ. Pro. ὁ πύργος ὁ ὢν ἐπὶ τῆς Σιλωὰμ κείμενος, turris ad Siloam fluvium sita. Vox σιλωὰμ corrupta est ex Hebræa שִׁלֹחַ Schilóach: sic enim iste fluvius sive rivus nominatur Esa. 8. v. 6. Et exponitur ἀπεσταλμένος, id est, missus, Joh. 9. v. 7. Fuit fons sensim fluens per urbem Hierosolymam: ut constat ex Esa. 8. v. 6. & Nehem. 2. v. 13. *Debitores.* ὀφειλέται. Id est, peccatores: ut nominavit versu superiore. Metaphora, nam ut debitores pecuniam creditam, ita peccatores pœnam debent.

6 *Sed non.* ἀλλ' οὐχ. Pro. ἀλλ' οὐχ Opponuntur enim diversa.

7 *Tres* jam *annos venio.* τρία ἔτη ἔρχομαι. In Græco subauditur præpositio κατά, in Latino *per.* Et sic loquitur Cicero lib. 1. de Offic. in principio: Quanquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, abundare oportet præceptis, &c. *Inutilem reddit.* καταργεῖ. Otiosum reddit, vel ignavem reddit: id est, sterilem. Metaphora.

8 *Etiam hunc annum.* καὶ τοῦτο τὸ ἔτος. In Græco subauditur præpositio κατά, in Latino *per*: ut modò v. 7. Sensus est, Sine eam stare per hunc etiam annum. *Apposuero stercus.* βάλω κοπρίαν. Hoc Latini uno verbo nominant stercorare.

9 *In futuro.* εἰς τὸ μέλλον. Pro, ἐν τῷ μέλλοντι. Scil. χρόνῳ. Enallage Hebraica.

10 *Sabbatho.* ἐν τοῖς σάββασι. Pro, ἐν τινι σαββάτῳ. Enallage numeri: ut planum est tum ex reipsa, tum ex collatione versus 14.

11 *Aderat.* ἦν. Pro, πᾶν. *Spiritum invaletudinis,* πνεῦμα ἀσθενείας. Id est, Spiritum impurum qui ipsius valetudinem lædebat, reddendo ipsam incutivam: ut mox Evangelista declarat. Genitivus effecti. Nisi potiùs dictum hoc est per hypallagen, pro, ἀσθένειαν πνεύματος, invaletudinem spiritus, id est, à spiritu impuro allatam: quippe quũ non narretur hîc, spiritum ex illa ejectum esse. *Annos jam decem,* ἤδη ἔτη. Genus loquendi, quale suprà v. 7. & 8.

12 *Soluta es ab invaletudine.* ἀπολέλυσαι τῆς ἀσθενείας. Pro, ἀπολέλυσαι ἀπὸ τῆς ἀσθενείας. Hellenismus.

14 *Sanamini.* θεραπεύεσθε. Vel, *curamini*, ut vetus habet: quæ propria verbi significatio videtur hîc locum habere, quum iste hypocrita nõn videatur agnoviſſe miraculum. Est autem significatio verbi reciproca. q. d Sinite vos curare: vel, præbete vos curandos.

15 *Hypocrita.* ὑποκριτά. Syrus, נסב באפא nasséb bapé, id est, *assumens vultum* qua periphrasi simulatores isti pietatis pulchrè depinguntur: quòd quasi larvam sanctimoniæ induant, seseq; transforment, ut alii appareant quàm revera sunt. *Ducit aquatum.* ἀπαγαγὼν ποτίζει. Hypallage; pro, ἀπάγει καὶ ποτίζει. Potest tamen etiam verti illo verborum ordine manente. *Et abductã potum præbet.*

16 *Filiam Abrahæ.* θυγατέρα Ἀβραάμ. Id est, mulierem ortam ex Abrahamo. Synecdoche speciei, usitata Scripturæ. Sic autem appellat propter ejus gentis præstantiam, ut quam Deus singulari gratiâ complectebatur propter fœdus cum Abrahamo pactum. Nisi potiùs existimandum, sic appellare respectu fidei, aut saltem electionis divinæ, quòd scilicet mulier illa incederet aut incessura esset vestigiis fidei Abrahæ: quo sensu filium Abrahæ appellat Zacchæum, infrà 19. 9. Sed prior expositio videtur huic loco accommodatior, quia probabile est Dominum argumentum ducere à re nota & confessa. *Vinxit.* ἔδησεν.

Hoc

Hoc est, vinctam tenuit. *Ecce, ἰδοὺ* interjectio admirantis & ad attentionem excitantis, atque etiam commiserantis. quasi dicat, Nónne dolendum est, tantam esse Satanæ potentiam, ut permittente Deo potuerit tanto jam tempore vexare mulierem è tam sancto vito & tam sancta gente ortam?

19 *Jecit.* Ἔβαλεν. Id est, sevit, plantavit.

24 *Dico vobis.* λέγω ὑμῖν. Affeveratio per ἀμὴν λέγω sive πάλιν δὲ inserta.

25 *Ex quo.* Ἐξ οὗ. Scilicet χρόνου, tempore. *Nescio unde vos sitis, οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ.* Ad verb. Nescio vos unde sitis. Sic paulo pòst v. 27.

27 *Qui datis operam injustitiæ, οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας.* Ad verb. Operarii injustitiæ.

28 *Expelli.* ἐκβαλλομένους. Pro, ἐκβάλλεσθαι. Hellenismus.

29 *Tunc venient ab Oriente.* καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν. Loquutio impersonalis, subaudito tamen nomine ἄνθρωποι, aut pronomine τινες. Hac loquendi formâ etiam Latini utuntur: ut Cicero pro lege Manilia de Medea: *Quam prædicant in fuga fratris sui membra dissipavisse. Ab Oriente & Occidente,* ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν. In Latino subauditur, *sole:* hoc est, ab ea mundi plaga ubi oritur vel occidit sol. Græca verò nomina substantiva sunt pluralis numeri: quorum prius significat *exortus*, alterum *occasus*: propter triplicem solis: ortum, itemq; occasum: videlicet solstitialem, æquinoctialem & brumalem: ut tradit Aristoteles in libro de Mundo. Reperitur tamen & singularis numerus: ut Apoc. 21. 13. ἀπ' ἀνατολῆς Matth. 2. 2. ἐν τῇ ἀνατολῇ.

32 *Dicite.* εἴπατε. Scilicet verbis meis. *Vulpi illi.* τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ. Elegans, quanquam vulgaris, metaphora: qua notat Dominus vulpinos & rectos atque fallaces Herodis mores. Sic Paulus Neronem leonem vocat, propter crudelitatem & truculentiam, 2. Tim. 4. 17. *Ejicio.* ἐκβάλλω. Pro, Ejiciam, &c. Notatur actus quasi continuus. *Hodie & cras, σήμερον καὶ αὔριον.* Id est, exiguo adhuc temporis spatio, per paucos adhuc dies. Synecdoche speciei. Sic mox. *Certo die*, id est, post breve tempus. Similiter usurpantur ista verba, *Heri & nudius tertius*, Gen. 31. v. 2. & 5 pro Tempore

nuper præterito. *Consummor.* τελειοῦμαι. Syrus habet נתגמר mescheteme allé, נתגמר, id est, compleor: h. e. occidor. Mors enim extrema pars fuit muneris Christi in carne mortali peragendi.

33 *Fieri non potest.* οὐκ ἐνδέχεται. Non contingit. nam τὸ ἐνδεχόμενον contingens vocant. Verbum impersonale: cui supplendum videtur nomen πρᾶγμα: quasi dicatur, τὸ πρᾶγμα οὐκ ἐνδέχεται: res non capit hoc, seu (ut Latini loquuntur) non admittit hoc: seu, Non cadit hoc in rem.

34 *Sub alas.* ὑπὸ τὰς πτέρυγας. Hic apponendum est signum interrogationis. Tum subjicitur nova sententia, isti opposita, & absq; interrogationis σημειωσει enuntiata, nempe: ἠθελήσατε, sed noluistis.

35 *Domus vestra.* ὁ οἶκος ὑμῶν. Id est, templum & urbs. Usque dum venerit &c. ἕως ἂν ἔλθῃ &c. Vide Matth. 23. v. 39.

OBSERVATIONES EX CAP. XIII.

1 v. Ex prima parte. Quum videmus, proximum insigni aliqua calamitate affici: non debemus inde colligere, illum præ aliis peccatorem esse, & singularibus peccatis calamitatē illam commeruisse: sed debemus existimare, proponi nobis exemplum justæ iræ Dei adversus peccata hominum: ut illo conspecto invitemur ad seriam pœnitentiam, atq; ita similes calamitates effugiamus. Confer Joh. 9. judicium discipulorum de cæco nato.

1 v. Ex parabola de ficu. Cavendum ne pœnitentiam procrastinemus. nam etsi Deus impœnitentibus ad tempus connivet, & impœnitentiam eorum patienter fert: tamen tandem impœnitentes punit, idq; eò gravius quo diutius illi patientiâ ipsius abusi fuerunt. Confer Rom. 2. v. 4. & 5. item Sirach 5. v. 8. & 9.

16 v. Ex historia de sanata muliere incurva. Sicut Christus mulierem illam solvit à vinculo Satanæ corporali, id est, qua ille corpus ipsius vinxerat: ita etiam solvit omnes qui in ipsum credunt, à vinculo Satanæ spirituali, hoc est, peccato: quo corda hominum vincta tenentur, ne libere possint agere quæ Deus ipsis præcepit. Sicut ait Johannes,

Filium Dei patefactum esse ut dissolveret opera diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. Et ipse Dominus sub tẽpus passionis suæ dicebat, *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*, Johan. 12. v. 32. Et Paulus Rom. ult. v. ult. *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò*. Et in Apocalypsi narratur; *Satanam ab Angelo vinctum esse ad annos mille*, Apoc. 20. v. 2. Item, *diabolum conjectum esse in stagnum ignis & sulphuris*, eod. cap. v. 10.

Ex reprehensione præfecti synagogæ. Cultus Dei non consistit per se in observatione ceremoniarum à Deo præscriptarum. Itaque major dilectionis proximi, quàm ceremoniarum ratio habẽda est: & quoties illi vacare tempus postulat, istæ interim negligendæ sunt. διδ. παιδ.

Ex parabolis de grano sinapis & de fermento. Cavendum ne contemnamus aut vili pendamus Evãgelium propter humilem & abjectam ejus speciem: quippe quod hominibus salutem annuntiat per hominem crucifixum, & prædicatur ab hominibus humilibus ferè ac plebejis & mundo exosis, idq; sermone humili & simplici. His enim non obstantibus, Deus per Evangelii prædicationem efficax est in cordibus Electorum, efficiendo in illis salvificam cognitionẽ ipsius & zelum pro gloria ipsius, nec non studium eximium de omnibus bene merẽdi. Confer Rom. 1. v. 16. & 1. Cor. 1. v. 17. & deinceps. & 2. Cor. 4. v. 7. ἐπ. διδ.

Ex v. 22. Exemplo Christi, pastores Ecclesiarum magno studio incumbant in officium docendi. παιδ.

Ex v. 23. & 24. inter se collatis. Cavendum ne ex curiositate scire expetamus arcana Dei: & contrà studendum ut agamus quæ Deus nobis præcepit, id est, ut discamus rationes salutis nostræ ex Evangelio, & Evangelio credamus, & sicut Evangelio dignum est, vivamus, atque ita in cælum contendamus. Interim verò quum Deus arcana sua ultrò nobis revelat propter gloriam suam: debemus illa ad Deum glorificandum humili mente accipere, & memoriâ retinere, quale arcanum est, quòd Deo placuerit ex toto genere humano paucos eligere & servare: maximam verò partem reprobare ac damnare. ἐπ. παιδ. διδ.

Ex v. 24. & sequentibus. Cavendum ne offendamur molestiis quas Satan & mundus & propria caro nobis ob- ἐπ.

jicit proprer ſtudium pietatis: ut ſcil. ſtudium pietatis de-
ſeramus & genio indulgeamus: quia non niſi per angu-
ſtam hanc portam intrare nobis licet in palatium illud
cæleſte: contrà verò qui pietatis ſtudium neglexerint aut
abjecerint, excludentur: & in gehennam ad æternos cru-
ciatus abjicientur.

Ex v. 26. & 27. Non eſt ſatis eſſe in Eccleſia viſibili: ſed
oportet quoquo eſſe de Eccleſia inviſibili: ac proinde ſe-
riò ſtudere pietati. Quod qui fecerint, illi demum à Chri-
ſto in cælum recipientur: cæteri verò excludentur & in
gehennam abjicientur. Confer Matth. 7. v. 21, 22. & 23.

Ex v. 28. Pars cruciatus damnatorum erit, quòd cogen-
tur videre pios conſtitutos in cælo; ac fruentes gaudiis &
gloria cæleſtis: ſe verò inde excluſos eſſe, idque abſque ul-
la ſpe melioris ſtatus. Hic cruciatus damnatorum elegan-
te proſopopœiâ exprimitur in libro Sapientiæ cap. 5. v.
3. 4. & 5. Idem quoque innuitur exemplo divitis illius e-
pulonis: qui in tormentis apud inferos conſtitutus, vidit
Lazarum in ſinu Abrahæ: infrà 16. v. 23.

Ex v. 29. Quum Gentiles quoque in regno Dei diſcu-
bituri ſint: fallunter Judæi qui ſibi perſuadent, ſe ſolos
populum Dei eſſe.

Ex eodem verſu. Quum diſcumbimus in læto aliquo
convivio: recordari debemus gaudiorum quibus piè fru-
untur in cælo: quia Chriſtus illa tali convivio compatat.

Ex v. 30. Quum offendimur hypocriſi eorum qui primi
in Eccleſia videri volunt, cogitemus illos in die judicii fo-
re ultimos, id eſt, ex regno Dei excluſum iri. Item quum
offendimur diſſolutis aliorum moribus: cogitemus fieri
poſſe ut per gratiam Dei converſi, evadant primi, hoc eſt,
in regnum Dei intromittantur.

Ex v. 31. & 32. Exemplo Chriſti, paſtores Eccleſiarum
conſtanter munere docendi fungi debent, poſthabitis om-
nibus periculis & terroribus. Confer & exemplum Jo-
hannis Baptiſtæ.

Ex v. 23. & ſequentibus. Vide Obſervationes ex Mat-
thæi 23. v. 37 & deinceps.

ANA-

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Dominus sanat hydropicum; monet convivas modestiæ in accumbendo: docet, quinam sint ad prandium aut cœnam vocandi: proponit parabolam de cœna magna: docet, quid requiratur a suis discipulis eorum in primo accessu, tum in toto vitæ curriculo tantum quinque hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Sanat hydropicum.

ET factum est, quum veniisset domum cujusdam ex principibus Pharisæorum Sabbatho ad capiendum cibum, tunc ipsi observabant eum.

2 Et ecce, quidam hydropicus erat coram eo.

3 Tum respondens Jesus dixit Legis interpretibus et Pharisæis, in hec verba, Licene sanare Sabbatho?

4 Ipsi vero tacuerunt. Tum ipse reprehensum eum sanavit, et dimisit.

5 Et respondens eis, dixit, Quis vestrum, si ipsius asinus aut bos in puteum incidat, non statim extrahet eum die Sabbathi?

6 Et non poterant ei ad hæc respondere.

Primò indicatur locus, 2 tempus, 3 causa corrumpens, 4 occasio simulque causa impulsiva, 5 præparatio seu effectum destinatum, 6 modus agendi & miraculum ipsum, 7 eventus.

Locus ubi Dominus hoc miraculum fecit, fuit domus cujusdam ex principibus Pharisæorum quò venerat ad capiendum cibum, haud dubiè ab illo invitatus, v. 1. Tempus quo fecit fuit Sabbathum, ibid. Causa corrumpens quæ ipsum poterat ab isto hydropico tunc sanando deterrere, fuerunt insidiæ Pharisæorum & Legis interpretum, qui simul in illo convivio aderant, Dominumque observabant, captantes nimirum occasionem ipsius accusandi ac

pendendi, v. 1. & 3. Occasio simulq; causa impulsiva narratur v. 2. his verbis. *Et ecce quidam hydropicus erat coram eo.* Occasionem igitur huic miraculo prebuit præsentia objecti, videlicet ipsius hydropici. Ad sanandum verò illum impulit Dominum miseria ejus, quæ ipso nomine hydropici significatur, & ampliùs significatur v. 5. in facti defensione: ubi cum illa comparatur tanquam minor, miseria asini aut bovis in putcum illapsi. Præparavit Dominus ad hoc miraculum tum ipsum paralyticum, tum spectatores, quærendo ex Legis interpretibus & Pharisæis qui aderant, an liceat sabbatho sanare? Hac enim interrogatione non obscurè significabat, sibi propositum esse præsentem hydropicum sanare, si modò id per Legem Dei liceat, v. 3. Ista interrogatio amplificatur ex eventu, videlicet silentio illorum qui erant interrogati, v. 4. Quod silentium Dominus pro confessione accepit; quum satis constaret, illos non fuisse tacituros, sed aliquid pro tuenda sanctitate sabbathi allaturos, si quid habuissent. ponebant enim illi pietatis summam in ceremoniarum observatione. Modus agendi & miraculum ipsum narratur cod. v. 4. his verbis: *Tum ipse prehensum eum sanavit & dimisit.* Eventa ordine alia ex aliis consecuta, narrantur duo: sed tertium, quod ordine fuit primum, ex secundo subintelligendum relinquitur. Primum illud eventum fuit offensio Pharisæorum tacitè damnantium factum Domini, licet apertè non audirent. Secundum fuit defensio Domini, qua ostendit se rectè fecisse, per argumentum à comparatis, ratiocinando à minori ad hunc modum:

Si die Sabbathi licet ex fovea extrahere bovem aut asinum ne aquis suffocetur: licet multo magis die Sabbathi sanare hydropicum.

At illud licet.

Ergo hoc quoque.

Assumptio probatur testimonio tacitæ confessionis atque sententiæ adversariorum: quæ ipsa sententia ostenditur ex factis seu more apud omnes usitato, v. 5. ubi ait, *Quis vestrûm, si ipsius asinus*, &c. Tertium eventum ex illo secundo consecutum, fuit silentium Pharisæorum, v. 6. quod ipsum habebat

habebat vim confessionis. nam si potuissent Domini argumentum refutare: nequaquam, quò erant in ipsum odio, tacuissent.

PARS SECUNDA.

Monet convivas modestiæ in accumbendo.

7 *Dixit autem parabolam ad eos qui vocati fuerant, attendens quomodo primos accubitus eligerent; dicens eis,*

8 *Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco: ne forte honorabilior te sit vocatus ab eo:*

9 *Et is qui te & illum vocavit, veniens dicat tibi, Da huic locum: & tunc incipias cum pudore ultimum locum obtinere.*

10 *Sed quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum: ut quum venerit qui te vocavit, dicat tibi; Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria in conspectu eorum qui tecum discumbunt.*

11 *Nam quisquis se extollit, deprimetur: & qui se deprimit, extolletur.*

Primùm narratur admonitionis hujus occasio, eademq; causa impulsiva, deinde admonitio ipsa. Occasionem Domino ad hanc admonitionem præbuit, & ad eandem impulit ambitio præsentium convivarum; quos videbat eligere primos accubitus. Itaque pro officio fidelis Prophetæ & pastoris Ecclesiæ, vitium illud reprehendit, & ad contrariam virtutem convivas illos revocavit. Admonitio sive præceptio est duplex: prima negativa, vers. 8. *Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias* (intelligitur autem hoc nomine per synecdochen, quodvis solenne epulum seu convivium) *ne accumbito primo loco*. Secunda affirmativa, vers. 10. *Sed quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum*. Utrumque præceptum confirmatur ex eventis: primùm quidem ex eventura pudefactione, vers. 8. & 9. alterum verò ex eventura gloria, v. 10. Approbatio autem utriusque argumenti à genere ducta, subjicitur v. 11.

PARS TERTIA.

Docet qui sint vocandi ad prandium aut cœnam.

12 *Dicebat autem etiam ei qui ipsum vocaverat, Quum facis prandium aut cœnam, ne voca amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites: ne quando & ipsi te vicissim vocent ac retribuatur tibi gratia.*

13 *Sed quum facis epulum, voca mendicos, mancos, claudos, cæcos:*

14 *Et beatus eris, quia non possunt gratiam retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.*

Primùm notatur admonitionis hujus causa impulsiva, deinde admonitio ipsa seu præceptum recitatur. Causa impulsiva innuitur his verbis, *Dicebat autem etiam ei qui ipsum vocaverat.* Ex quorum verborum collatione cum ipso præcepto colligitur, Dominum ad hanc admonitionem impulsum fuisse consideratione pravi affectus quo iste Pharisæus convivas invitarat, & è regione officii sui Prophetici: ad quod pertinebat vitia auditorum reprehendere, & ab illis ad virtutes revocare. Affectus autem ille Pharisæi (ut ex ratione prioris membri percipitur) fuit partim ambitio, qua cupiebat vicissim à convivis illis honorifico convivio excipi: partim intemperantia gulæ, qua cupiebat ab illis excipi convivio opiparo. Præceptum ipsum est bimembre, partim scilicet negativum, partim affirmativum. Negativum præcedit v. 12. *Ne voca amicos*, &c. Affirmativum succedit v. 13. *Sed voca pauperes*, &c. Utraque præcepti pars confirmatur ex eventu: prior quidem ex eventu tristi ac molesto, videlicet privatione remunerationis cælestis: quæ significatur per adeptionem remunerationis terrenæ, ubi ait v. 12. *Ne quando & ipsi te vicissim vocent, ac retribuatur tibi gratia.* Posterior verò ex eventu læto & optabili, videlicet beatitudine cælesti ac remuneratione divina, v. 14. Nec tamen putandum, simpliciter vetari convivia cum amicis & divitibus: sed ita demum si per illa negligantur pauperes, & si cum ambitione & luxu conjuncta sint. Similiter nec putandum, divitibus simpliciter imperari ut convivio excipiant pauperes:

sed

ſed hac ſpecie liberalitatis ſignificatur, teneri illos pauperum uſque adeò rationem habere, ut ipſorum egeſtati proſpiciant & ſuccurrant.

PARS QUARTA.

Proponit parabolam de cœna magna.

15 *Hæc autem quum audiſſet quidam ex iis qui ſimul accumbebant, dixit ei, Beatus qui comedit panem in regno Dei.*

16 *Ipſe autem dixit ei, Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos:*

17 *Miſitq; ſervum ſuum hora cœnæ ut diceret vocatis, Venite, quia jam parata ſunt omnia.*

18 *Et omnes cœperunt uno animo ſe excuſare. Primus dixit ei, Agrum emi, & neceſſe habeo exire & eum inſpicere: rogo te, habe me excuſatum.*

19 *Et alter dixit, Juga boum emi quinque, & proficiſcor ad explorandum ea: rogo te, habe me excuſatum.*

20 *Et alius dixit, Uxorem duxi, & propterea non poſſum venire.*

21 *Quum igitur ſervus ille advenisſet, annuntiavit iſta domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo ſuo, Abi citò in plateas & vicos urbis, & mendicos ac mancos, claudosq; & cæcos huc introducito.*

22 *Et ait ſervus, Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt.*

23 *Tunc ait Dominus ſervo, Exi in vias & ſepes, & coge ingredi; ut impleatur domus mea.*

24 *Dico enim vobis, neminem virorum illorum qui vocati fuerant, guſtaturum cœnam meam.*

Primùm narratur parabolæ hujus proponendæ occaſio, deinde parabola ipſa recitatur. Occaſionem Domino ad hanc parabolam proponendam præbuit dictum unius ex convivis: qui audita ex Domino mentione retributionis in reſurrectione juſtorum, id eſt, convivationis in cælo: veluti approbans ſermonem Domini ſubjecit, *Beatus qui comedet panem in regno Dei.* Dominus igitur ut moneret illum, itemq; cæteros convivas: non eſſe

satis hoc credere, quòd beatitudo consistat in convivatione illa cælesti, hoc est, in communione spirituali cum Deo & omnibus sanctis: neq; etiam esse satis, convivium illud cæleste obiter pro re nata sibi exoptare: sed cumprimis cavere sibi unumquenq; oportere ab impedimentis quibus plerique detineri se patiuntur, ne ad beatum illud convivium accedant: Dominus igitur, inquam, ut de his rebus illos pro officio fidelis Propheteç moneret, impedimenta illa per parabolam isti dictò accommodatam exposuit. Atque hic est parabolæ hujus scopus, exponere causas corrumpentes vitæ æternæ, h. e. quibus plerique impediri se patiuntur in consequenda vita æterna. Quibus plenioris doctrinę causâ opponit causam vitæ æternæ procreantem. Et causas quidem corrumpentes exponit duas: curam nimiam divitiarum, & nimiam indulgentiam voluptatum. Hisce enim rebus homines impediuntur quò minùs studeant cognitioni voluntatis divinæ ex verbo ipsius discendæ, ac proinde in ignorantia sua pereant: quum vita æterna consistat in cognitione Dei & ejus quem misit Jesu Christi, Johan. 17. v. 3. Cæterùm curam nimiam divitiarum significat per excusationem tum primi illius qui dicebat, Sibi inspiciendum agrum quem nuper emisset, v. 18. tum alterius, qui dicebat, sibi proficiscendum ad probandum quinque juga boum quæ emisset, v. 19. Indulgentiam verò voluptatum significat per excusationem tertii: qui ajebat se duxisse uxorem, ac propterea venire non posse, v. 20. Porrò causam procreantem vitæ æternæ significat hìc unicam, videlicet efficaciam Spiritus sancti persuadentis electis per verbum Dei agnitionem propriæ paupertatis spiritualis & miorborum spiritualium, efficientisq; ut Dei liberalitatem & curationem gratiosam expetant & accipiant. Hanc efficaciam significat per introductionem pauperum, nec non mancorum, claudorum & cæcorum, v. 21. item illorum qui extra urbem oberrabant in viis & circa sepes, v. 23. ubi simul notatur distributio efficaciter vocandorum in Judæos & Gentiles: quorum illi significantur per mendicos oberrantes in plateis & vicis urbis, v. 21. isti verò per men-

dicos

dicos oberrantes in viis extra urbem & circa sepes, v. 23. Ipsa autem efficacia significatur tum verbo *introducendi*, v. 21. tum verbo *cogendi*, v. 23. Huic simile est dictũ Christi Johan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Per cænam igitur magnam in hac parabola, intelligitur vita æterna. Per hominem qui cænam illam apparavit, intelligitur Deus. Per servum quem misit ad vocandum invitatos, intelliguntur ministri Evangelii. Per illos qui se excusarunt, intelliguntur reprobi mundo huic addicti, & verbum Dei contemnentes. Per illos qui in cænaculum introducti sunt, intelliguntur electi, quibus datur à Deo gratia, ut quũ per Evangelium ad vitam æternam vocantur, obtemperent, amplectendo scilicet fide promissionem gratiæ propter Christum, & subjiciendo sese sanctis Dei mandatis vitamq; secundùm illa instituendo. Denique per exclusionem istorum ingratorum v. 24. significatur exclusio impiorum è regno cælesti.

PARS QUINTA.

Docet quid requiratur à suis discipulis.

25 *Ibat autem turba multa cum eo: & conversus dixit eis,*

26 *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, atque adeò etiam animam suam; non potest meus esse discipulus.*

27 *Et quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.*

28 *Quis enim ex vobis, si velit turrim ædificare, non priùs considens computat sumptum, an habeat quæ ad perfectionem ejus requiruntur?*

29 *Ne forte postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui spectarint, incipiant ei illudere,*

30 *Dicentes, Homo iste cœpit ædificare, & non potuit perficere.*

31 *Aut quis rex proficiscens ut committat prælium adversus alterum regem, non priùs considens consultat an possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?*

32 *Alioquin, quum adhuc ille procul est, legatione missâ, rogat ea quæ ad pacem spectant.*

33 *Sic ergo, quisquis vestrûm non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus.*

34 *Bonum est sal: si verò sal insipidum effectum fuerit, quonam ipsum condietur?*

35 *Neque ad terram neque ad sterquilinium utile est: foras ipsum abjiciunt. Qui habet aures ad audiendum audiat.*

Primùm significatur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse recitatur. Occasionem Domino ad hunc sermonem præbuit, quòd videbat multam turbam se sequi iter facientem. Quum igitur animadverteret in illorum numero aliquos esse qui sese in gregem discipulorum ipsius aggregare cuperent, statuit maturò morendos qualem animum eos ad se afferre oporteat, si velint in numerum discipulorum recipi, & quales quoque deinceps esse oporteat. Sermonis igitur partes sunt duæ: nempe duo præcepta de requisitis sive officiis suorum discipulorum: quæ distinguuntur temporibus. primum est de ingressu in scholam Christi, à vers. 26. usque ad 34. alterum de progressu in illa, versibus duobus ultimis. Præceptum de ingressu est, ut futurus discipulus Christi paratus sit propter Christum suscipere ac pati odium & persecutionem mundi: vers. 26. 27. & 33. Hoc præceptum amplificat, declarat, illustrat & confirmat. Amplificat partim ex eventu, partim à comparatis. Ex eventu, quum ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum*, &c. id est, Si quis sibi non firmiter proponit, decretumam meam constanter confiteri, neque illam in gratiam amicorum, vel etiam ad conservandum vitam suam supplicium quoque capitis evitandum, abnegare: etiamsi inde eveniat ut putetur odio habere amicos atque ipsam vitam suam. A comparatis verò, quatenus commemorat homines conjunctissimos, quorum inimicitias propter ipsum subire oporteat: quanto igitur magis aliorum. Deinde declarat illud præceptum mentione specierum persecutionis: quas commemorat duas, crucem seu patibulum, v. 27. & amissionem bonorum, v. 33. Tum idem

idem præcep.um illuſtrat duobus exemplis, eâdemque operâ illud confirmat, argumento ab eventu turpi ac moleſto. Prius exemp.um eſt de homine ædificaturo turrim, v. 28. 29. & 30. Sententia eſt: Sicut qui conſtituit ædificare turrim, antea computat ſumptum, ne cogatur cum pudore opus imperfectum relinquere: ita qui conſtituit meus eſſe diſcipulus, antea debet perpendere an paratus ſit odium & perſecutionem mundi propter me pati, ne cogatur cum pudore pedem referre & à me deficere. ubi apparet argumentum illud ab eventu turpi ac moleſto, niſi quis præceptum iſtud obſervet. Poſterius exemplum eſt de rege commiſſuro prælium adverſus alterum, v. 31. & 32. Sententia eſt. Sicut rex qui cogitat prælium contra alterum ſuſcipere, priùs conſultat, an ſatis ſit ad prælium illud inſtructus: ne ſit ipſi in prælio ſuccumbendum: ita qui cogitat militare cum diabolo & mundo ſub me imperatore, priùs debet conſultare, an per Dei gratiam habeat ſatis virium & animi ad prælium illud ſubeundum: ne cogatur in pugna cum pudore & pernicie ſuccumbere. Ubi tamen obſervandum, vires diſcipulorum Chriſti non in ipſis eſſe ſitas, ſed in Deo à quo per preces impetrant, quantum eſt opus. Atque hæc de præcepto priore. Alterum eſt de progreſſu vitæ in ſchola Chriſti, v. 34. & 35. quod proponitur ſub ſimilitudine ſalis. Senſus videtur hic eſſe. Sicut ſal bonum eſt, quamdiu acrimoniam ſuam retinet: illâ autem amiſſâ, inutile redditur: ſic diſcipuli mei mihi placent, quamdiu retinent zelum gloriæ meæ, ac proinde ad promovendum regnum meum & dictis & factis, ſive inſtitutione rudium & bono exemplo vitæ, ſedulò incumbunt: hoc verò zelo amiſſo, mihi diſplicent & inutiles redduntur. Itaque omnes operam dare debent, ut hunc zelum habeant & retineant. Hoc præceptum amplificat hortatione qua hortatur ad illius conſiderationem, *Qui habet aures ad audiendum audiat.*

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 *Quum veniſſent.* ἐν τῷ ἐλθεῖν. Pro, μὲ τὸ ἐλθεῖν. Enallage Hebraica. Sic enim apud Hebræos Bethbachlám interdum uſurpatur pro Caph-bachlám. *Ad edendum cibum,* φαγεῖν ἄρτον. Ad verb. *Edere* (id eſt, ad edendum) *panem.* Synecdoche membri, uſitata Hebræis. φαγεῖν autem, pro τοῦ φαγεῖν, ſcil. ἕνεκα: ellipſis Græca. *Tum ipſi,* καὶ αὐτοὶ. Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum. *Obſervabant.* ἦσαν παρατηρούμενοι. Ad verb. Erant obſervantes. Hebraiſmus.

3 *Licétne.* εἰ ἔξεστι. Ad verb. Silicet. Græciſmus. *Sanare,* θεραπεῦσαι. Propriè curare, ſeu mederi.

4 *Tacuerunt.* ἡσύχασαν. Ad verb. Quieverunt, ſeu tranquilli fuerunt. Synecdoche generis.

5 *Quu veſtrúm, ſi ipſius aſinus,* &c. τίνος ὑμῶν ὄνος &c. Ad verb. *Cujus veſtrúm aſinus aut bos in puteum incidet, & non ſtatim extrahet eum.* Genus loquendi Hebraicum. *Extrahet.* ἀνασπάσει. Græcum verbum connotat motum qui fit ſurſum, ex ἀνὰ quod valet ἄνω.

8 *Primo loco.* εἰς τὸν πρωτοκλισίαν. Ad verb. *In primum accubitum:* id eſt, in eum locum ubi accumbere ſolet primus inter convivas.

10 *Vade diſcubitum.* πορεύθητι ἀνάπεσον. Vel, Vade & diſcumbe.

12 *Ac retribuatur tibi gratia.* καὶ γένηταί σοι ἀνταπόδομα. Ad verb. *Et fiat tibi retributio.*

13 *Epulum.* δοχήν. A verbo δέχεσθαι, excipere: ab excipiendis ſcilicet convivis.

13 *Mendicos.* πτωχούς. Quomodo Lazarus vocatur πτωχὸς, inf. 16.20. Nomen autem mendicorum huc quadrare, percipitur ex illis hominum generibus quæ mox enumerantur, quippe quæ mandicando fere ſeſe alunt.

14 *Retribuetur.* ἀνταποδοθήσεται. Scil. à Deo. *In reſurrectione juſtorum.* ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων. Sic vocat univerſalem reſurrectionem, qua & juſti & injuſti reſurrecturi ſunt: ut innuat, juſtis, hoc eſt, iis qui in vera cognitione Dei pie

piè juſteq; vixerint in hoc ſeculo, præmio apud Deum repoſita eſſe.

15 *Qui comedit panem.* ὃς φάγεται ἄρτον. Id eſt, qui cibum capit. Hebraiſmus, ut ſuprà v.1. Videtur autem poſitum tempus præſens pro futuro: ex collatione verſus præcedentis, ubi dixerat Dominus, Retribuetur tibi.

18 *Uno animo.* Κατὰ μίαν. Scil. ψυχὴν. Quod aliàs dicitur ὁμοθυμαδὸν. Alii ſupplent, ore. Sed tunc oporteret eſſe ἀφ' ἑνὸς Scil. στόματος &c. *Se excuſare.* παραιτεῖσθαι. Verbum medium ſignificationem habet reciprocam.

21 *Mendicos.* τοὺς πτωχοὺς. ut ſup. v. 13.

22 *Et adhuc loci eſt.* Scilicet re peractâ. Ellipſis ſententiæ, ſerviens brevitati ſermonis. *Factum eſt.* γέγονε. Pro, Feci, ἐποίησα. *Locus.* τόπος &c. Scil. pro convivis excipiendis.

23 *Cogе ingredi.* ἀνάγκασον εἰσελθεῖν. Scilicet quotquot repereris.

27 *Sequitur me.* ἔρχεται ὀπίσω μου. Ad verb. *Venit poſt me, ſeu pone me.* Hebraiſmus.

28 *Considens.* καθίσας. In Græco ſubauditur ἑαυτὸν. *Computat.* ψηφίζει. Videlicet calculo poſito. παρὰ τὰς ψήφους, à calculis. Nam ψῆφοι ἐγίγνοντο οἱ πάλαι, calculis ratiocinabantur veteres. Ad verb. *Calculat.* Quæ *ad perfectionem* ejus requiruntur. τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν. Gemina ellipſis: nam ad articulum τὰ ſubauditur participium αἰτοῦντα: ad nomen verò ἀπαρτισμὸν ſubauditur pronomen ἀυτοῦ, ſcil. τῷ πύργῳ. Integra igitur oratio eſſet, τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν αὐτοῦ αἰτοῦντα.

29 *Ne forte.* ἵνα μήποτε. Adverbium ποτὲ hîc notat eventum contingentem: quem Latini notant nomine *forte*, ablativo ſcil. nominis Fors, quæ aliàs Fortuna. Sed vocabulo illo ex conſuetudine linguę ſic utendum nobis Chriſtianis, ut interim de re ipſa (videlicet de eventuum gubernatione) ſanctè ſentiamus.

32 *Ea quæ ad pacem* ſpectant. τὰ πρὸς εἰρήνην. Scilicet αἰτοῦντα.

33 *Valedicit.* Ἀποτάσσεται. Sic ſuprà 9.61.

34 *Inſipidum effectum fuerit.* μωρανθῇ. Vide ſcholia in Matth. 5.13. *Quonam* ipſum *condietur?* ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; Supplendum ἀυτὸ, ſcil. τὸ ἅλας, ex Marc. 9. v. ult.

35 *Utile.* ὠφέλιμον. Ad verb. *Apostatum.* Sed hoc obscurius hoc loco propter ὁμωνυμίαν.

OBSERVATIONES EX CAP. XIV.

argt. Ex historia de sanato hydropico. Major est habenda ratio Legis moralis quàm ceremonialis. Itaque si (exempli gratiâ) ægrotus quispiam egeat tua præsentia quo tempore iturus esses ad audiendum in Ecclesia verbum Dei & percipiendum sacram Domini cænam: debes cum ægroto manere, & cultum illum externum in aliud tempus differre. Hic errarunt Judæi sub duce Matatia, qui die sabbathi omiserunt sui defensionem, religione moti: contrà Matatias rectè fecit cum iis quos reliquos habebat, etiam die sabbathi sese contra hostes defendens, 1. Mach. 2.

div. Cæterùm occasione hujus historiæ considerandum venit, quæ & qualis religio sabbati in novo Testamento, ac proinde adhuc hodie apud nos Christianos, locum habeat & observanda sit. Ac primò tenendum, Sabbatum esse abrogatum per Christi exhibitionem, quantum attinet ad diem hebdomadis septimum sive ultimum: & in locum illius institutum esse diem primum quem Dominicum appellamus, propterea, quòd Dominus illo die resurrexit à mortuis, & discipulis sese vivum ostendit, idq; per vices, colloquens cum eis de regno Dei: atq; ita ipso suo facto diem illum congregationi Ecclesiasticæ ad cultum Dei externum peragendum consecrans. Ratio abrogationis hujus est: quoniam quies illa ceremonialis in Lege observari solita, fuit typus illius quietis qua Dominus die septimo quievit in sepulchro: ut percipitur ex verbis Pauli Colossenses propter neglectum sabbatorum: propterea quòd illa sint umbra rerum futurarum, corpus autem, sit Christi. De apparitionibus autem Domini in sabbato testatur Johannes historiæ suæ Evangelicæ cap. 20. v. 19. & deinceps: ubi narratur quòd primò venerit ad apostolos congregatos ipso illo die quo resurrexerat, deinde iterum octiduo

oſtiduo pòſt. Quòd autem Dominus per illos dies Apoſtolis loquutus ſit de regno Dei, teſtatur Lucas Act. 1. v. 3. Unde Apoſtoli illum diem hauddubiè tanquam ex Domini inſtituto obſervarunt ad agendum in eo conventus Eccleſiaſticos: ut patet ex Act. 20. v. 7. ubi narratur, diſcipulos qui erant Troade, primo die hebdomadis congregatos fuiſſe ad frangendum panem, h. e. celebrandum ſacrã Domini cænam: Paulumq; tunc apud eos diſſeruiſſe, h. e. Evangelium prædicaviſſe. Item ex 1. Cor. 16. v. 2. ubi Apoſtolus Corinthiis præcipit, ut primo quoq; die hebdomadis unuſquiſq; apud ſe reponat pecuniam quam ipſo adveniente cõtribuat in collectam pro pauperibus fratribus Hieroſolymitanis. Hinc hauddubiè factum ut Johannes (quemadmodũ ipſe teſtatur Apoc. 1. v. 10) die Dominico corriperetur ſpiritu & ei exhiberetur apocalypſis illa ſtatus Eccleſiæ tum illius temporis, tum deinceps uſq; ad Domini adventum mundiq; finem futuri: quam toto illo libro deſcribit.

Deinde abrogari quoque ſunt ritus legales qui in ſabbato fuerunt obſervandi, inter quos fuit præciſa & omnimoda atque rigida quies ſeu ceſſatio à quovis opere ſervili extra caſum neceſſitatis: ita ut in ſabbato non liceret cibum coquere, imò ne ligna quidem colligere. qua de re vide Exod. 16. v. 6. & 24. (ſecundùm novam diſtinctionem) inter ſe collatis. Item cap. 35. v. 3. & Num. 15. v. 32. & deinceps, ubi narratur, quendam qui ligna collegerat die ſabbati, ex mandato Domini lapidatum eſſe.

Interim religio ſabbati etiamnum hodie durat, quatenus unus aliquis hebdomadis cujusque dies potiſſimùm tribuendus eſt exercitio cultus divini: nec non quies concedenda familiæ, ſeu vocatio ab operibus ſervilibus, ſaltem ab iis quæ moram patiuntur & absque certiſſimo damno rei familiaris in aliud tempus differri poſſunt. Cujus rei ratio duplex eſt: una, quòd Deus inde ab origine mundi unum hebdomadis diem exercitio cultus divini tribui voluit: adeoque ſanctificationem ſabbati univerſo generi humano præcepit, Gen. 2. v. 2. altera, quòd præceptum illud in decalogum retulit: unde percipitur,

aliquid in eo esse morale ac perpetuum; licet id quod ceremoniale & veteris Testamenti proprium erat, sit abrogatum.

παιδ. Ex sermone Domini de observanda modestia in accumbendo. 1. Officium pastoris Ecclesiæ est, ut si quid vitiosi in suis auditoribus animadvertit, illud liberè reprehendat, eosq; ad virtutem revocet: nec cuiquam ea in re parcat aut conniveat: exemplo Christi reprehendentis hoc loco ambitionem Pharisæorum.

ἐπ. 2. Ambitio fugienda: & contrà modestiæ studendum.

παιδ. Rationes petantur ex textu.

Ex præceptione Domini de vocandis ad prandium aut

ἐπ. cænam. In conviviis vitanda ambitio, & luxus, & oblivio seu neglectus pauperum.

ἐλ. Ex parabola de cæna magna. 1. Non est satis, credere quòd beatitudo consistat in fruitione convivii illius cæle-

παιδ. stis: sed cumprimis cavere unumquenque oportet ab impedimentis, quibus plerique detineri se patiuntur, ne ad

ἐπ. beatum illud convivium accedant. Inter cætera autem impedimenta sunt hæc quoque duo: nimia cura divitiarum: & nimia indulgentia voluptatum.

διδ. 2. Ad vitam æternam consequendam opus est efficaciâ Spiritus sancti, persuadentis nobis per verbum Dei agnitionem propriæ paupertatis spiritualis & morborum spiritualium (hoc est, ignorantiæ Dei, & impotentiæ ad agendum bonum, & denique omnis generis vitiorum) efficientisq; ut Dei liberalitatem & curationem gratiosam expetamus & accipiamus.

διδ. 3. Vocatio efficax ad regnum Dei, non est propria Judæorum, sed eis communis cum Gentilibus.

παιδ. Ex sermone Domini de officiis suorum discipulorum. 1. Qui religionem Christianam amplecti vult, quiq; eam jam amplexus est: illum paratum esse oportet ad suscipiendum atque perpetiendum propter confessionem Christi & doctrinæ ab ipso traditæ, odium ac persecutionem mundi. Huc pertinet illud Pauli, *Omnes qui piè vivere volunt in Christo, persecutionem patientur*, 2. Tim. 3. v. 12 Item illud in Actis, *Per multas afflictiones oportet nos ingredi in*

regnum

regnum Dei, Act. 14 v. 22.

2. Zelus gloriæ Christi, constanter retinendus est tum aliis Christianis, tum inprimis ministris verbi: nisi ab illo instar salis insipidi abjici velint & cõculcari. Huc pertinet illa comminatio in Apocalypsi ad ministrũ Ecclesiæ Laodicensium: *Quoniam tepidus es, nec frigidus, nec fervidus: futurum est ut te evomam ex ore meo:* Apoc. 3. v. 16. *supr.*

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Dominus proponit tres parabolas: primam de ove perdita, alteram de drachma perdita, tertiam de filio perdito.

PARS PRIMA ET SECUNDA.

Parabola de ove perdita, & de drachma perdita.

ACcedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores, ut eum audirent.

2 *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes; Iste peccatores recipit, & comedit cum eis.*

3 *Ipse verò loquutus est ad eos hanc parabolam, dicens;*

4 *Quis ex vobis, si habeat centum oves, & perdiderit unam ex illis, non relinquit illas nonaginta novem in deserto, & proficiscitur ad eam quæ periit, usquedum eam inveniat?*

5 *Quum autem invenerit, imponit* eam *in humeros suos gaudens:*

6 *Veniensq; domum, convocat amicos & vicinos: dicens eis, Gratulamini mihi, nam invẽni ovem meam quæ perierat.*

7 *Dico vobis, ita fore gaudium in cælo super uno peccatore respiscente,* magis *quam super nonaginta novem justis, quibus non opus est respiscentiâ.*

8 *Aut quæ mulier, si habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & verrit domum, quaritq; accuratè, usquequo* eam *inveniat?*

9 *Quum autem invenerit, convocat amicas ac vicinas: dicens, Gratulamini mihi: nam invêni drachmam quam perdideram.*

10 *Ita, dico vobis, gaudium est apud Angelos Dei super uno peccatore resipiscente.*

Primùm narratur sequentium trium parabolarum occasio: eademq; causa impulsiva: deinde parabolæ ipsæ recitantur. Occasionem Domino ad parabolas istas proponendas præbuit, & eodem impulit murmur Pharisæorum & Scribarum: qui murmurabant contra ipsum, quòd reciperet peccatores, puta manifestarios: quales tum erant publicani & meretrices: quodq; cum illis comederet, v. 1. & 2. Parabolæ duæ priores uno tenore à Domino pronuntiatæ sunt, ut patet ex cohærentia versus octavi cum præcedentibus: itaque à nobis quoque conjunctim explicabuntur: præsertim quum unus idemq; sit utriusque scopus. Scopus autem ille est, convincere Pharisæos istos & Scribas erroris & peccati Erroris; quòd putabant pio doctori non esse ullo pacto versandum cum peccatoribus. Peccati; quòd contra Dominum murmurabant eò quòd cum peccatoribus versaretur. Errorem sic ostendit:

Si mea cum peccatoribus conversatio utilis eis est ad adducendum ipsos ad resipiscentiam: erratis igitur quum putatis non esse mihi cum illis conversandum.

Sed mea conversatio ad recipiscentiam illis conducit.

Ergo erratis quum illam improbatis ac damnatis.

Assumptionis sententia innuitur in apodosi utriusque parabolæ, v. 7. & 10. ubi mentionem facit peccatoris resipiscentis. Peccatum verò ostendit sic:

Si Angeli gaudent propter conversionem peccatoris: certè vos peccatis qui propter illam non gaudetis, sed murmuratis.

At Angeli gaudent propter conversionem peccatoris.

Ergo vos peccatis non gaudentes, sed murmurantes.

Ratio propositionis patet à minori. nam si ipsi Angeli de salute hominis gaudent: multò magis homines, quippe ejusdem generis & naturæ, gaudere de illa debebant. Assumptio illustratur utrâq; parabolâ, narratione gaudii

quod

quod perceperunt amici ex inventa ove perdita, & amicæ ex inventa drachma. Adhæc gaudium illud amplificatur collatione imparium: qua comparatur cum gaudio quod percipitur ex jam conversis & justis, tanquam majus cum minore.

PARS TERTIA.

Parabola de filio perdito.

11 *Præterea dixit, Quidam habebat duos filios:*

12 *Quorum junior dixit patri; Pater, da mihi partem substantiæ* ad me *attinentem.* Ille *igitur divisit eis facultates.*

13 *Post dies autem non multos, congesta* facultatibus suis *omnibus, junior ille filius peregrè profectus est in regionem longinquam: & illic dissipavit substantiam suam, prodigè vivendo.*

14 *Postea quam verò consumpsit omnia, orta est fames valida in regione illa: & ipse cœpit* victu *deficì.*

15 *Abiit igitur & adhæsit uni ex civibus regionis illius: qui misit eum in agros suos ut pasceret porcos.*

16 *Et desiderabat implere ventrem suum siliquis quas edebant porci: sed nemo ei dabat.*

17 *Quum autem ad se rediisset, dixit; Quot mercenarii patris mei abundant panibus? ego verò fame pereo.*

18 *Surgens proficiscar ad patrem meum, & dicam ei; Pater, peccavi in cælum, & coram te.*

19 *Neque amplius sum dignus vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.*

20 *Surgens igitur venit ad patrem suum. Quum autem adhuc longè abesset, vidit eum pater ipsius, ac misericordia motus est: & accurrens incidit in collum ejus, & deosculatus est eum.*

21 *Dixit autem ei filius; Pater, peccavi in cælum & coram te, neque amplius sum dignus vocari filius tuus.*

22 *Dixit verò pater ad servos suos, Efferte stolam illam præcipuam, & induite eum; & date annulum in manum ejus, & soleas in pedes:*

23 *Et adducìum vitulum illum saginatum macìate: & comedentes exhilaremur.*

24 *Quia filius iste meus mortuus erat, & revixit: perierat,*

& inventus est. Cœperunt igitur exhilarari.

25 *Erat autem filius ejus senior in agro: qui ut veniens appropinquavit domui, audivit concentum & choros:*

26 *Et advocatum unum ex pueris percontatus est, quid istud esset.*

27 *Is verò dixit ei, Frater tuus venit: & macta vit pater tuus vitulum illum saginatum, quòd valentem illum receperit.*

28 *Indignatus est autem ille, nec voluit introire. Pater ergo ipsius egressus, hortatus est eum.*

29 *Ipse verò respondens dixit patri; Ecce tot annos servio tibi, nec unquam mandatum tuum sum transgressus; & tamen nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis exhilararer.*

30 *Sed quum filius iste tuus qui devoravit facultates tuas cum meretricibus, venit, macta sti ei vitulum illum saginatum.*

31 *Ipse verò dixit ei; Fili, tu semper mecum es; & omnia mea, tua sunt:*

32 *Exhilarari autē & gaudere te oportebat, quòd frater tuus hic quum mortuus esset, revixit: quum perisset, inventus est.*

In hac parabola tres proponuntur personæ: quarum actiones distinctè sunt considerandæ. Personæ illæ sunt: filius luxuriosus, pater illius, & frater. Filii luxurioſi actiones narrantur istæ. 1. peccatum i. ſius, videlicet profusio bonorum ſuorum per luxuriam, v 13. 2. peccati pœna, videlicet egestas & fames extrema, v. 14. 15. & 16. 3. pœnitentia, in principio verſ. 17. ubi dicitur ad ſe rediisse. 4. ſpes veniæ patris, ibidem. ubi narratur dixisse, *Quot mercenarii patris mei abundant panibus? ego verò fame pereo.* quaſi diceret: Heu me miſerum, cujus deterior eſt conditio quàm mercenariorum patris mei. quam ſi noſſet pater: certè miſertus mei, non fineret me fame mori: ſed potiùs quum liberaliter alat mercenarios, multò magis aleret me filium. Item v. 18. quum ait, *Surgens proficiscar ad patrem meum.* nam certè niſi ſpem veniæ concepiſſet, nunquam ſibi propoſuiſſet aut auſus fuiſſet ad patrem redire, veniamq; illius & opem implorare. Igitur quinta actio illius fuit propoſitū perendi veniam à patre. quod ſignificatur verbis modo-recitatis. Sexta actio eſt confeſſio peccati, v. 18. 19. & 21. ubi ſimul intelligenda

eſt

eſt actio ſeptima, nempe ipſa veniæ petitio cum impetrandi fiducia conjuncta. Atque hæ ſunt actiones filii luxurioſi. Patris actiones erga illum ſunt iſtæ. 1. Animadversâ pœnitentiâ ac ſpe filii, ultrò ei ignoſcit, v. 20. 2. Ornat eum veſtibus, v. 22. 3. Recreat eum contra famem opiparo epulo, v. 23. & 24. Fratris verò actiones ſunt iſt. v. 1. Indignatur propter iſtam patris erga fratrem facilitatem atque beneficentiam, v. 25. 26. 27. & 28. 2. Expoſtulat eam ob cauſam cum patre, exprobrans ſimul quòd non æquè benignum ſe præberet erga ipſum, v. 20. & 30. Patris denique actiones erga illum ſunt iſtæ 1. Ultrò conatur indignationem ejus emollire, v. 28. 2. Eam ob cauſam ipſum reprehendit, v. 31. & 32. Atq; hæc eſt analyſis ipſius parabolæ. Jam ad ſignificationem quod attinet: per patrem duorum illorum filiorum ſignificatur pater cæleſtis, id eſt Deus. Per filium prodigum ſignificantur peccatores illi manifeſtarii, puta publicani, ſcortatores, ac meretrices. Per filium alterum ſignificantur Scribæ & Phariſæi, omnesq; adeò juſticiarii qui ipſi juſti videbãtur per bona ſua opera. Scopus parabolæ idem eſt cum præcedentibus, nempe convincere Scribas & Phariſæos peccati, quòd contra Dominum murmurarent propter receptionem peccatorum, ut eos ad reſipiſcentiam adduceret. Convincit autem eos duobus argumentis: quod utrumq; à factis Dei ductum eſt. Primum ſic poteſt concludi.

Si Deus ipſe facilem ſe præbet ad peccata reſipiſcentibus ignoſcenda: certè vos peccatu qui peccatoribus reſipiſcẽtiam & veniam invidetis.

Sed Deus facilem ſe præbet, &c.

Ergo vos invidiâ ac murmure veſtro peccatis.

Aſſumptio illuſtratur parabolâ, ubi narratur faciliras patris illius erga filium prodigum reſipiſcentem. Alterum porrò argumentum tale eſt.

Si Deus improbat illam indignationem erga eos qui faciles ſe præbent peccatoribus reſipiſcentibus: certè vos peccatu qui mihi erga peccatores reſipiſcentes facilem me præbenti indignamini.

At Deus improbat indignationem illam.

Vos igitur tali erga me indignatione peccatis.

Assumptio illustratur parabolâ, ubi narratur quomodo pater ille filium alterum reprehenderit.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 *Omnes.* πάντες. Nempe qui non procul aberant ab eo loco ubi tum Dominus degebat.

2 *Comedit cum eis.* συνεσθίει αὐτοῖς. Pro, ἐσθίει σὺν αὐτοῖς. Hellenismus.

5 *Quum autem invenerit.* ἐλθὼν. Incipit hîc nova periodus: ac proinde signum interrogationis à fine hujus versus removendum est.

7 *Magis* quàm. ἢ. Pro μᾶλλον ἤ. Ellipsis Græca: qualis apud Homerum,

Βούλομ' ἐγὼ λεὼν σόον ἔμμεναι ἢ Ἀπολέσθαι.

Volo ego populum salvum esse *magis* quàm perire.

8 *Usque quo* eam *inveniat.* ἕως ὅτου εὕρῃ. Hîc apponendum est signum interrogationis. Tum sequitur nova periodus versu sequente, ubi interrogatio locum non habet.

12 *Partem ad me attinentem.* τὸ ἐπιβάλλον μέρος. Seu, *mihi competentem*, quæ ad me rediturа est in partitione hereditatis. Subaudiendum ἐπ' ἐμοὶ vel μοὶ. *Facultates.* τὸν βίον. Propriè, *victum.* Metonymia effecti. nam facultatibus comparatur victus.

13 *Congessit* facultatibus suis *omnibus.* συναγαγὼν ἅπαντα. Scil. τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ. *Prodigè.* ἀσώτως. Dictus ἄσωτος, hoc est, prodigus, vel ὅτι μ' δύναται σώζειν τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ, quòd non potest servare facultates suas, sed eas prodigit & decoquit: vel ὅτι μ' δύναται σώζεσθαι, quòd non potest servari, de cujus salute nulla spes est, quem ipsa (ut ajunt) salus servare non possit.

15 *Adhæsit.* ἐκολλήθη. Propriè *agglutinatus fuit*, in est, agglutinavit se, Sic Matth. 19. 15. προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ.

16 *Siliquis quas edebant.* τῶν κερατίων ὧν ἤσθιον. Pro, ἐκείνοις ἃ ἤσθιον. Græcismus. Sed *nemo.* οὐδείς. Copulativa pro diversa.

apponendum

est signum interrogationis: atque idem removendum à sententia sequente.

18 *In cælum.* εἰς τὸν οὐρανὸν. Id est, in Deum, Metonymia subjecti. Cælum enim sedes seu thronus Dei in scriptura dicitur.

20 *Venit.* ἦλθε. Id est, profectus est, nam tum nondum venerat: ut intelligitur è sequentibus. Ergo ἔρχεσθαι hîc ponitur pro πορεύεσθαι, ex collatione versus 13. Sic Johan. 6. v. 17.

21 *In cælum.* εἰς τὸν οὐρανόν. Vide v. 18.

26 *Quid istud esset.* τί εἴη ταῦτα. Ad verb. *Quid hæc essent.* Id est, quid hæc sibi vellent, quid iste concentus & chori significarent, seu cujus rei signum essent. Metonymia subjecti: qualis etiam in verbis Cænæ, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus.

29 *Hædum.* ἔριφον. Id est, vel hædum: quasi dicat, multo minùs vitulum saginatum. Obliqua amplificatio indignitatis rei atque iniquitatis patris in tractandis filiis, per collationem imparium.

30 *Facultates tuas.* σου τὸν βίον. Ad verb. *Victum tuum*: ut suprà v. 12. Odiosè autem & ad amplificandum rei indignitatem dicit *tuas*: significans, partem illam hæreditatis quam pater prodigo isti filio dederat, nondum fuisse ei debitam: sed adhuc fuisse in potestate patris: quum demum post mortem patris, filiis jus sit hæreditatem dividendi.

31 *Omnia mea, tua sunt.* πάντα τὰ ἐμὰ, σά ἐστιν. Id est, ad te redibunt post mortem meam: quia scilicet frater tuus jam suam partem accepit. Vel, Omnia mea tua sunt hoc ipso tempore, quo ad usum: licet tibi illis unâ mecum uti: nihil nunquam tibi denegavi.

32 *Quum mortuus esset, revixit, &c.* νεκρὸς ἦν καὶ ἀνέζησεν, &c. Ad verb. *Mortuus erat, & revixit: perierat q., & inventus est.* Enuntiatum copulatum pro discreto. Nam si haberet vim copulati: sequeretur absurdũ hoc, gaudendum esse quòd ille fuerit mortuus, quodque perierit. Simile exemplum vide Rom. 6. 17. At suprà cap. 14. v. 5. enuntiatum copulatum habebat vim connexi.

OBSERVATIONES EX CAP. XV.

Ex parabolis de ove perdita & de drachma perdita.

1 Pio doctori, atque etiam cuivis pio, cum manifestis peccatoribus eatenus versari licet: quatenus illos studet adducere ad pœnitentiam.

2. De conversione proximi gaudendum est, Deoque gratiæ agendæ: ac proinde etiam opera danda, ut proximum ad conversionem adducamus.

Ex parabola de filio perdito sive prodigo.

1. Deus resipiscentibus & gratiam ipsius expetentibus ignoscit facilimè. Ergo quoties nos peccatorum pœnitentia subit, ad gratiam Dei propter Christum (qui peccata pœnitentium & in ipsum credentium expiavit) confugiamus: veniamq; certò exspectemus.

2. Filii Dei ad pœnitentiam adduci solent adhibitis divinis castigationibus. Huc pertinet illa confessio Davidis Psal. 119. v. 71. *Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.* Item sententia illa Pauli 1. Cor. 11. *Quum judicamur, à Domino castigamur: ne cum mundo condemnemur.*

3. Salutaris pœnitentia constat seriâ agnitione atque deploratione peccati admissi: cujus index est ingenua confessio: & desiderio gratiæ sive misericordiæ Dei: cujus index est affectuosa illius imploratio: & ejusdem misericordiæ fiduciâ, ortâ ex promissione Evangelii, qua remissio peccatorum promittitur omnibus pœnitentibus & ad Dei gratiam propter Christum confugientibus: & denique firmo proposito deinceps sanctè coram facie Dei vivendi. Hæc singula perspiciuntur in exemplo filii illius prodigi: postremum autem illud notatur preciosis illis vestimentis, quibus pater filium reversum indui jussit.

4. De conversione proximi gaudendum est.

5. Justiciarii indignantur, quum vident peccatores in gratiam recipi. Sed invidia illa fugienda est.

ANALY-

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGVMENTVM.

Dominus proponit parabolam de diſpenſatore injuſto: monet de efficacia Evangelii & de authoritate Legis: proponit hiſtoriam de divite epulone & de mendico Lazaro. Ita ſunt tres capitis partes.

PARS PRIMA.

Parabola de diſpenſatore injuſto.

Dixit autem etiam diſcipulis ſuis, Fuit homo quidam dives, qui habebat diſpenſatorem: & is delatus eſt apud eum ut qui diſſiparet ipſius bona.

2 *Vocavit eum igitur, & dixit ei, Quid hoc* eſt quod *audio de te? redde rationem diſpenſationis tuæ, non enim poteris amplius eſſe diſpenſator.*

3 *Dixit autem apud ſe diſpenſator; Quid faciam, quum Dominus meus auferat à me diſpenſationem? fodere non valeo, mendicare pudet.*

4 *Novi quid ſim facturus, ut quum amotus fuero à diſpenſatione, recipiant me domos ſuas.*

5 *Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dixit primo, Quantum debes domino meo?*

6 *Is autem ait, Centum batos olei. Tum ille dixit ei; Accipe tabulas tuas, & conſide citò, & ſcribe quinquaginta.*

7 *Deinde alii dixit, Tu verò quantum debes? Is autem ait, Centum coros tritici. Tum ipſe dixit ei: Accipe tabulas tuas, & ſcribe octoginta.*

8 *Et laudavit dominus ille diſpenſatorem injuſtum, quòd prudenter feciſſet. Nam filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in ſuo genere.*

9 Sic *etiam ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mamona injuſto; ut quum defeceritis recipiant vos in æterna illa tabernacula.*

10 *Qui fidelis eſt in minimo, etiam in multo fidelis eſt: & qui in minimo injuſtus eſt, etiam in multo eſt injuſtus.*

11 *Si ergo in injusto mamona fideles non fuistis; verum mamonam quis credet vobis?*

12 *Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis?*

13 *Nullus famulus potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet, non potestis Deo servire & mamonæ.*

14 *Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi, qui erant avari, & irridebant eum.*

15 *Tunc dixit eis, Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra, quia quod apud homines sublime est, abominationi est coram Deo.*

Protasis hujus parabolæ continetur primis octo versibus: apodosis v. 9. & deinceps usque ad 13. tum sequitur præceptum propositio affine, v. 13. postremò narrantur eventa hujus sermonis, v. 14. & 15 Scopus parabolæ (ut ex apodosi percipitur) est, præcipere divitibus ut largas dent eleemosynas. Ratio præcepti affertur duplex: prima ab effectu utili: quia sic comparaturi sibi sint habitationem in cælo, videlicet per preces piorum pauperum: qui Deum pro ipsorum salute sint oraturi. Altera ab effectu detrimentoso: quia si divites non fideliter administraturi sint divitias terrenas, erogando scilicet in egenos: Deus illis non sit crediturus divitias cælestes: hoc est, non sit eis donaturus dona spiritualia per quæ veram felicitatem consequantur: v. 10. & 11. Affine superiori præceptum est, Ne quis divitiis acquirendis sese dedat. Ratio ab effectu noxio: quia isto studio atque amore divitiarum homines avellantur ab amore Dei: quum duo isti amores non possint simul consistere, v. 13. Porrò qui Deum non amat: is nec à Deo amatur, ac proinde vitam æternam consequi non potest. Eventa istius sermonis narrantur duo: quorum posterius ex priore consecutum est: 1. Pharisæi monitiones istas & præcepta Domini irriserunt: cujus rei causa per se indicatur, videlicet avaritia. 2. Dominus Pharisæos propter hypocrisin & fastum reprehendit, v. 15.

PARS

PARS SECUNDA.

Monet de efficacia Evangelii & de authoritate Legis.

16 *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem: ab eo tempore regnum Dei annuntiatur, & omnes in illud vi irrumpunt.*

17 *Facilius eſt autem cælum & terram præterire, quàm Legis unum apicem excidere.*

18 *Quiſquis dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & quiſquis à viro dimiſſam ducit, mœchatur.*

De efficacia Evangelii moniturus, priùs monet de tempore quo illud cœpit prædicari: tempus autem deſcribit ex duratione Legis & Prophetarum, quam terminat adventu Johannis Baptiſtæ. Efficaciam autem Evangelii oſtendit his verbis, *Regnum Dei annuntiatur, & omnes in illud vi irrumpunt*, ubi hyperbolicè dicit OMNES, pro, Fere omnes, ſeu pleriq; ſeu denique multi. Nam certè in Scribas & Phariſæos dictum iſtud non competit: quippe qui doctrinæ Johannis & Chriſti atque Apoſtolorum non credebant. Illuſtratur autem efficacia Evangelii ab iſtis doctoribus prædicati, ſimilitudine vel hoſtium irrumpentium in urbem quam vi capiunt, vel eorum qui irrumpunt in theatrum ad videndum jucunda ſpectacula. Cæterùm ne videretur Dominus Legem contemnere, quia monuerat de durationis illius termino: per prolepſin addit monitionem de Legis authoritate, v. 17. quam oſtendit partim ab impletionis rerum in Lege prædictarum certitudine: partim ab ejuſdem impletionis perfectione. Quòd res in Lege prædictæ certò implendæ ſint, declarat à comparatis: Facilius eſt cælum & terram præterire (id eſt in nihilum redigi) quàm non impleri res in Lege prædictas. Et tamen ex verbo Dei certum eſt, cælum & terram non ita interitura ut in nihilum rediganſur: Ergo certum quoque eſt impletum iri res in Lege prædictas. Perfectionem, quòd ſcilicet oporteat impleri omnia in Lege prædicta, ſimiliter à comparatis oſtendit, ubi ait: ne unum quidem apicem Legis caſu-

rum, quasi dicat, multò minùs casuras totas prophetias in Lege contentas. Postremò sententiam de Legis authoritate pronuntiatam illustrat exemplo speciali, videlicet exemplo Legis de conjugio: unde obliquè deducit reprehensionem Pharisæorum: qui quum vellent videri maximè Zelotæ Legis Dei, tamen contra Dei Legem permittebant divortia extra adulterii casum, ob leves & nihili causas: v. 28.

PARS TERTIA.

Historia de divite epulone & mendico Lazaro.

19 *Cæterùm homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & bysso, & se exhilarabat quotidie splendidè.*

20 *Erat verò quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad vestibulum ejus ulcerosus.*

21 *Et desiderabat saturari micis quæ cadebant è mensa divitis, sed & canes veniebant ac lingebant ejus ulcera.*

22 *Factum est autem ut moreretur mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: mortuus est verò etiam dives ille, & sepultus est.*

23 *Et in inferno sublatis oculis suis, quum esset in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in sinu ejus.*

24 *Tum ipse vociferans dixit; Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intinget extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam: quoniam crucior in ista flamma.*

25 *Dixit autem Abraham; Fili memento te bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris.*

26 *Et ad hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut si qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque illinc huc transire.*

27 *Dixit autem ille, Rogo ergo te pater ut eum mittas domum patris mei.*

28 *Habeo enim quinque fratres, ut testificetur eis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti.*

29 *Dicit ei Abraham, Habent Mosen & Prophetas audiant eos.*

30 *Ille*

30 *Ille verò dixit, Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis abierit ad eos, resipiscent.*

31 *Abraham autem dixit ei; Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quidem quispiam ex mortuis excitatus fuerit, persuadebuntur.*

Scopus hujus historiæ (ut ex cohærentia ipsius cum sermone præcedente videtur posse colligi) est duplex: unus, discipulos, qui erant pauperculi & à Pharisæis divitibus alto supercilio contemnabantur, consolari promissione gaudiorum cælestium atque æternorum: Pharisæis autem illis divitibus, avaris, superbis, luxuriosis atque immisericordibus denuntiare cruciatus infernales atque æternos. Promissio latet in exemplo Lazari mendici ac pii: cujus anima post mortem per Angelos in cœlum ad fruendum æternis gaudiis asportata est. Denunciatio verò pœnæ latet in exemplo divitis illius epulonis, cujus anima post mortem per diabolos in infernum deportata est ad æternos cruciatus ibi perpetiendos. Ratio consequentiæ est natura Dei justa & sibi semper similis: unde fit ut omnium piorum pietatem remuneretur, itemque omnium impiorum impietatem puniat: si non in hoc mundo, at certè in futuro. Alter verò scopus hujus historiæ est, commendare authoritatem Legis & Prophetarum, quam indicarat v. 17. Hic scopus colligitur ex narrationis hujus fine, videlicet ex verbis Abrahæ de audiendis Mose & Prophetis, v. 29. & 31. Cæterùm per colloquium Abrahæ cum divite illo docentur ordine hęc quatuor. 1. Damnatis nihil planè solatii contingere, v. 24 & 25. 2. Vices esse miseriæ & felicitatis in hac vita & futura: ita scil. ut impii qui in hac vita ferè perpetuò sunt felices, in altera sint miseri: & contrà pii qui in hac miseri, in altera felices, v. 25. 3. Statum hominum post hanc vitam esse immutabilem: ita ut nec beati possint excidere sua beatitudine, nec damnati eripi è suo supplicio, v. 26. 4. Si quis velit evitare cruciatus gehennæ, illi audiendum esse verbũ Dei scriptum: ita scil. ut illi credat, & vitam ex illius præscripto instituat: v. 27. & deinceps.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 *Delatus est apud eum.* διεβλήθη αὐτῷ. Videtur esse catachresis: neque enim calumniosa aut falsa, sed vera erat hæc delatio.

2 *Quid hoc* est quod *audio de te?* τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; Pro, τί ἐστι τοῦτο ὅπερ ἀκούω περὶ σοῦ; Et ita Syrus quoque supplevit. Interrogatio conquerentis. Estq; ellipsis gemina Hebræa: qualis Gen. 3. 13. Quid hoc est *quod* fecisti?

4 *Recipiant me.* δέξονται με. Impersonaliter. Intelligendum autem hoc est de debitoribus domini, quibus volebat partem debiti condonare: ut patet ex sequentibus.

8 *Et laudavit dominus ille.* καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος. Ex collatione versiculi sequẽtis clarè liquet, hęc esse verba Christi, non autem Evangelistæ. unde jam percipitur, vocabulum ὁ κύριος, id est, *dominus*, non esse hic exponendum de Christo (ut vulgò fit, atque etiam à Syriaco interprete factum est) sed de domino illo dispensatoris de quo Christus hanc parabolam proponit, ut nimirum articulus accipiatur ἀναφορικῶς, sic: ὁ κύριος, scilicet ὁ τοῦ οἰκονόμου. Exponit autem Christus his verbis eventum, quomodo scilicet fraus ista dispensatoris illi abierit. *Dispensatorem injustum.* τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας. Ad verb. Dispensatorem injustitiæ. Genitivus adjuncti, constructus per Hebraismum. *Nam filii*, &c. ὅτι οἱ υἱοὶ, Quasi dicat Dominus: Et meritò laudavit: nam filii hujus seculi, &c. Ellipsis propositionis, cujus ratio exponitur. Approbat Dominus judicium illius patrisfamiliâs de illo suo dispensatore, argumento à genere petito, de conditione filiorum hujus seculi: quam sententiam illustrat collatione filiorum lucis, tanquam minus prudentum.

Sic *etiam ego.* κἀγώ. Pro, οὕτω κἀγώ. Ellipsis conjunctionis comparativæ ἀντιδοτικῆς. Syrus ܐܢܐ ܗܟܢܐ vâáph aná, *Et etiam ego*: id est, Sic etiam ego. *Ex mamona injusto.* ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας. Pro, τοῦ ἀδίκου: ut loquitur infrà v. 11. Ad verb. *Ex mamona injustitiæ.* Hebraismus, qualis versu superiore. Vocat autem divitias injustas, eò quòd plerunque

per

per injustitiam acquiruntur. *Recipiant vos.* δέξονται ὑμᾶς. Imò personaliter. Interim referendum hoc ad pauperes: qui suis precibus à Deo impetrant, ut divites qui ipsos divitiis suis ex charitate adjuverint, in tabernacula illa æterna recipiantur. Vel referendum ad sanctos angelos tanquam ordinarios illorum tabernaculorum incolas, qui in die judicii omnes pios colligent & in cælum recipient, Matth. 24. 31. *In æterna illa tabernacula.* εἰς τὰς αἰωνίας σκηνάς. Id est, in cœlum in quod recepti pii, semper cum Domino erunt, 1. Thess. 4. v. penult. Respicit autem Dominus his verbis ad verba illa dispensatoris, v. 4. *Ut recipiant me domòs suas.*

13 *Aut enim* &c. ἢ γάρ, &c. De ratione hujus disjuncti vide scholia in Matth. 6. v. 24. *Non potestis,* &c. οὐ δύνασθε, &c. Apodosis similitudinis, per ellipsin particularũ ὥσπερ οὕτως, nempè, οὕτω ὑμεῖς, Sic vos.

14 *Avari.* φιλάργυροι. Græca vox sonat amantes argenti, id est, pecuniæ. *Irridebant eum.* ἐξεμυκτήριζον αὐτόν. Vel, *Subsannabant eum.* Cæterùm præpositio ἐκ in verbo Græco videtur eandem habere vim quam habet in verbis Latinis, *Exsibilare, explodere:* Emphasin autem verbi Græci exprimunt Latini, quum dicunt, *Naso suspendere rem,* μυκτῆρα nasum significat.

15 *Apud homines.* ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Ad verb. In hominibus: id est, inter homines. hoc est, judicio & opinione hominum, *Coram Deo.* ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Id est, judicio & sententiâ Dei.

16 *Usque ad Johannem.* ἕως Ἰωάννου. Scil. προφήτευσαν, prophetarunt: ut exprimitur Matth. 11. 13. *In illud vi irrumpunt.* εἰς αὐτὴν βιάζεται. Id est, μετὰ βίας εἰσέρχεται seu εἰσβάλλει. *Quàm Legis unum apicem excidere.* τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν. Hinc apparet tempore Christi Biblia scripta fuisse cum punctis. Nec est, quod quis excipiat, apicis nomine intelligi posse literam jod: nam apud Matthæum duo ista, distinctè pronuntur tanquam diversa. Nec verò ad illum locum dici potest, alterum per alterum exponi: quum præcedat nomen ἰῶτα, sequatur κεραία. At si esset ἑρμηνεία, interpretatio, sive ἐξήγησις, addita expositio: tum κεραία tanquam generalius, per ἰῶτα tanquam speciatius, exponendum esset, *Excidere.* πεσεῖν. Pro, ἐκπεσεῖν.

Matth. κ' μὰ παρῆλθη, nequaquam præterierit: cap. 5. v. 18.

20 *Jacebat* ἐβέβλητο. Græcum sonat, *projectus erat*. Sed Latini (quod sciam) non sic loquuntur. Sic Marc. 7. 30. Invénit (Syrophœnissa) filiam jacentem (βεβλημένην) super lectum. Sic Matth. 8. 2. Obtulerunt ei paralyticum in lecto jacentem. βεβλημένον.

21 *Et desiderabat*. κ' ἐπεθύμει. Subaudiendum ἦν. Ad verb. Desiderans erat. Hebraismus.

22 *Et asportaretur*. κ' ἀπενεχθῆναι αὐτὸν. Id est, animæ ipsius. Synecdoche integri. *In sinum Abrahæ*, εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ. Id est, in locum quietis sive solatii: nempe in cælum, ubi tum erat anima Abrahæ. Metaphora à parentibus qui puerulos suos vel discursatione diurna fessos, vel ex adverso aliquo casu ejulantes, solatii gratiâ in sinum suum recipiunt, ut ibi suaviter quiescant. Denominatur autem locus ille quietis cælestis ab Abrahamo, tanquam patre credentium: quasi scilicet credentes laboribus atque ærumnis hujus mundi defessos in sinum suum colligat.

23 *Et in inferno*. κ' ἐν τῷ ᾅδῃ. Vetus interpres omissâ conjunctione καὶ, ista conjunxit cum præcedentibus, & a sequentibus divulsit: ut qui verterit, *Et sepultus est in inferno*. Simile exemplum corruptæ distinctionis occurrit Johan. 1. v. 3. & 4. nempe, *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat*. Cæterùm nomine τοῦ ᾅδου hic significari locum tormenti, id est, qui torquendis atque excruciandis in æternum impiis destinatus est (quem Latini Theologi infernum, profani verò authores orcum nominare solent) planum est tum ex ipsa phrasi, ἐν τῷ ᾅδῃ: tum ex collatione v. 28. ex verbis epulonis, ubi ait, *Ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti*. Istum locum Lucianus ὠδεὶ πὼς describit his verbis: τόπον τινὰ ὑπὸ τῇ γῇ βαθὺν, ᾅδην τοιετὸν εἶναι. μέγαν δὲ κ' πολυχωρον. τοῦτον δὴ κ' ζοφερὸν κ' αὐλιζον: id est, Locum quendam sub terra esse putant, ᾅδην nomine: eumq; magnum & capacem. hunc esse & caliginosum & solis expertem. Atque hinc dictus est ᾅδης per synæresin, pro ἀΐδης, quia voce utuntur Poëtæ: videlicet ex α privativo, & verbo ἰδεῖν, quod est videre: quia scilicet non videan-

videantur, hoc est, nullius aspectui pateant qui ibi degunt. Interdum tamen nomine ἅιδου ipse deus inferorum, Pluto scilicet, apud profanos authores intelligitur: unde istæ phrases, εἰς ἅιδου, scilicet οἶκον & εἰς ἅιδυ, scilicet οἶκον: id est, in Plutonis domo vel domum: quæ periphrasis orci est. Id Plutarchus in commentario, εἰ κακῶς εἶρται τὸ, λαδὶ βατέας, confirmat his verbis. τὸν ὅλεθρον, inquit, Ἀπολλωνια καὶ τινὲς παλαιοὶ θνησκειν νομίζοντες, ἄδλον καὶ Πύθιον προσαγορεύουσι. τὸν δὲ τῆς ψυχῆς μέρεων μοῖραν (εἴτε θεὸς, εἴτε δαίμων ἐστὶν) ἅιδην ὀνομάζουσιν· οἷς καὶ εἰκὸς ἀειδὲς καὶ ἄφραστον ἡμῖν, ὅταν διαλυθῶμεν, ἁθροίζονται τυγχάνειν καὶ ἥκιστα ἀγρίλοιδον ὑπάρχειν. Id est, *Solem secundum patrias & antiquas leges Apollinem esse. statuentes, Delium & Pythium appellant: oppositè verò partis dominum (sive is deus, sive dæmon est) ἅιδην nominant: tanquam nos quum dissolvimur in locum quendam inconspicuum atque invisibilem abeamus; noctis obscuræ pigrique somni dominum. Sublatis oculis*, &c. ἐκ τῆς ὀφθαλμίας, &c. Quæ deinceps narrantur, tanquam metaphoricè dicta accipi oportet: quum constet, illa non cadere in animas à corporibus separatas. Quid autem istis metaphoris docere Dominus velit, dictum est in analysi. *Vidit.* ὁρᾷ. Ad verb. *Vides.* Enallage temporis: ut appareat ex collatione versus sequentis. *In sinu eius.* ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. Ad verb. In sinibus eius: Idem significatur quod versu præcedente, nomine κόλπου numero singulari. Et sic prophani quoque authores loquuntur: ut Homerus Iliados 1. ——δάκρυα δὲ δεύεσκον κόλπους, Rigabantur autem lachrymis sinus. Tibullus: *Desuit in molles & sibi quisque sinus.*

24 *Extremum digiti sui.* τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ. Id est, τὸ ἄκρον μέρος, extremam partem. Ellipsin Græcam Cicero quoque retinuit de Divinat. ubi ait; *Calum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est.* quòd Græcè diceretur, ὑπερ ὃ τὸ ἄκρον καὶ τὸ ἔσχατον τοῦ κόσμου. scilicet μέρος: hoc est, extrema atque ultima mundi pars. Digiti autem nomine per synecdochen generis intelligitur hoc loco index: is enim est qui intingi solet præ cæteris. *Intinget in aquam.* βάψῃ ὕδατος. Pro, ἐν ὕδατι, vel εἰς ὕδωρ. Insolens synthesis: cuius tamen exemplum reperitur apud Aratum, ubi de fidere Cepheo loquens, inter alia scribit:

——τὰ μὲν εἰς κεφαλὴν μάλα πάντα
Βάπτων Ὠκεανοῖο. Id est,
—— Quæ quidem ad caput sunt, planè omnia
Tingens Oceano, seu, immergens in Oceanum.
Sic enim Cicero reddidit.
Hic caput & superas potui est demergere partes.

25. *Fili.* τέκνον. At quomodo vocat filium, qui jam erat damnatus? quum ipse appelletur pater credentium. Nempe respicit aut ad procreationem carnis, aut ad ætatem. *Bona tua.* τὰ ἀγαθά σου. Id est, tibi à Deo destinata. *Mala.* τὰ κακὰ. Scilicet ἑαυτῷ, id est, suâ: hoc est, sibi destinata. *Solatio fruitur.* παρακαλεῖται. Græcè unum verbum.

26. *Ad hæc omnia.* ἐπὶ πᾶσι τούτοις. Ad verb. Super hæc omnia: vel, ultra hæc omnia. *Inter nos & vos.* μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν. Inter nos scilicet qui in cælo sumus, & vos qui in inferno estis. Ex hoc exemplo judicari potest, confusionem intelligentiæ nasci ex confusa pronuntiatione literarum η & ι, quæ vulgò obtinuit: qua scilicet utraque illa litera pronuntiatur ut tertia Latinorum vocalis i. *Constitutum est.* ἐστήρικται. Firmatus est: id est, si mo Dei consilio constitutus.

28. *In hunc locum tormenti.* εἰς τοῦτον τὸν τόπον τῆς βασάνου. Hoc est, torquendis sive excruciandis damnatis à Deo destinatum. Periphrasis inferni.

29. *Mosen & Prophetas.* Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας. Id est, libros Mosis & Prophetarum. Metonymia efficientis.

OBSERVATIONES EX CAP. XVI.

Ex parabola de dispensatore injusto.

παράβ. 1. Divites debent largas dare eleemosynas. Rationes præcepti petuntur ex textu.

ἐπιτ. 2. Cavendum ne divitiis acquirendis nos dedamus. Rationem præcepti pete ex textu. Et confer locum Pauli 1. Tim. 6. v. 9. & 10.

ἐπιτ. Ex v. 15. Fugienda hypocrisis; quia Deus novit corda.

Fugienda

Fugienda item superbia: quia Deus superbos abominatur. ἰτ.

Ex v. 16. Ex verbis, *Lex & Prophetæ usque ad Johannem.* διδ.
Lex Mosaica ceremonialis non fuit lata ut semper duraret, sed ut aliquando abrogaretur. Abrogatio autem illa incipere debuit in adventu Johannis Baptistæ: ut qui in locum circumcisionis ex Dei mandato introduxit Baptismum: & digito demonstravit Christum, agnum illum, cujus oblatione non lõgè post sacrificia Veteris testamenti omnia debuerunt abrogari, tanquam typi illius venturi. Errant igitur Judæi; qui putant, ceremonias Mosaicas perpetua esse debere: easque proinde, quoad possunt, adhuc observant. ἴλ. ἰσ.

Ex eodem versu. Ex verbis, *Ab eo tempore regnum Dei annuntiatur.* διδ.
Doctrina de Christo in novo testamẽto seu post Christum exhibitum jucundior est quàm in Testamento vetere, seu ante Christum exhibitum: quia tunc fuit propheria de rebus per Christum salutis nostræ causâ gerendis: nunc verò est annuntiatio gestarum. Huc pertinet illud apophthegma Christi ad Apostolos; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: & beatæ aures quæ audiunt quæ vos auditis,* &c. Ergo hoc tantum Dei beneficium gratis animis agnoscamus, & doctrinam de Christo studiosè audiamus. παιδ.

Ex eodem versu, ex verbis: *Omnes in illud vi irrumpunt.* διδ.
Spiritus sanctus per prædicationem Evangelii efficax est in cordibus electorum: gignendo scilicet in illis Fidem, qua in regnum Dei veluti vi irrumpunt: dum de Dei erga se gratia per Christum cõciliata plenè persuasi sunt, ex eaque vitam æternam in cælo apud Christum fruendam magno desiderio expectant; Huc pertinet dictum Pauli Rom. 1. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti,* id est, instrumentum quo Deus potenter utitur ad fidem in electis efficiẽdam: per quam illi salutem æternam consequuntur.

Ex v. 17. Etsi cælum & terram ita præteribunt, ut immutentur ac renoventur, Psal. 102. 27. Esa. 65. 17. Item 2. Pet. 3. v. 10. & deinceps: tamen non ita præteribunt ut redigantur in nihilum. διδ. ἀπ. λύσ.

Ex eodem versu. Verbum Dei est immotæ veritatis διδ.

ac certitudinis. Itaque & pii vitam æternam ipsis in verbo Dei promissam certò possunt ac debent exspectare: & impii à cruciatibus gehennæ quos verbum Dei illis minatur, sibi debent metuere.

Ex v. 18. Vinculum conjugii tum arctum & sanctum est, ut non liceat illud solvere ex quavis causa. Licet autem illud solvere ex causa adulterii, Matth. 19. v. 9.

Ex historia de divite epulone & mendico Lazaro.

1. Fugiendus est luxus & immisericordia erga pauperes: quia Deus luxuriosos & immisericordes puniturus est cruciatibus gehennæ.

2. Paupertas & invaletudo corporis piis patienter toleranda est: quia in morte inde liberabuntur, & in cælum ad gaudia æterna transferentur.

3. Anima hominis post mortem corporis superstes est, atq; adeò immortalis: quippe quæ si pia fuerit, transfertur in cælum ad gaudia æterna: sin impia, abjicitur in gehennam ad æternos cruciatus.

4. Angelorum officium est, ministrare piis: & inter alia, animas ipsorum morientium deportare in cælum.

5. Cælum est veluti sinus in quo pii in ipsum recepti, tanquam infantes in sinu matris, suaviter quiescunt. Qui autem in sinum illum colligi cupiunt, eos oportere fidem ac pietatem Abrahæ in hac vita imitari.

6. Notetur testimonium de inferno, loco scilicet tormenti, id est, destinato impiis in æternum torquendis atque excruciandis, v. 23. 24. & 28.

7. Qui felicitatem quærunt in hac vita seu in bonis terrenis, nihil interim solliciti de altera vita & bonis cælestibus: illi justo Dei judicio bonis cælestibus in altera vita privantur, & contrà malis ineluctabilibus atq; intolerabilibus obruuntur, ex v. 25.

8. Qui mala hujus vitæ patienter ferunt, atq; interim Deo constanter serviunt, sperantes se aliquando à malis liberatum, siamque patientiam bonis cælestibus remuneratum iri: illi tandem sui voti compotes evadunt, ex eodem v. 25.

9. Status hominis post hanc vitam immutabilis est:

ita

ita ſcil. ut nec beati ſua felicitate excidere, nec damnati à ſuis cruciatibus liberari unquam poſſint, ex v. 26. Quare dum hîc vivimus, ſaluti noſtræ maturè proſpiciamus: nec pœnitentiam procraſtinemus. 2248.

10. Verbum Dei per Moſen & Prophetas, nec non Apoſtolos, nobis traditum, reverenter ac ſedulò nobis audiendum: & fide atque obedientia recipiendum eſt: ſi cruciatus gehennæ evitare & ad gaudia cœleſtia recipi cupimus: ex v. 27. & ſequentibus. 2248.

11. Scopus atque uſus verbi Dei eſt, ut per illud admoniti reſipiſcamus, atque ita cruciatus gehennæ evitemus, gaudiaq; cœleſtia conſequamur: ex v. 30. & 31. 2248.

ANALYSIS CAP. XVII.

ARGUMENTUM.

Dominus diſcipulos monet ut ſibi caveant à ſcandalis: præcipit quomodo ſe gerere debeant erga afficientem injuriâ, item erga deprecantem culpam: oſtendit quanta ſit vis ſeu efficacia fidei: declarat Deum gratiam ſuam nemini tanquam ex ipſius merito debere; ſanat decem leproſos: docet de adventu regni Dei. Ita ſunt ſex hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

De cavendis ſcandalis.

A*It autem diſcipulis, Contingere non poteſt ut non eveniant ſcandala: ſed væ illi per quem eveniunt.*

2 *Expedit ei ſi mola aſinaria circumponatur collo ejus, & abjectus fuerit in mare*, potiùs *quàm ut ſit ſcandalo uni ex pravis iſtis.*

3 *Cavete igitur vobis.*

A ſcandalis dandis dehortatur argumento ab effectu poxio, videlicet exitio æterno: quod ſignificat his verbis *Væ illi per quem eveniunt ſcandala*, v. 1. Hanc ſententiam amplificat bifariam: primùm à cauſa corrumpente cautionis per prolepſin, deinde à comparatione minoris. Corrumpentem cauſam cautionis, qua ſcil. fit ut ſcandala caveri

per omnia non possint, monet esse necessitatem: ubi ait, *Contingere non potest ut non eveniant scandala*, v. 1. quod idem valet ac si dicatur, Necesse est ut eveniant scandala. Si quæris, unde pendeat hæc necessitas: dico pendere partim à decreto Dei quo decrevit diabolo permittere ut excitet scandala, partim à malitia diaboli & infirmitate hominum, unde fit ut ille his identidem & facilè scandala persuadeat. Minoris comparatio est v. 2. ubi exitium æternum, quod scandala ex se pariunt, comparat cum exitio temporali, quale est subversio in mari, tanquam majus cum minore. Postremo ex isto argumento dehortationem istam deducit atque infert in principio versus tertii, ubi ait, *Cavete* igitur *vobis*.

PARS SECUNDA.

Præcipit discipulis, quomodo se gerere debeant erga afficientem injuriâ, item erga deprecantem culpam.

Si autem peccaverit in te frater tuus, objurga eum: & si pœnituerit eum, remitte ei.

4 *Et, si septies in die peccaverit in te, & septies in die reverta*tur ad te, dicens, Pœnitet me: remittes ei.

Fratrem, id est, proximum Christianam fidem unâ nobiscum profitentem, si nos affecerit injuriâ, præcipit ut objurgemus: hoc est, ut ei ostendâmus quòd egerit contra Legem Dei, ac proinde Deum peccando offenderit, à quo futurum sit ut puniatur, nisi eum peccati pœnituerit, ac proinde cum ingenua confessione culpam & à Deo & à nobis quos læsit, fuerit deprecatus. Jam si ille culpam fuerit deprecatus, atque ita ostenderit suam pœnitentiam: præcipit Dominus ut ei ignoscamus: hoc est, ut testificemur, Deum illi ignoscere, seu ut peccati remissionem illi ex verbo Dei annunciemus. Nam certè ad nos quod attinet, ignoscere proximo cuivis debemus, neque ullam privatæ vindictæ cupiditatem alere: sive illum pœniteat, sive non: & sive culpam deprecetur, sive non. Hoc præceptum amplificat v. 4. ab adjuncta quantitate pec-

per comparationem imparium & ratiocinationem à minori, in hanc ſententiam: Si frater vel ſepties per diem in te peccaverit, ac toties culpam apud te deprecatus fuerit: debes illi remittere. Quanto magis igitur, ſi tantùm ſemel atque iterum?

PARS TERTIA.

Oſtendit, quanta ſit vis ſeu efficacia fidei.

5 *Tunc dixerunt Apoſtoli Domino, Adde nobis fidem.*

6 *Dixit autem Dominus, Si haberetis fidem quantulum eſt granum ſinapi, diceretis huic ſycamino, Eradicator, & plantator in mari: & obediret vobis.*

Primùm narratur doctrinæ hujus occaſio, deinde doctrina ipſa. Occaſionem Domino ad hanc doctrinam diſcipulis proponendam præbuit petitio ipſorum: qua petebant, ſibi addi ſive augeri fidem. Dominus igitur ut oſtenderet, ſe hanc illorum petitionem approbare, monet rem illam quam ſibi dari petant, valdè pretioſam atque utilem eſſe: quippe per quam omnia ad ſalutem nobis neceſſaria impetrari à Deo poſſint. Hanc autem fidei vim atque efficaciam amplificat per collationem imparium, ratiocinando à minori, in hunc modum: Etiam parvula fidei portio res naturæ impoſſibiles rationi; humanæ incredibiles efficit: Ergo multo magis fides magna efficiet res non uſque adeò incredibiles. Cæterùm parvulam fidei portionem declarat ſimilitudine grani ſinapis: res verò incredibiles ſignificat ſyneodochicè exemplo eradicationis ſubitæ ſycamini & tranſplantationis in mari.

PARS QUARTA.

Declarat, Deum gratiam ſuam nemini tanquam ex ipſius merito debere.

7 *Quis autem veſtrùm habet ſervum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim, Accede, & diſcumbe?*

8 *Imò nónne dicet ei, Para quod cænem, & præcinctus miniſtra mihi uſquedum edam ac bibam: & poſtea edito tu & bibito?*

9 *Num gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ipsi præcepta fuerant? non puto.*

10 *Ita & vos, quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.*

Doctrinam hanc illustrat simul & confirmat exemplo simili patrisfamiliâs more recepto tractantis servũ suum. Quæ illustratio atque confirmatio præcedit v. 7. 8. & 9. doctrina ipsa per apodosin sive applicationem exempli annectitur v. 10. Summa est: Sicut paterfamiliâs non habet gratiam servo suo qui ministraverit ipsi, prout jussus fuerit: ita nec Deus gratiam habet hominibus, illísve tanquam bene de se meritis obstrictum se judicat, si maximè illi fecerint quæ ab ipso eis sunt præcepta. Ratio est: quia ut servus ministerium ipso jure debet suo hero: ita etiam homines ipso jure tenentur facere quæ Deus ipsorum creator ac redemptor eis præcepit.

PARS QUINTA.

Sanat decem leprosos.

11 *Et factum est, inter eundum Hierosolymam, ut ipse transiret per mediam Samariam & Galilæam.*

12 *Et quum ingrederetur in quendam vicum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul:*

13 *Et extulerunt vocem, dicentes, Jesu magister miserere nostri.*

14 *Qui quum eos vidisset, dixit eis; Profecti ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est ut inter abeundum purgati sint.*

15 *Unus autem ex ipsis, ut vidit se sanatum esse, revertit, glorificans Deum voce magnâ,*

16 *Et procidit in faciem ad pedes ejus, gratias ei agens: eratq; iste Samaritanus.*

17 *Respondens autem Jesus dixit, Nonne decem illi purgati sunt? novem autem illi ubi sunt?*

18 *Non sunt reperti qui redierint ut tribuerent gloriam Deo, nisi alienigena iste?*

19 *Et dixit ei, Surge et abi: fides tua te servavit.*

Primùm

Primùm narratur locus, 2. occasio, 3. causa impulsiva, 4. modus agendi, 5. miraculum ipsum, 6. eventus.

Locus ubi Dominus leprosos istos per miraculum sanavit, fuit vicus quidam sive Samariæ sive Galilææ, v. 11. & 12. Occasionem ei præbuit occursus illorum leprosorum, v. 12. Impulit verò ipsum petitio illorum, v. 13. Modus agendi fuit, quòd jussit eos ostendere sese sacerdotibus, tanquam scil. jam purgati essent, v. 14. Miraculum ipsum narratur his verbis, *Et factum est ut inter eundum purgati sint*, ibid. Eventus fuit, reversio unius ex illis decem ad Dominum & gratiarum actio, v. 15. & 16. Ubi ille simul describitur à gente unde erat oriundus, nempe quòd fuerit Samaritanus. Hic eventus declaratur deinceps è suo eventu, eoq; duplici, in ipso Domino: qui & de ingratitudine reliquorum novem questus fuit, & gratitudinem atq; fidem illius Samaritani collaudavit, v. 17. 18. & 19.

PARS SEXTA.

Docet de eventu regni Dei.

20 *Interrogatus autem à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei: respondit eis, & dixit, Non veniet regnum Dei ita ut observari possit.*

21 *Neque dicent. Ecce hic, aut, ecce illic. ecce enim, regnum Dei intra vos est.*

22 *Dixit autem discipulis, Veniet tempus quum desiderabitis videre* vel *unum ex diebus Filii hominis: nec videbitis.*

23 *Et dicent vobis, Ecce hic, aut, ecce illic:* sed *ne abite, neq; prosequimini.*

24 *Nam sicut fulgur corruscans ex* una regione *quæ sub cælo est, in alteram quæ sub cælo est, splendet: ita erit & Filius hominis in die suo.*

25 *Sed prius oportet eum multa pati, & reprobari à natione ista.*

26 *Et prout factum est in diebus Noe, ita erit etiam in diebus Filii hominis.*

27 *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum usque diem quo introivit Noe in arcam: veniq;*

diluvium, & perdidit omnes.

28 *Similiter etiam ut accidit in diebus Lot: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant:*

29 *Quo autem die Lot exiit Sodomis, pluit igni & sulphure è cælo, & omnes perdidit:*

30 *Secundùm hæc erit dies quo Filius hominis revelabitur.*

31 *In illo die qui fuerit in solario, & vasa ejus in ipsa domo, ne descendat ad ea tollenda: & qui in agro, similiter non revertatur retrò.*

32 *Mementote uxoris Lot.*

33 *Quicunque studuerit animam suam servare, perdet eam: & quicunque eam perdiderit, vivificabit eam.*

34 *Dico vobis, illâ nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur.*

35 *Duæ erunt molentes simul: una assumetur, & altera relinquetur.*

36 *Duo erunt in agro: unus assumetur, & alter relinquetur.*

37 *Tunc respondentes dicunt ei, Quò Domine? Ipse verò dixit eis, Ubi corpus est illuc congentur & aquilæ.*

Primùm narratur doctrinæ hujus occasio, deinde doctrina ipsa. Occasionem Domino ad hanc doctrinam proponendam præbuit quæstio ipsi proposita à Pharisæis, de tempore adventus regni Dei, id est, regni Messiæ seu Christi per Prophetas jam olim populo Dei promissi, v. 20. Doctrina ipsa est partim de regno Dei quale est in hoc mundo, partim de eodem quale futurum est à fine hujus mundi: quorum illud regnum gratiæ, istud verò regnum gloriæ nominari solet. De regno gratiæ docet formam adventus, seu quomodo illud veniat ad eos ad quos venit, nempe occultè, in cordibus scilicet electorum per occultam operationem Spiritus sancti: ubi ait, *Non veniet regnum Dei cum observatione*, μετὰ παρατηρήσεως, id est, ita ut observari possit: *Neque dicent, Ecce hic, aut, Ecce illic*, scilicet est Christus. *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* id est, in cordibus vestris, nempe eorum qui ex vobis sunt electi: in his enim solis gratiosè operatur Spiritus sanctus. Ubi observandum, dictum hoc

hoc Domini non esse intelligendum simpliciter: sic enim sibi ipse contradiceret, qui paulo pòst affirmat, adventum filii hominis in regnum suum fore illustrem instar fulguris: sed intelligendum est secundùm aliquid, videlicet de regno ipsius quale est in hoc mundo: de hoc enim Pharisæi interrogarunt, quippe qui non nisi mundanum Christi regnum exspectabant. Dominus igitur respiciens ad illorum mentem, non directè respondet ad quæstionem, sed ad falsam hypothesin in qua quæstio erat fundata: quasi scilicet regnum Christi in hoc mundo venturum esset cum externo & in oculos incurrente splendore, unde possit agnosci ipsum jam adesse. Hoc igitur Dominus negat: & contrà affirmat, regnum Dei in hoc mundo venire occultè, videlicet in corda hominum electorum per occultam operationem Spiritus sancti. Quod ipsum docuit quoque in colloquio cum Nicodemo: cui dicebat, *Ventus quò vult, spirat: & sonum ejus audis: sed nescis unde veniat, & quò vadat: ita est quisquis genitus est ex Spiritu*, Johan. 3. v. 8. Atque hæc de adventu regni Dei quale est in hoc mundo. De adventu autem regni Dei quale futurum est à fine hujus mundi, doctrinam proponit non jam ampliùs Pharisæis, quorũ quæstioni satisfecerat: sed discipulis suis. qua sermonis aversione videtur innuere regnum illud gloriæ, quod à fine demum hujus mundi incepturum est, nihil ad Pharisæos, quippe hostes suos, attinere: sed tantùm ad suos discipulos. Cæterùm de regno gloriæ tradit quinque: tempus, formam seu modum, adjunctum adhærens, objectum, & subjectum locum. Ad tempus quod attinet, docet illud venturum nõ ita brevi: quod ipsum declarat ex rebus antecessuris, numero tribus: videlicet cladibus populi Judaici, passione sua, & securitate mundi bene diu duraturа. De cladibus eventuris populo Judaico, loquitur v. 22. & 23. ubi ait, *Venient tempus quum desiderabitis videre* vel *unum ex diebus Filii hominis: nec videbitis. Et dicent vobis, Ecce hìc, aut, Ecce illìc.* Quibus verbis clades Judæis eventuras significat partim ex effectu in piis, partim ex eventu in impiis. Effectus in piis, erat desiderium adventus regni

glorioſi Chriſti: quod deſiderium hîc amplificatur à mi-
nori: *Deſiderabitis videre* vel *unũ ex diebus Filii hominis*: quaſi
dicat, Quanto magis plures? Eventus in impiis, erat falſa
prophetia illorum qui populo oſtenſuri erant falſos Chri-
ſtos, per quos nimirum ex iſtis cladibus ſint eripiendi, ubi
ait: *Et dicent* (ſcilicet pſeudoprophetæ) *vobis, Ecce hic*. ſci-
licet eſt Chriſtus. *aut, Ecce illic*. Porrò prophetiam illam
ſuam de venturis falſis prophetis & falſis Chriſtis ampli-
ficat adjunctâ admonitione de illis cavendis, inquiens:
Ne abite, neque proſequimini, ſcilicet illos falſos Chriſtos
quos oſtenderint falſi prophetæ. Tum rationem admo-
nitionis ſubjungens, eo ipſo exponit formam ſeu modum
adventus ſui in regnum ſuum glorioſum: & ſignificat illũ
fore illuſtrem, adeò ut in oculos totius mundi incurrat,
v. 24. quod ipſum ſimilitudine fulguris ſive ſpationis ra-
diorum ſolis orientis declarat. Quo ipſo ſimul ſignificat,
adventũ illum ſuum fore celerem ac repentinum. Poſtea
v. 25. ad notationem temporis redit, & affirmat, Chriſtũ
prius oportere multa pati, & à natione iſta (Phariſæorum cæ-
terorumq; illis ſimilium impiorum Judæorum) *reprobari*.
Tum ad tertiam temporis notationem pergit, ibiq; ſimul
modum ſeu formam & adjunctum adhærens comprehen-
dit: affirmans magnam ante Chriſti in glorioſum ſuum
regnum adventum futuram in mundo ſecuritatem & con-
temptum verbi Dei: eamq; bene diu duraturam: ac tum
denique ipſum adventurum, idq; derepente atque ex im-
proviſo, & cum interitu impiorum. Quæ ſingula declarat
exemplis Scripturæ ſimilibus, numero duobus: videlicet
dierum Noë, & dierum Lot. Securitatem notat his ver-
bis, v. 27. *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur
nuptum*. ſcilicet hiſce rebus unicè intenti, neque interim
ſolliciti de Deo rectè colendo, neque auſcultantes moni-
tis Noachi præconis juſtitiæ. Et rurſus v. 28. *Edebant, bibe-
bant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant*. nempe iſtis
rebus penitus addicti, & tanquam perpetuò in hoc mun-
do victuri, & variis illius voluptatibus perfruituri: indul-
gentes luxui ac libidini, ſuisq; flagitiis piam animam juſti
Loti torquentes. Durationem bene diuturnam iſtius
ſecuritatis

ſecuritatis notat, quum ait: *Prout factum eſt in diebus Noë*, v. 26. Item, *Ut accidit in diebus Lot*, v. 28. ubi dierum nomine decurſus complurium annorum ſignificatur, puta ſeculum vel ſecula. Denique adventum ſuum fore repentinum, oſtendit his verbis: *Ad eum uſque diem quo introivit Noë in arcam: venitq; diluvium & perdidit omnes*, v. 27. Et rurſus v. 29. *Quo autem die Lot exiit Sodoma, pluit igni & ſulphure à cælo, & omnes perdidit.* Quibus verbis ſimul exponit adjunctum adhærens, nempe adventum ſuũ conjunctum fore cũm interitu impiorũ: ut patet. Poſtea v. 31. redit ad clades quas prædixerat, & monet quomodo ſe in illis debeant gerere. Præcipit autem duo: unum, ut fugâ celerrimâ ſaluti ſuæ conſulant, v. 31. & 32. alterum, ut ad ſupplicia rapti, conſtanter nomen ipſius & doctrinam confiteantur, v. 33. Celeritatem fugæ ſignificat expoſitione cauſarum corrumpentium: quas notat duas, deſiderium aſportandi ſua bona, v. 31. & deſiderium videndi eventum: quod deſiderium ſignificat ſub exemplo curioſitatis uxoris Loti, contra Domini præceptum inter exeundum reſpectantis ut videret quid fieret de urbe Sodomorum, v. 32. ubi ſimul præcepti rationem innuit ab effectu damnoſo: fore ſcilicet, ut niſi fugâ ſibi quamprimùm conſulant, damno afficiantur: ut accidit uxori Loti, quæ in ſtatuam ſalis converſa fuit. Simili argumento alterum quoque præceptum confirmat: ubi ait, *Quicunque ſtuduerit animam ſuam ſervare* (ſcilicet abnegando me & doctrinam meam) *perdet eam*, videlicet æterno exitio. *Et quicunque eam perdiderit* (ſcilicet ſupplicio affectus, propter confeſſionem mei ac doctrinæ meæ) *vivificabit eam*, vitâ ſcilicet æternâ. Atque hæc de adventus ſui glorioſi tempore, forma ſeu modo, & adjuncto adhærente. Jam ad objectum quod attinet, quóſnam ſcil. homines in regnum illud ſuum ſit aſſumpturus: pronuntiat, non omnes promiſcuè aſſumptum iri, ne illos quidem qui in hoc mundo conjunctiſſimè unâ vivunt, & inter ſe ſimillimi videntur: cujuſmodi conjunctionis & vitæ ſimilitudinis tria exempla ponit: primum *cubantium in eodem lecto*, v. 34. ſecundum *unâ molentium*, verſ. 35. tertium *unâ laborans-*

tium in agro, vers. 36. Ait autem, ex duobus talibus assumptum iri alterum, alterum verò relictum iri. Si quæris, quinam assumendi sint, qui relinquendi: id docet Dominus Matth. 25. v. 31. & deinceps: nempe assumptum iri oves, id est, pios: relictum verò iri, imò in gehennam relegatum iri hœdos, hoc est, impios. Atque hæc de objecto adventus Domini, in regnum gloriosum. Jam postremò ad subjectum locum quod attinet, in quem pii à Domino assumentur ut ibi una cum ipso in æternum regnent: ejus indicandi narratur primùm occasio, deinde ipse locus significatur periphrasi ex adjuncto inhærente. Occasionem Domino ad locum glorioſi ſui regni diſcipulis hîc indicandum præbuit ipſorum quæſtio, *Ubi Domine?* Scilicet est locus ille in quem cives regni tui glorioſi assumentur: ex collatione præcedentium. Adjunctũ inhærens à quo locus ille describitur, est ipse Dominus, nam ubi ipse erit, ibi erunt quoque quos Pater ei dedit, Johan. 17. v. 24. Ipse autem erit in cælo: nam illò fuerat ascensurus, illò ascendit, inde venturus est ad judicium, illò redibit assumptis electis suis. Hanc autem sententiam significat sermone allegorico & proverbiali: quo se quidem cadaveri, suos verò aquilis comparat, quo ipso innuit veros Christianos acri desiderio Christi potiundi atque fruendi teneri: sicut aquilæ ad cadaver magno numero convolant, ut inde pascantur.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

1 *Contingere non potest ut non eveniant*, ἀνένδεκτόν ἐϛι μὴ ἐλθεῖν. Dicitur ἀνένδεκτον, τὸ μὴ ἐνδεχόμενον, seu ὅπερ οὐκ ἐνδέχεται γενέϛθαι, quod non contingit ut fiat. Ex α privante & nomine verbali ἐνδοχὴ: quod descendit ab ἐνδέχομαι. Videtur autem hoc verbum à Luca factum: pro quo Græci usitatè dicunt ἀδύνατον: cui opponitur τὸ ἐνδεχόμενον & τὸ ἀναγκαῖον. *Illi per quem.* δι' ὃ. Pro, ἐκεῖνον δι' ὃ. Ellipsis pronominis.

2 *Expedit ei si* &c. potiùs *quàm ut* &c. λυσιτελεῖ αὐτῷ ἐὰν &c. ἢ ἵνα, &c. Pro, λυσιτελήσειεν αὐτῷ εἰ μὴν εἰ &c. Utilius ei esset

esset si &c. quàm ut &c. Potius *quàm.* ἢ. Pro, μᾶλλον ἢ. *Uni.* ἑνα. Pro, ἢ ἵνα, vel uni, quasi dicat, Nedum ut plurib. *Ex parvis istis.* ἀπὸ μικρῶν τούτων. Ex collatione cum Matth. 18. v. 6. videtur hoc intelligendum de pueris. Veruntamen nihil absurdi fuerit, intelligere hîc parvos, homines plebejos adultos, qui in ipsum credebant: eò quòd plerique ipsorum essent abjecti & contempti. Confer Matth. 11. 25. & Johan 7. v. 48. & 49.

3 *Cavete igitur* πρόσεχετε ἑαυτοῖς. Scilicet ne quem ex parvis istis offendatis. Hæc sententia adjungi debuit versui præcedenti. *Si peccaverit in te.* ἐὰν ἁμάρτῃ εἰς σέ. Vide scholia in Matth. 18. v. 15.

7 *Accede.* παρελθὼν. Pro, προσελθὼν.

8 *Quod cenem.* τί δειπνου. Pro, ὅ, τι δειπνήσω. Interrogativum pronomen pro relativo.

11 *Per mediam Samariam.* διὰ μέσου Σαμαρείας. Ad verb. *Per medium Samaria.*

13 *Magister.* ἐπιστάτα. Ad verb. *Præfecte.* Sic sup. 5. 5.

18 *Non sunt reperti &c.* οὐχ εὑρέθησαν &c. Legendum cum interrogatione: atque sic legit Syrus. Est autem ista interrogatio admirantis ac detestantis ingratitudinem istorum. quasi dicat: Quis non miretur ac detestetur tantam ingratitudinem?

20 *Ita ut observari possit.* μετὰ παρατηρήσεως. Ad verb. *Cum observatione*: id est, cum splendore qui incurrat in oculos & observari possit. Metonymia adjuncti. Intelligit splendorem mundanum, qualem sibi Pharisæi de regno Christi imaginabantur.

21 *Intra vos est.* ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. Id est, in cordibus vestris. Significat regnum Dei esse spirituale: & interiorem Spiritus sancti operationem opponit externo splendori regnorum mundanorum.

22 *Non videbitis.* οὐκ ὄψεσθε. Vel, Sed non videbitis.

24 *Ex una regione quæ sub cælo est, in alteram quæ sub cælo est.* ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν. Subaudiendũ videtur γῆς & γῆν: estq; repetitio nominis Hebraïca. *In die sua.* ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ. Id est, in die adventus sui ad judicium, quo electos suos ad se assumet in cõmunionem regni sui.

30 *Detegetur.* ἀποκαλύπτεται. Vel, patefiet. Pro, λυθήσεται.

31 *In solario.* ἐπὶ τῶν δωμάτων. Vel, supra domum: nempe in recto.

34 *Illâ nocte.* ταύτῃ τῇ νυκτί. Qua scil. venturus est filius hominis ad judicium. παύτῃ, pro, ἐκείνῃ. *Assumetur.* παραλήμπτεται. Scil. à filio hominis, ut sit cum ipso. Sic v. seq. *Relinquetur.* ἀφίεται. Omittetur: non assumetur.

35 *Duæ erunt molentes.* δύο ἔσονται ἀλήθουσαι. Dictum ex consuetudine veterum.

37 *Quò Domine?* ποῦ κύριε; Scil. Assumentur illi de quibus dixisti. Vel, *Ubi Domine?* Scilicet est locus ille in quem cives regni tui gloriosi assumentur. Sed prius simplicius: res quidem eodem redit. Hæc expositio confirmatur ex collatione responsionis subjectæ: *Ubi corpus est*, &c. id est, Quemadmodum aquilæ eò gregantur ubi cadaver est: ita pii assumentur eò ubi ego futurus sum, h. e. in cælum. *Corpus.* σῶμα. Id est, cadaver, πτῶμα. Synecdoche generis, nam cadaver est corpus mortuum.

OBSERVATIONES EX CAP. XVII.

vulg. Ex v. 1. & 2. Scandala sollicitè cavenda sunt. hoc est, Cavere debemus, ne proximum exemplo nostro corrumpamus deteriorémve reddamus: sive dictis sive factis. Contrà verò studere debemus illi ædificando, hoc est, salutem ejus tum sermone tum bonis exemplis promovendo.

vulg. Ex v. 3. Si proximus qui se Christianum profitetur, injuriâ aliquâ nos affecerit, debemus eum objurgare, hoc est, ostenso peccato ad pœnitentiam exhortari.

vulg. Ex eodem versu. Si proximus qui nos offendit, pœnitentiam suam nobis ostenderit: debemus illi ignoscere, divinamq; remissionem annuntiare.

vulg. Ex vers. 4. Ad ignoscendum proximo faciles esse debemus.

vulg. Ex v. 5. Exemplo Apostolorum orare Deum subinde debemus, ut nobis augeat fidem.

Ex

Ex v. 6. Fides res quoque naturæ impossibiles à Deo impetrat. *dist.*

Ex v. 7. & sequentibus. Homines à Deo nihil boni merentur, etiamsi (quod in hac vita nemo potest) legem ipsius perfectè observarent: quia ad obedientiam ei obligati sunt tanquã domino suo, ipso jure creationis & conservationis. Quòd autem Deus perfectè observantibus legem ipsius, promisit omnis generis bona tum in hac, tum in futura vita: ac multo magis, quòd hanc promissionem fecit credentibus in Christum & perfectæ observationi legis studentibus, quam tamen in hac vita nunquã assequuntur: id ex gratia & liberalitate fecit: ac proinde ex jure quidem promissionis bona iis debet qui conditionem sub qua promissio facta est, implent: non tamen ex illo merito ipsorum. *dist.*

Ex historia de sanatis decem leprosis.

1. Exemplo Samaritani monemur, officii nostri esse ut accepto à Deo beneficio aliquo, gratias ei agamus. *παρ.*

2. Exemplo reliquorum novem monemur, maximam hominum partem beneficia Dei in se collata ingrato silentio sepelire. *dist. παρ.*

3. Sanatione miraculosã leprosi monemur, Christum esse animarum quoque nostrarum medicum: qui illas à lepra peccati purgat sanguine & spiritu suo. *dist.*

4. Exemplo Samaritani docemur, fide res naturæ impossibiles à Deo impetrari. *dist.*

Ex sermone Domini de adventu regni Dei, v. 20. & seq. Regnum Dei in scriptura duobus modis dicitur. Interdum status ille hominis quo is regitur à Deo gratiosè: interdum verò status ille quo ipse homo regnat gloriosè. quorum illud regnum gratiæ, illud verò regnum gloriæ, docendi causã nominari solet. De priore ait hoc loco Dominus Phãrisæis: *Regnum Dei non venit cum observatione*: id est, cum splendore externo ac mundano. Item, *Regnum Dei intra vos est*: hoc est, in cordibus vestris: (nempe eorum qui ex vobis sunt electi) videlicet gratiosa operatio Spiritus sancti: per verbum Dei auditum, lectum, meditatum, illuminantis mentem cognitione voluntatis *dist.*

Dei, quomodo ſcilicet ipſe à nobis velit coli: nec non flectentis voluntatem in promptum obſequium voluntatis Dei cognitæ. De eodem dixit Dominus ad Pilatum, *Regnum meum non eſt ex hoc mundo.* Item, *Ego ad hoc natus ſum & ad hoc veni in mundum, ut dem teſtimonium veritati.* Johan. 18. v. 36. & 37. Item ad diſcipulos Matth. 6. v. 33. *Quærite primo regnum Dei & juſtitiam ejus.* ubi ἐπεξηγητικῶς declaratur, Regnum Dei eſſe juſtitiam Dei, h. e. quam Deus ab homine poſtulat, & qua ab ipſo coli vult.

De regno verò gloriæ loquuntur hæc dicta. 2. Tim. 2. v. 12. *Si toleramus* (ſcilicet cum Chriſto) *etiam cum eo regnabimus* Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi.* Luc. 22. verſ. 29. & 30. *Ego diſpono vobis, prout diſpoſuit mihi pater meus, regnum: ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël.* De eodem accipio petitionem orationis Dominicæ ſecundam, *Veniat regnum tuum.* nam de regno gratiæ loquitur petitio tertia, *Fiat voluntas tua*, &c. ubi petimus ut Deus nos regat ſuo Spiritu, ut voluntati ipſius patefactæ alacriter obſequamur: quippe quum aliter regnum illud gloriæ, tanquam gratuitum præmium, adipiſci non poſſimus.

ibid. Ex v. 24. Adventus Chriſti ſeu reditus in hunc mundum ad recipiendum nos in cælum ad communionem regni ſui glorioſi, erit conſpicuus & illuſtris, itemque ſubitus ſeu repentinus. Hinc nominatur ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου, apparitio adventus Domini, ſeu illuſtris adventus Domini, 2. Theſſ. 2. v. 8. Confer Matth. 25. v. 31. 2. Pet. 3. v. 10.

ibid. Ex v. 25. collato cum 24. Sicut Chriſtum oportuit priùs pati perſecutionem mundi, quàm introiret in regnum ſuum cæleſte atque glorioſum: ita pati quoque oportet eos qui ei adhærent & ad ipſum pertinent. Oportet enim membra capiti conformari primùm in cruce deinde in gloria. Hinc illud Pauli Act. 14. v. 22. *Oportet per multas tribulationes nos ingredi in regnum Dei.* Et Rom. 8. v. 17. *Si filii ſumus: ſumus etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem*

autem Christi. Si modò simul cum eo patimur, ut simul cum eo glorificemur. Item 1. Tim. 2. v. 11. & 12. *Si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus: si toleramus, etiam cum eo regnabimus.* Et epist. 2. cap. 3. v. 12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Hoc facit ad piorum consolationem, quum propter Christum seu confessionem doctrinæ Christi persecutionem patiuntur. *prop.*

Ex v. 26. & sequentibus. Quum hodie cernamus magnam plurimorum securitatem carnalem: colligendum inde nobis est, diem Domini non procul abesse: quia ipse talem securitatem sub adventum suum in mundo fore prædixit. Interim nobis opera danda, ne nos malis mundi exemplis ad imitandum abripi patiamur: contraq; perpetuò vigilandum ac orandum. *diſ. propoſ.*

Ex v. 32. Exemplo pœnæ qua affecta fuit uxor Loti, moneamur de cavenda curiositate: ne scilicet curiosè inquiramus in ea quorum cognitionem Deus nobis vetuit. *ter.*

Ex v. 33. Oremus Deum ut det nobis constantiam in confitenda cælesti veritate: ne studio servandi vitam per veritatis negationem, vitam æternam amittamus: sed potiùs ut vel cum amissione hujus vitæ, veritatem cælestem confitentes, vitam æternam consequamur. Huc pertinet illud Pauli Rom. 10. *Ore fit confessio ad salutem.* *propoſ.*

Ex v. 34 35. & 36. In fine mundi inopinata fiet rerum metamorphosis: adeò ut qui conjunctissimè inter se vixerint atque conversati sunt, in adventu Domini distrahantur: ita scilicet ut alii (nempe pii) à Christo assumantur atque in cælum transferantur: alii verò (nempe impii) ab eodem relinquantur, & in gehennam abjiciantur. *diſ.*

Ex v. 37. Sicut aquilæ congregantur ad cadaver odoratu etiam è longinquo perceptum, ut illo vescentes fruantur: sic fideles congregabuntur suo tempore in cælum ad Christum, qui pro ipsis factus est cadaver, ut odore suavissimo (qualis nimirum aquilis est odor cadaveris) eos alliceret. Spirat enim cadaver illud gratiam Dei ac favorem erga fideles paternum. Itaque fideles cogi- *diſ. propoſ.*

tationibus ſuis in cælum ad fruendum Chriſto ſubvolare debent: donec detur ipſis corporibus eò transferri. Confer Coloſſ. 3. v. 1.

ANALYSIS CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Dominus proponit parabolam de judice injuſto & vidua: deinde parabolam de Phariſæo & publicano orantibus: tum jubet ſibi adduci pueruloſ: poſtea reſpondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam: eaque occaſione monet de periculo divitiarum: confeſſoribus ſuis promittit remunerationem: iterum prædicit Apoſtolis paſſionem ſuam & reſurrectionem: poſtremò ſanat quendam cæcum.

PRIMA PARS.

Parabola de judice injuſto & vidua.

Dixit autem eis etiam parabolam huc ſpectantem, quòd oportet ſemper precari, nec ſegneſcere:

2 *Dicens, Judex quidam erat in quadam urbe qui Deum non timebat, nec homines reverebatur:*

3 *Erat autem in illa urbe quædam vidua, quæ venit ad eum, dicens, Vindica me ab adverſario meo.*

4 *Ille autem noluit per multum tempus: poſtea verò dixit apud ſe; Etſi Deum non timeo, nec homines revereor:*

5 *Tamen quia moleſtiam mihi exhibet vidua iſta, vindicabo eam; ne perpetuò veniens obtundat me.*

6 *Ait autem Dominus, Audite quid judex ille injuſtus dicat.*

7 *Deus autem non vindicaturus eſſet electos ſuos, clamantes ad ipſum die ac nocte, etiamſi iram differat ſuper ipſis?*

8 *Dico vobis, vindicabit eos citò. Verumtamen Filius hominis, quum venerit, num reperturus eſt fidem in terra?*

Primò indicatur parabolæ ſcopus, deinde parabola ipſa recitatur, tum apodoſis ſive applicatio ſubjicitur, poſtremò

postremò occasione doctrinæ propositæ per appendicem annectitur querela de multitudine injustorum. Scopus parabolæ ab Evangelista indicatur his verbis: *Dixit autem eis etiam parabolam hunc spectantem, quòd oporteat semper precari nec segnescere.* Videlicet exemplo illius viduæ quæ injustum judicem tamdiu de sese vindicanda precibus sollicitavit, donec impetravit. Parabola recitatur v. 2. 3. 4. & 5. Apodosis v. 6. & deinceps: ubi præter scopum in principio indicatum, qui est παιδεία seu præceptio officii, continetur διδασκαλία, doctrina de precum effectu: quòd videlicet electorum preces à Deo exaudiantur & vindicationem ipsorum impetrent: ex qua doctrina præceptio illa nascitur, vi argumenti ab effectu utili. Deducitur autem ista doctrina ex recitata parabola per ratiocinationem à minori, in hunc sensum. Si judex ille injustus, tandem se exorari passus est vt vindicationem viduæ susciperet: multò magis Deus vindicabit electos suos, clamantes ad ipsum die ac nocte. Sed verum antecedens. Verum igitur & consequens. Consequens amplificatur primùm oppositione causæ contrarii seu causæ corrumpentis, quæ scilicet videri potest impeditura esse illam vindicationem: ea est, dilatio seu longior mora: ibi, *Etiamsi iram differat super ipsos.* Deinde ab adjuncta certitudine: quam notat adverbio *citò*, per synecdochen speciei. nam quicunque citò aliquid agit, idem certò agit: at non qui aliquid certò acturus est, citò acturus est. Alioquin si propriè ista vox hic accipiatur, Christus sibi ipsi contradiceret: qui modò affirmavit, Deum vindictam suam differre. Si differt: quomodo igitur vindicat citò? Nempe citò, id est, certò, suo tempore, eoque tempestivo. Querela annectitur occasione mentionis illorum qui pios affligunt & injuriis perpetuis afficiunt. Queritur autem, maximam illorum sub ipsius adventum, id est, circa finem hujus mundi, multitudinem fore: ibi, *Veruntamen Filius hominis* &c. ubi ex defectu fidei significatur omnis impietas & injustitia. Soli enim fideles & Deum piè colunt, & justè erga proximum vivunt.

PARS SECUNDA.

Parabola de Phariſæo & Publicano orantibus.

9 *Dixit autem etiam contra quoſdam qui ſibi perſuaſerant ſe juſtos eſſe, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam iſtam:*

10 *Duo homines aſcenderant in templum precandi causâ, unus Phariſæus, & alter Publicanus:*

11 *Phariſæus quum conſtitiſſet, hæc apud ſe precabatur; O Deus, gratias ago tibi quòd non ſim ut reliqui homines, rapaces, injuſti, mœchi: vel etiam ut iſte Publicanus.*

12 *Jejuno bis heldomade, decimo quæcunque poſſideo.*

13 *Publicanus autem procul ſtans, nolebat vel oculos in cælum attollere: ſed percutiebat pectus ſuum dicens; O Deus, propitius eſto mihi peccatori.*

14 *Dico vobis, deſcendit iſte juſtificatus domum ſuam* potiùs *quàm ille: quia quicunque ſe extollit, deprimetur: & qui ſe deprimit, extollatur.*

Primùm indicatur parabolæ hujus ſcopus: deinde recitatur parabola ipſa vel potiùs exemplum quoddam ſpeciale. Scopum indicat Evangeliſta his verbis, *Dixit autem etiam contra quoſdam qui ſibi perſuaſerant ſe juſtos eſſe, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam iſtam.* Propoſitum igitur fuit Domino damnare faſtum juſtitiariorum atque hypocritarum, quales præcipuè erant Phariſæi: unde etiam exemplum Phariſæi adducit. Summa eſt: Etſi Phariſæi & Scribæ, aliique iſtis ſimiles, juſti ſibi videntur, ſuorumque operum juſtitiâ Deo accepti eſſe: tamen revera juſti à Deo non judicantur, nec ei accepti ſunt: quin potiùs propter ſuperbiam ac faſtum ſummopere ei diſplicent, & ab eo deprimentur in gehennam uſque: niſi ſcilicet reſipuerint. nam hic eſt admonitionum ſcopus, ut electi de periculo admoniti, maturè reſipiſcant. Contrà qui ſibi propter peccata ſua ipſimet diſplicent, Deique gratiam in Chriſto promiſſam implorant: illi demum pro juſtis à Deo habentur, ac proinde in cælum ſuo tempore extollentur.

PARS

PARS TERTIA.

Jubet ſibi adduci puerulos.

15 *Adducebant autem ad eum etiam puerulos, ut eos tangeret: quum autem hoc vidiſſent diſcipuli, objurgarunt eos.*

16 *Jeſus verò quum illos advocaſſet, dixit; Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos: talium eſt enim regnum Dei.*

17 *Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puerulus, nequaquam introibit in illud.*

Primùm narratur mandati hujus occaſio, deinde cauſa impulſiva, tum mandatum ipſum, poſtea ratio mandati, poſtremò amplificatio. Occaſionē Domino ad hoc mandatum præbuit, quòd quidam puerulos ultrò ad ipſum adducebant. Quod factum illuſtratur ex fine ſeu ſcopo: nempe quòd illos adduxerint ut Dominus eos tangeret, hoc eſt, per impoſitionem manuum eis benediceret ſeu fauſta precaretur. Impulit Dominum ad hoc mandatum objurgatio diſcipulorum, qua conabantur illos à pueris adducendis avertere & adductione prohibere. Mandatum recitatur v. 16. ibi. *Sinite* &c. Ratio mandati ibidem, *Talium eſt enim regnum Dei.* Argumentum eſt à cauſa finali. Si puerulorum in Eccleſia natorum eſt regnum Dei, hoc eſt, ſi illis paratum eſt regnum Dei ut aliquando in illud introducantur: ergo non eſt illis deneganda mea benedictio: quippe quæ huc deſtinata eſt ut idonei ad regnū Dei capeſſendum reddantur. Amplificatio annexa, ſumpta eſt à comparatis v. 17. Sententia eſt: Tantum abeſt ut pueros à regno Dei conſequendo impediat puerilis ætas ac ſimplicitas: ut ipſos quoq; adultos pueris ſimiles fieri oporteat, ſi velint regnum Dei adipiſci: ſimiles ſcilicet illis in ſimplicitate atque innocentia.

PARS QUARTA.

Reſpondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam.

18 *Tunc interrogavit eum quidam ex primoribus, dicens; Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?*

19 *Dixit autem ei Jeſus, Cur me dicis bonum? nemo bonus niſi*

unus, nempe *Deus*.

20 *Mandata noſti, Ne mœchatus, Ne occidito, Ne furator, Ne falſum teſtimonium dicito, Honora patrem tuum et matrem tuam.*

21 *Ille autem dixit, Hæc omnia obſervavi à juventute mea.*

22 *Jeſus verò his auditis dixit ei, Adhuc unum tibi deeſt: quæcunque habes vende, & diſtribue pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.*

23 *At ille, his auditis, triſtis factus eſt: nam dives erat valde.*

Primò recitatur quæſtio interrogãtis, 2 reſponſum Domini ad illam, 3 exceptio illius ad reſponſum datum, 4 reſponſum Chriſti ad illam exceptionem, 5 eventus illius poſterioris reſponſi. Quæſtio recitatur v. 18. & ſimul indicatur ex quo hominum ordine fuerit is qui illam proponebat, videlicet ex primoribus Judæorum. Reſponſum recitatur v. 19 & 20. & duo continet: reprehenſionem hypocriſeos interrogantis: qui Dominum ſalutaverat bonum, quùm tamen illum pro verè bono non haberet: id quod eventus docuit: quippe bonum cõſilium danti non morem geſſit. Sed ratio reprehenſioni adjecta, ſimul perſtringit uſitatam hypocritarum adulationẽ, per quam alii aliis magnificos titulos tribuunt, & tantùm non deos ex illis faciunt, atq; ita obliquè honori Dei derogant. Alterũ reſponſi membrum eſt declaratio quæſtionis propoſitæ: nempe ſi velit per opera acquirere regnum Dei, tum facienda illi eſſe opera in Lege Dei præcepta, v. 20. Exceptio narratur v. 21. ubi gloriatur ille, ſe opera Legis à juvẽtute ſua feciſſe: exſpectans nimirum applauſum Domini, ut ipſum juſtum pronuntiaret, & regnũ Dei pro hac ipſius juſtitia ei certò promitteret. Sed fallitur ille ſpe ſua. Dominus enim inſcitiam & vanam jactantiam ipſius in lucem producit, v. 22. dans illi mandatum ſpeciale de vendendis bonis ſuis ac inter pauperes diſtribuendis, & ſe ſequendo, omnibus ſuis rebus relictis. Eventus narratur v. 23. nempe quòd ille mandato iſto accepto contriſtatus fuit, id quod erat argumento, ipſum nõ diligere Deum & proximum, ſicut Deus in Lege præcepit: ac proinde falsò de obſervatione Legis gloriatum eſſe.

PARS

PARS QUINTA.

Monet de periculo divitiarum.

24 *Quam autem vidisset Jesus eum tristem factum, dixit, Quàm difficulter qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei?*

25 *Facilius est enim, camelum per foramen acus introire, quàm divitem introire in regnum Dei.*

26 *Qui verò* hoc *audierant, dixerunt, Et quis potest salvus fieri?*

27 *Ipse autem dixit; Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.*

Primùm narratur doctrinæ hujus occasio: deinde doctrina ipsa: postremò eventus. Occasionem Domino ad hanc doctrinam proponendam præbuit tristitia illius primatis quam conceperat ex Domini mandato de relinquendis suis bonis, in principio v. 24. Doctrina est de divitiarum effectu per accidens, veruntamen effectu valdè usitato: quòd scil. homines illis impediuntur quò minus adipiscantur vitam æternam. Hanc sententiam enuntiat Dominus exornatam exclamatione admirantis, atque ita eam amplificat ab effectu, tantum scil. esse periculum divitiarum ut ipse admirari cogatur: *Quàm difficulter qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei?* Deinde eandem sententiam amplificat collatione minoris, v. 25. *Facilius est enim, camelum per foramen acus introire, quàm divitem introire in regnum Dei.* Quæ collatio est hyperbolica, quatenus rem naturâ impossibilem, affirmat esse faciliorem seu minùs impossibilem, quàm sit res proposita. Impossibile enim est: camelum (manendo scil. quod est ac retinendo suam magnitudinem & integritatem) introire per foramen acus: quia fieret ut corpus locatum esset majus loco quo continetur: id quod simpliciter impossibile est. Interim per divinam potentiam fieri potest ut camelus per foramen acus introeat, nempe si priùs attenuetur in modum fili. Et sic homini propter innatam perversitatem naturâ impossibile est, ut cor non opponat divitiis si affluant, atq; ita per illas impediatur in consequenda vita æterna: in-

terim tamen per potentiam divinam fieri potest (atque etiam in electis fit) ut homo cor divitiis non apponat, sed recte illis utatur, ad gloriam Dei & salutem proximi: atq; ita illis in consequenda vita æterna non impediatur. Eventus fuit offensio auditorum: quibus doctrina illa absurda est visa, eò quòd inde sequeretur absurdum hoc, quòd nemo possit salvus fieri: quia scil. nemo est qui non à natura ita affectus sit, ut divitiis cor apponat. Vel saltem hoc absurdum, quòd pauci salvi fieri possint: quum scilicet plerique sint divites, v. 26. Hæc offensio & ratiocinatio declaratur v. 27. è suo eventu, videlicet refutatione Domini per distinctionem impossibilis (τὸ ἀδύνατον) ex adjunctis occuparis, homine scilicet & Deo. nam una & eadem res quæ impossibilis est homini, possibilis interim est Deo: quippe cui nihil impossibile est, quod scilicet non pugnat cum ipsius natura, ac proinde non implicat contradictionem. Syllogismus objectionis.

Si impossibile est divites servari: paucissimi homines servari poterunt.

Sed non hoc.

Nec illud igitur.

Respondetur negatione propositionis per distinctionem: Etsi impossibile est divites servari, scilicet ipsismet, hoc est, ipsis ipsis & naturæ suæ corruptè relinquantur: tamen interim multi homines poterunt servari per potentiam Scilicet Dei: qui naturam hominis corruptam per Spiritum suum potest emendare, & gratiam homini largiri ut divitiis suis rectè utatur, ac proinde illis non impediatur in consequenda vita æterna.

PARS SEXTA.

Confessoribus suis promittit remunerationem.

28 *Dixit autem Petrus; Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

29 *Ipse verò dixit eis, Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos, regni Dei causâ.*

30 *Qui*

30 *Qui non recepturus sit multiplicia in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.*

Primùm narratur promissionis hujus proponendæ occasio, ibiq; simul notatur ejusdem finis seu scopus: deinde recitatur promissio ipsa. Occasionem Domino ad hanc promissionem proponendam præbuit sermo Petri, quo narrat factum suum cæterorumq; discipulorum dissimile facto istius primatis. Ille enim in gratiam Domini nolebat bona sua relinquere: at ipsi sua omnia reliquerant, & Dominum sequuti fuerant, v. 28. Scopus hujus narrationis erat, ut cognosceret, quid præmii ipsos maneret: sicut exprimitur Matth. 19. v. 27. Hinc jam percipitur scopus quoque hujus promissionis: nempe explicare Petro cæterisq; discipulis id quod scire desiderabant, & eâdem operâ ipsos in proposito sibi adhærendi confirmare argumento ab effectu utili, videlicet præmiorum amplissimorum perceptione. Summa responsionis Christi ac promissionis hujus est: Confessores mei afficientur à me præmiis. Hujus sententiæ pars antecedens illustratur enumeratione aliquot specierum: id est rerum chararum quas confessores in gratiam Christi relinquunt: ut sunt, *domus, parentes, fratres, uxor, liberi*: Consequens sententiæ pars illustratur & amplificatur distributione ab adjuncto temporis: qua præmia distribuuntur in ea quæ confessores recepturi sunt in hoc tempore sive in hoc seculo, & ea quæ sunt recepturi in seculo venturo. Quorum illa amplificantur ab adjuncto numero, quòd recepturi sint πολλαπλασίονα, multiplicia: id est, multo plura quàm amiserint: verbi gratiâ p. o una domo multas domos, pro unis parentibus multos parentes, id est, paterno affectu præditos &c. Posterius membrum distributionis declaratur nomine speciali *vitæ æternæ*, quo perfecta felicitas in cælo in æternum fruenda significatur.

PARS SEPTIMA.

Iterum prædicit Apostolis passionem & resurrectionem suam.

31 *Jesus autem assumpsit duodecim, dixit eis: Ecce ascendimus*

Hierosolymam, & perficientur Filio hominis omnia quæ scripta sunt per Prophetas.

32 *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur.*

33 *Et postquam* eum *flagellaverint, trucidabunt eum: sed die tertio resurget.*

34 *Ipsi verò nihil horum intellexerunt: eratq; res hæc ipsis occulta, nec cognoverunt quæ dicebantur.*

Primùm recitatur ipsa prædictio, v. 31. 32. & 33. deinde eventus, v. 34. Prædictio clarissimis ac propriis verbis constat, nec interpretationem desiderat. Prædictio incipit à vocabulo. *Ecce:* quo Dominus Apostolos erigere voluit in attentam ejus quod dicturus esset, considerationem, propter ipsius rei admirabilitatem atq; incredibilitatem. Membra prædictionis principalia sunt duo: unum de sua passione, alterum de resurrectione à mortuis. Utrumque membrum illustratur bifariam: primùm à subjecto locoubi utrumq; erat futurum, nempe Hierosolyme, ubi ait, *Ascendimus Hierosolymam, & perficientur* (scilicet illic) *Filio hominis* &c. Deinde à causâ finali, cujus gratiâ ista Domino erant eventura, nempe ut implerentur scripturæ Prophetarum de Christo, ubi ait: *Et perficientur Filio hominis* (id est, mihi) *omnia quæ scripta sunt* (scilicet de Christo) *per Prophetas.* ubi simul intelligendus finis superior, nempe ut perficerentur decreta Dei de Christo. nam quæ Deus ab æterno decreverat circa Christum & permittere & facere, ea jam olim per Prophetas populo suo prædixerat & per Prophetas literis mandari in usum posteritatis curaverat. Atque hæc sunt communia utrique prædictionis membro. Passioni proprium est, quòd exponitur per patres, numero sex. 1 *tradetur Gentibus:* 2 *illudetur:* 3 *contumeliis afficietur:* 4 *conspuetur:* 5 *flagellabitur:* 6 *trucidabitur.* Resurrectioni propria est illustratio ex adjuncto tempore. *Resurget die tertio.* Eventus istius prædictionis fuit, quòd Apostoli eam non intellexerunt. quæ ipsorum (ut ita dicam) non-intelligentia sive non-intellectio amplificatur copia verborum æquipollentium, ut patet. Causam si requiris cur verba tam clara non intellexerint: ea fuit falsa opinio præcon-

præconcepta de regno Christi, quasi scilicet Christus futurus esset rex mundanus atque terrenus: cum qua regni forma passiones istæ minimè conveniebant.

PARS OCTAVA.

Sanat quendam cæcum.

35 *Factum est autem dum ipse appropinquaret Jerichunti, cæcus quidam sedebat juxta viam, mendicans.*

36 *Quum igitur is audisset turbam prætereuntem, percontabatur quid hoc esset.*

37 *Nunciaverunt autem ei Jesum Nazarenum transire.*

38 *Tunc clamavit, dicens, Jesu fili David is miserere mei.*

39 *Et qui præibant, objurgabant eum ut sileret: ipse verò multo magis clamabat, Fili David is miserere mei.*

40 *Jesus autem quum substitisset, jussit eum adduci ad se, & quum is appropinquasset, interrogavit eum,*

41 *Dicens, Quid tibi vis faciam? Ille verò dixit, Domine, ut videam.*

42 *Et Jesus dixit ei, Videto: fides tua te servavit.*

43 *Illico igitur vidit, ac sequebatur eum, glorificans Deum. & totus populus quum hoc vidisset, tribuit laudem Deo.*

Primò indicatur locus, 2 objectum, 3 occasio, 4 causa impulsiva, 5 causa corrumpens, 6 iterum causa impulsiva, 7 præparatio seu effecta destinata, 8 iterum causa impulsiva, 9 modus agendi, 10 alia causa impulsiva, 11 miraculum ipsum, 12 evēta. Locus ubi Dominus hoc miraculum fecit, fuit via prope urbem Jerichuntem: ibi, *Factum est autem, dum ipse appropinquaret Jerichunti, cæcus quidam sedebat juxta viam.* Objectum circa quod Dominus miraculo edēdo fuit occupatus, describitur his verbis. *Cæcus quidam sedebat juxta viam mendicans.* Fuit igitur homo iste bis miser: quia & cæcus erat, & pauper, adeò ut cogeretur mendicare. Nomen illi fuit Bartimæo, Mat. 19. 46. Occasionem miraculo præbuit transitus Domini qui cæco isti innotuerat, v. 36. & 37. Causa quę Dominum ad illum sanandū impulit, fuit petitio illius; quæ amplificatur ab adjūcto clamore, & confirmatur à proprio Messię officio, in hanc sententiam:

Si tu es filius Davidis (id est Davidi promissus Messias) officium tuum est misereri afflictorum, ac proinde mei quoq;
At tu es filius Davidis.
Ergo.

Causa corrumpens quæ videbatur sanationem illius miraculosam impeditura, est objurgatio turbæ, v.39 qua jubebant cæcum illum silere. cui iussui si ille morem gessisset, sanatus à Domino non fuisset: sed præteriisset ille, cæco illo non observato. Causa impulsiva repetitur ibid. ubi dicitur, *Ipse verò multò magis clamabat* &c. Præparatio seu effecta destinata, quibus tum ipse cæcus, tum turba præsens in exspectationem miraculosæ hujus sanationis erecta fuit, narrantur tria. 1. quòd Dominus ad illius clamorem substitit, v.40. 2 quòd jussit eum adduci ad se, ibid 3. quòd interrogavit eum, *Quid tibi vis faciam?* q. d. Paratus sum tui misereri, ut petis: dūmodo in specie declares, qua in re me tui misereri, quidve beneficii in te conferre petas, v.41. Altera repetitio causæ impulsivæ habetur ibid. *Domine, ut videam*, Modus agendi fuit mandatum Domini, *Videto*, v.42. Alia causa impulsiva, cum altera cohærens ut causa procreans cum effectu, significatur ibid. his verbis, *Fides tua te servavit*: id est, Quia credidisti, me & posse & velle te servare, fretus promissione Dei de Christo data per Prophetas: idcirco facilè à me impetrasti ut te sanarem, visum tibi dando. Si quæris, ubi promissio illa exstet: scias exstare Esa.35.v.5 & 6. ubi in prophetia de primo adventu Christi inter alia sic legitur: *Tunc aperient se oculi cæcorum, & aures surdorum patefient: tunc saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti.* Miraculum ipsum narratur v. 43. his verbis, *Illico igitur vidit*. Eventa ibid. narrantur tria: 1. quòd cæcus ille Dominum fuit sequutus, 2 quòd glorificavit Deum, h. e. gloriam bonitatis ei tribuit, quòd misisset Messiam, perq; illum sibi visum dedisset. 3. populus quoque similiter laudem tribuit Deo.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

1 *Huc spectantem quòd oporteat.* πρὸς τὸ δεῖν. Ad verb. *Ad oportere*: id est, ad docendum quòd oporteat. *Nec segnescere.* καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Vel, *nec elanguescere*. Id est, non defatigari

gari precando, sed usq; instare, donec exaudiamur: non despondere animum, si non statim exaudiri nobis videamur. Vis verbi ἐκκακεῖν est, ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικᾶσθαι, malo vinci, Sic Eph. 3. v. 13. διὸ αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν. Quapropter peto ne segnescatis sive elanguescatis, ob afflictiones meas pro vobis.

2 *Homines*, ἄνθρωπον. Ad verb. Hominē. Collectivè. Sic Syrus vertit *filios hominis*, Opponūtur enim hîc homines deo.

4 *Per* multum *tempus*. ἐπὶ χρόνον. Scil. πολὺν. Sic Syrus, *tempore multo*. Vel simpliciter; *Ad tempus*.

5 *Perpetuo veniens*. εἰς τέλος ἐρχομένη. Id est, identidem veniendo, meq; interpellando εἰς τέλος ad verb. valet, in finē seu ad finem usq;, id est indesinenter. *Obtundat me*. ὑπωπιάζῃ με. Syrus, *Molesta sit mihi*: sensu simpliciter expresso, id est, q. d. surdefaciat me. Quo sensu Terentius usus est verbo obtundendi Adelph. act. 1. sc. 2. *Ne me obtundas de hac re sæpius*. id est, ne sis molestus auribus meis, commemorando mihi sæpius vitia filii. Sic Heautont. act. 5. sc. 1.

Ohe jam desine deos uxor gratulando obtundere.
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos ex tuo ingenio judicas.
Ut mihi credas intelligere, nisi idem dictum est centies.

Item Cicero in Oratore: *Ne brevitas defraudasse aures videatur: neve longitudo obtudisse*. Est autem hîc in verbo ὑπωπιάζειν metaphora καταχρηστική: quippe quod propriè significat; non *aures obtundere*: sed contunderè sive sugillare τὰ ὑπώπια, id est eas faciei partes quæ oculis subjectæ sunt. Dictum est enim ὑπωπιάζειν ab illo nomine ὑπώπια: quatenus illud ipsas illas plagas quæ patribus subocularibus (ut sic dicam) impinguntur, significat.

6 *Judex ille injustus*. ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας. Pro, ὁ ἄδικος. Ad verb. *Judex injustitiæ*. Genitivus adjuncti more Hebraico usurpatus, ut suprà 16.8. dicitur ὁ οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, dispensator injustus.

7 *Deus autem non vindicaturus esset*. ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν. Interrogatio vim habet negandi: ut respondendum sit, Minimè. Tum autem negationis negatio vim habet affirmandi: quasi dicatur, Omnino vindicabit. *Etiamsi iram differat*. καὶ μακροθυμῶν. Ponitur καὶ pro καίπερ.

9 *Qui sibi persuaserant.* τοὺς πεποιθέτας ἐφ' ἑαυτοῖς. Ad verb. *Qui in seipsis confisi fuerant.* Pro, τοὺς πεποιθέτας. Enallage quædam locutionis: qualis est quum populus dicitur *credidisse in Jehovam & Mosem:* pro, Jehovæ & Mosi, Exod. 14. v. ult. In istis ἐνέργεια voluntatis ponitur pro ἐνεργεία cognata mentis, per metonymiam effecti: nam ex mentis persuasione fiducia voluntatis enascitur. *Pro nihilo habebant.* ἐξουθενοῦντας. Q. d. enihilantes sive annihilantes: hoc est, aspernantes tanquã homines nihili sive nullius pretii.

10 *In templum.* εἰς τὸ ἱερόν. Græcum expressius propter articulum: quo notatur certum templum, videlicet Hierosolymitanum. *Precandi causâ.* προσεύξασθαι. Pro, τοῦ προσεύξασθαι, scil. ἕνεκα.

11 σταθεὶς. Quum constitisset. Videtur innui, Pharisæum illum cum singulari cura & animi devotione composuisse sese ad precandum. Postea v. 13. de publicano dicitur, ἱστὰς, id est, quum stetisset: quo verbo talis cura non cõnotatur. *O Deus.* ὁ Θεὸς. Pro, ὦ θεὸς. Sic v. 13. Sic Marc. 15. 34. ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, εἰς τί μὲ ἐγκατέλιπες. Pro quo apud Matth. habetur, Θεέ μου, θεέ μου &c.

12 *Hebdomade.* τοῦ σαββάτου. Nomen σάββατον propriè significat ultimum hebdomadis diem: sed interdum per synecdochen membri totam hebdomadam notat. Sic Marc. 16. 9 Quanquam in hac significatione fere enuntiatur numero plurali: ut videre est in historia resurrectionis Domini, Matth. 28. 1. Johan. 20. 1. Item 1. Cor. 16. 2. *Decimas quæcunque possideo.* ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι, Id est, decimas pendo de omnibus quæ possideo. Sicut suprà 11. 42. ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, decimatis mentham. Rursus autem πάντα, id est, *Omnia*, valet *Omnis generis res*: verbi gratiâ fruges, poma, olima, olivas, vinum, pecudes &c. Non autem significat singula individua: ut patet.

13 *Publicanus autem.* καὶ ὁ τελώνης. Pro, ὁ δὲ τελώνης.

14 Potiùs *quàm ille.* ἢ ἐκεῖνος. Pro, μᾶλλον ἢ ἐκεῖνος. Ellipsis conjunctionis comparativæ. Vetus interpres, *Ab illo*; quasi legerit, παρ' ἐκείνου: ut sit Hebraismus ὑπὸ mimmennu, *ab illo*, id est, præ illo: hoc est, potiùs quam ille.

15 *Adducebant.* προσέφερον. Pro, προσήγαγον. Est enim sermo de

de puerulis jam gradientibus: quippe quos Dominus advocavit, ut habetur versu seq. Sic accipitur istud verbum, Matth. 12. v. 22. & cap. 17. v. 16. Vide Observationes ex Mat. 19. v. 14. *Puerulos.* τὰ βρέφη. Pro, τὰ παιδία: ut appellantur versu seq. Sic usurpatur istud nomen 2. Tim. 3. 15. ad significandum scil. puerum doctrinæ capacem: Sciens te à puero (ἀπὸ βρέφους) sacras literas novisse.

16 *Illos.* αὐτά. Nempe τὰ βρέφη, id est, puerulos illos. *Talium.* τῶν τοιούτων. Scil. qui pueris similes sunt, simplices scilicet in malitia, & minimè freti suâ dignitate. Hęc expositio confirmatur ex collatione versus sequentis. Porrò si regnum Dei est illorum adultorum qui pueris similes sunt: sequitur esse etiam ipsorum puerorũ, nempe electorum: pro qualibus habendi sunt quotquot in Ecclesia nascuntur, nisi Deus de aliquibus singulari verbo diversum declaret: ut fecit de Esavo.

18 *Quidam ex primoribus.* ἄρχων τις. Quidam princeps: id est, dives & honoratus, ex ampla familia.

19 *Nemo bonus.* οὐδεὶς ἀγαθός. Scil. ἐστὶν, est.

26 *Et quis.* καὶ τίς. Pro, τίς οὖν, Quis igitur.

33 *Sed die tertio.* καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. Copulativa pro adversativa: opponuntur enim tristibus læta.

34 *Ipsi verò.* καὶ αὐτοὶ. Pro, αὐτοὶ δὲ. Copulativa pro transitiva. *Res hæc.* τὸ ῥῆμα τοῦτο. Ad verb. *Verbum hoc.* Hebraica metonymia adjuncti.

41 *Ut videam.* ἵνα ἀναβλέψω. Pro, ἵνα βλέψω. Compositum pro simplici. Sic Matth. 11. 5. τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, Cæci vident. Compositum est ex ἀνὰ, sursum, & βλέπειν, videre: itaque propriè significat *suspicere*: cujus significationis exemplum occurrit infrà 19. 5. Non ergo vertendum, *visum recipere*: tanquam scilicet compositum sit ex ἀνὰ, cui respondet præpositio inseparabilis *Re*.

OBSERVATIONES EX CAP. XVIII.

Ex parabola de judice injusto & vidua. In preces sedulò nobis incumbendum: neq; committendum ut ex diuturniore opis dilatione tædium precandi nobis oboriatur, nósve capiat: quum certum sit, Deum in tempore op- παιδ. ἐπ. διδ.

portuno quem nobis laturum, dummodò in precibus perstemus. Certum autem id est, quia invocantibus, sese opem suam Deus promisit. Et quia justus est, itaq; non patietur ut pii ab impiis opprimantur, etiamsi permittat diu ipsos ab illis premi atq; vexari. Promissio continetur hic v. 7. & 8. Confer Psal. 50. v. 15. *Invoca me in die angustiæ: eripiam te, & glorificabis me.* Habac. 2. v. 3. *Si cunctetur visio, exspecta eam: nam omnino ventura est, ac non tardabit.* Jam de justitia Dei vindicantis electos suos vide 2. Thess. 1. v. 16. & seqq. *Justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem: vobis verò qui affliginimini, relaxationem &c.*

δδ. Ex v. 8. Quum hodie Fides tum politica, tum Christiana, rara avis in terra sit: (etsi enim multi fidem ore profitentur, tamen plerique factis eam negant) monemur hoc indicio, adventum Domini non procul abesse.

δδ. Ex parabola de Pharisæo & publicano orantibus. Quicunq; justitia operũ suorum coram Deo confidunt, à Deo damnabuntur: contrà ab eodem justificabuntur, h. e. justi censebuntur ac pronuntiabuntur, quotquot injustitiã suam seriò agnoscentes ac deplorantes, remissionem peccatorum suorum gratuitam propter Christum mediatorem à Deo petunt. Confer disputationem Paulinam in epistola ad Rom. de justificatione hominis coram Deo, quæ habetur cap. 1. & deinceps usque ad 12. cujus summa est, hominem coram Deo justificari non ex meritis operum suorum, sed ex gratia Dei & merito Christi fide apprehensis.

δδ. Ex parte tertia de puerulis Domino adductis.

1. Antiquus mos fuit, ut sancti homines ac servi Dei benedicerent aliis, id est, bene precarentur seu bona illis à Deo exoptarent adhibita manuum impositione, quo manuum gestu significabant, omne bonum donum (ut Jacobus loquitur) desuper esse, à patre luminum descendens, Jac. 1. v. 17. Confer exemplũ patriarchæ Jacobi benedicentis filiis Josephi, Ephrajimo & Manassi, Gen. 48. Simul etiam significabatur, tales Deo consecrari, hinc ritus imponendi manus pecudibus sacrificãdis: & inde sumptus (ut videtur) titus ordinãdi ministros Ecclesiæ per manuũ impositionẽ.

δδ. 2. Regnum Dei non acquiritur humanâ sapientiâ aut industriâ:

industriâ: sed per simplicem & quasi puerilem credulitatem, hærentem promissionibus divinis. Quæ fides in pueros quoque doctrinæ capaces cadit.

3. Christus non aspernatur simplices ac pueris similes: sed potiùs eos gratos habet, lubentissimeque excipit, & in consortium regni sui admittit. δδ. πφ.

Ex responso Domini de modo acquirendi vitam æternam.

1. Quærat aliquis, quomodo dicat Christus, solum Deum esse bonum: quum Scriptura testetur, creaturas quoque Dei bonas esse, ut sæpe repetitur Gen. 1. Si quis excipiat, hominem desisse esse bonum per lapsum primorum parentum: responderi poterit, ac interim bonos manisse electos Angelos: & in hominib. quoq; electis bonitatem divinitus instaurari. Sed ad quæstionem proposita respondendum est per distinctionem: nempe solum Deum esse bonum perfectè & immutabiliter: creaturæ autem bonæ sunt mutabiliter: quippe quæ ut bonitatem suam non à seipsis habent, sed à Deo: ita eandem possunt amittere, quantum ad ipsas quidem attinet. Nec ea est bonitatis, hic in sanctis quidem Angelis, perfectio: in qua Deus non possit aliquid desiderare: quippe coram quo nec cæli quidem mundi sunt, quique etiam sanctis angelis non credidit firmitatem: ut habetur Job. 15. 15 Quare cavea- iv.
mus, ne vel nobis ipsis perfectam bonitatem arrogemus, vel cum aliis per adulationem asscribamus.

2. Qui opera in Dei lege præcepta, perfectè præstat: iis δδ.
vitam æternam per illa consequetur: quia Deus hanc omnibus perfectam Legi suæ obedientiam præstantibus promisit: juxta illud, *Homo qui fecerit hæc, vivet per ea.* Sed quoniam obedientia hæc omnibus hominibus propter naturæ corruptionem impossibilis est: sequitur neminem per opera Legis vitam æternam adipisci posse. Necessariò igitur alia nobis via ad vitam æternam perveniendi quærenda est. Illam vitam ostendit nobis vox Evangelii, videlicet Christum fide apprehensum. Is enim est via, veritas & vita: sicut ipse apud Johannem ait, Johan. 14. 6.

3. Ea demum opera bona Deoque placentia sunt, quæ δδ.

Deus in lege sua præcepit: vel etiam quę specialiter aliqui præcepit. Christus enim de operibus per quæ aliquis si ea præstet, vitam æternam adipisci queat, interrogatus: profert opera in Decalogo præcepta. Deinde verò hypocritæ ísti speciale mandatum dat de bonis suis vendendis atque in eleemosynas erogandis, i. ſoque ſequendo. Ita bonum erat opus Abrahami mactaturi filium Isaacum: quia de illo habebat speciale Dei mandatum.

4. Caveamus, ne exemplo istius primatis, nobis persuadeamus, nos perfectam legi Dei obedientiam præstitisse, quia istud homini in hac vita impossibile est.

Ex admonitione Domini de periculo divitiarum.

1. Quum divitiarum possessio cõjuncta sit, teste Christo, cum periculo amittendi vitam æternam: ergo si nos pauperes esse contingat, equo animo id feramus: nec divitias tantopere expetamus. Si verò illæ nobis suppetant: oremus Deũ ut nos regat suo spiritu, ne cor eis apponamus (ut Scriptura loquitur) hoc est, ne illis conservãdis & amplificãdis, nos dedamus, neu fiduciam in illis ponamus: sed ut potiùs studeamus divites esse in Deo, liberaliterq; divitias nostras cum proximis egenis communicemus. Nec enim divitiæ per se quempiam damnant: quum leguamus sanctos quoq; nonnullos divites fuisse, ut Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Salomonem. Sed abusus earum damnat: nempe cohærens avaritia, vel etiam fastus & luxus, qualis describitur in divite illo epulone, suprà cap. 16.

2. Tanta est naturæ humanæ corruptio, ut impossibile sit homini, nõ abuti divitiis: nisi cor ejus divinitus gubernetur. Ergo divites deũ pro hac gubernatione perpetuò orẽt.

3. Quæri hîc potest, an Deo simpliciter & absq; ulla exceptione possibilia sint omnia. Respondeo: Non. quia Deus, teste Apostolo, non potest mentiri, aut negare se ipsum. Itaq; potest omnia quæ non pugnant cum ipsius natura vera: seu quæ non implicant contradictionem.

Ex promissione remunerationis confessorum. Quum Christus confessoribus suis promiserit præmia amplissima: oremus Deum ut det nobis constantiam in doctrina Christi confitenda.

Ex

Ex prædictione passionis Dominicæ. 1. Notetur pars argumenti quo demonstratur, Jesum Mariæ virginis filium esse Christum seu promissum Messiam: quia scil. in eo impleta sunt vaticinia Prophetarum de Christi passione & resurrectione: inter quæ insigne est illud quod habetur Esa. 53. διδ.

2. Consideranda causa quæ Apostolos impedivit, ut clarissima Domini de sua passione, morte ac resurrectione verba non intelligerent. Causa fuit quia ista verba pugnabant cum ipsorum præconcepta opinione de regno Christi, quasi scilicet illud futurum esset mundanum. Ergo ut Scripturas possimus intelligere: præconceptæ opiniones quibus illæ repugnant, nobis deponendæ sunt. διδ. παιδ.

Ex historia de sanatione cæci.

1. Miraculosa sanatio cæci illius, argumentum est divinæ potentiæ Christi: item pars argumenti quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia per Esaiam cap. 35. v. 5. & 6. de Christo prædictum fuit, illum talia miracula editurum. διδ. διδ.

2. Sanatione illa cæci monemur, Christum cæca corda Electorum illuminare salvificâ cognitione Deiunde se alibi nominat lucem mundi. διδ.

3. Exemplo cæci monemur, opem Christi constanter contra quævis obstacula implorandam nobis esse. πω

4. Exemplo cæci, itemq; populi monemur: Deum à nobis laudandũ esse, quoties illum vel nos vel proximum insigni aliquo beneficio affecisse videmus. πω

ANALYSIS CAP. XIX.

ARGVMENTVM.

Dominus convertit Zacchæum: proponit parabolam de decem minis: ingreditur ut rex Hierosolymam: flet super illâ: ejicit è templo vendentes & ementes. Ita sunt quinque partes.

PRIMA PARS.

Dominus convertit Zacchæum.

1 *IEsus autem ingressus Jerichuntem, transibat:*

2 *Et ecce, aderat quidam qui nomine vocabatur Zacchæus; & is erat magister publicanorum, & erat dives:*

3 *Studebatq; videre quis esset Jesus: nec poterat præ turbâ, quod staturâ parvus esset.*

4 *Præcurrens igitur anterius ascendit in sycomorum, ut eum videret: quoniam illac erat transiturus.*

5 *Ut autem venit ad eum locum, suspiciens Jesus, eum vidit, & dixit ei; Zacchæe, festinans descende. hodie enim domi tuæ oportet me manere.*

6 *Tum is festinans descendit, & excepit eum gaudens.*

7 *Et omnes quum hoc vidissent, murmurabant; dicentes, Ad hominem peccatorem ingressus est diversandi causâ.*

8 *Zacchæus autem quum constitisset, dixit Domino; Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid cuipiam per calumniam eripui, reddo quadruplum.*

9 *Dixit autem ei Jesus, Hodie salus domui huic contigit, eò quòd ipse quoque filius Abrahæ est.*

10 *Venit enim Filius hominis ut quærat & servet quod perierat.*

Primò indicatur locus, 2. occasio, 3. objectum describitur, 4. narratur causa impulsiva, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. modus agendi, 7. conversio ipsa significatur, 8. eventus conversionis narratur, 9. conversio amplius describitur, 10. testimonio Domini confirmatur, 11. causæ antecedentes exponuntur. Locus ubi res hæc gesta est, fuit urbs Jericho, vers. 1. Occasio conversionis illius narratur ibid. nempe transitus Jesu per Jerichuntem ubi convertendus habitabat. Objectum, ipse scilicet convertendus, describitur ex adjunctis tribus: nomine, genere vitæ, & fortunâ. Nomine vocabatur Zacchæus: genere vitæ erat publicanus, & quidem magister publicanorum: fortunâ erat dives, v. 2. Causa quæ Dominum ad illum convertendum impulit,

fuit

fuit ſtudium ipſius videndi: quod ſtudium haud dubiè profectum fuit ex honorifica & præclara de Domino opinione, quòd ſcil. is eſſet ſanctus Dei propheta. Studium illud deſcribitur partim è cauſa corrumpente quia impediebatur ne Dominum tranſeuntem poſſet videre. Ea fuit obſtaculum turbæ & brevitas ſtaturæ, v. 3: partim ex effecto deſtinato, id eſt ex facto quod ſuſcepit ut Dominum videret, nempe quòd præcurrens aſcendit in ſycomorum, v. 4. Præparatio ſeu effectum à Domino ad mox futuram converſionem deſtinatum, fuit quòd ultrò ſuſpexit ut Zacchæum videret. hoc enim erat ſignum benevolentiæ erga illum, & ferii alicujus propoſiti circa illum perficiendi, v. 5. Modus agendi narratur ibidem, nempe aperta ſignificatio ſuæ erga Zacchæum benevolentiæ: quippe ad eum ſe diverſurum ultrò ſignificabat: dum illi mandabat celerem de arbore deſcenſum & exceptionem ſui. Converſio ipſa ſignificatur ex effectis, ac primùm ex illa obedientia erga Domini mandatum, quæ obedientia profecta fuit ex fide benevolentiæ Domini erga ſe, per illud mandatum ſignificatæ: v. 6. Eventus ex facto illo Domini conſecutus, fuit murmur comitum, v. 7. Deinde v. 8. converſio Zacchæi amplius deſcribitur ex effectis, numero duobus: larga eleemoſyna & reſtitutione furtorum. Teſtimonium Domini de illa converſione narratur v. 9. *Hodie ſalus domui huic contigit*: Si ſalus: igitur converſio: quia ſine converſione nemo ſalvatur. Simul autem amplificatur converſio Zacchæi ab adjuncta converſione domeſticorum. Cauſæ antecedentes exponuntur duæ: electio Dei patris & propoſitum incarnationis Filii. Electio Dei patris ſignificatur verſ. 9. his verbis, *Eò quòd ipſe quoque filius Abrahæ eſt*: ubi intelligitur non ſimpliciter filius ſecundùm carnem, ſed filius ſecundùm promiſſionem Dei: qua promiſerat Abrahæ, ipſum futurum patrem credentium. Propoſitum incarnationis Filii ſignificatur verſ. 10 his verbis: *Venit enim Filius hominis ut quærat & ſervet quod perierat*, id eſt, electos ſibi datos à patre, qui perierant non minùs quàm reprobi, per peccatum.

PARS SECUNDA.

Proponit parabolam de decem minis.

11 *Hæc autem ipsis audientibus, pergens, dixit parabolam, eò quòd esset prope Hierusalem, & quod putarent fore ut illico regnum Dei appareret.*

12 *Dixit ergo, Homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, ac reverteretur.*

13 *Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem minas, & dixit eis, Negotiamini dum veniam.*

14 *Cives autem ejus oderant eum, miserunt q. legationem post eum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos.*

15 *Et factum est quum rediisset accepto regno, tum jussit vocari ad se servos illos quibus dederat pecuniam; ut cognosceret quis quid negotiando confecisset.*

16 *Adfuit autem primus, dicens; Domine, mina tua decem minas lucrifecit.*

17 *Ille autem ait ei, Bene est serve bone: quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem urbes.*

18 *Et alter venit, dicens, Domine, mina tua confecit quinque minas.*

19 *Ille verò & isti dixit, Tu quoque præsto quinque urbibus.*

20 *Et alius venit, dicens; Domine, ecce mina tua quam habui sepositam in sudario:*

21 *Timui enim te, quòd homo sis austerus: aufers quod non deposuisti, & metis quod non seminasti.*

22 *Tum ille dixit ei, Ex ore tuo te judicabo, serve male: sciebas me hominem austerum esse, qui auferam quod non deposui, & metam quod non seminavi?*

23 *Quare igitur non dedisti pecuniam meam ad mensam? & ego veniens cum fœnore eam exegissem.*

24 *Et astantibus dixit, Tollite ab eo minam, & date ei qui decem minas habet.*

25 *Illi verò dixerunt ei; Domine, habet decem minas.*

26 *At ille, Nam, inquit, dico vobis, Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet adimetur.*

27 *Quin-*

27 *Quinetiam meos illos inimicos qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc & jugulate coram me.*

Primùm significatur causa finalis, cujus gratiâ Dominus hanc parabolam potissimùm proposuit: deinde parabola ipsa recitatur. Causa finalis fuit ut eximeret discipulis falsam opinionem atque spem de regno suo, quasi statim illud confestim esset inchoandum. Cujus opinionis ac spei causam procreantem simul exponit, nempe quòd viderent eum contendere Hierosolymam. Utrumq; v. 11. significat his verbis, *Dixit parabolam, eò quòd esset prope Hierusalem, & quòd putarent fore ut illico regnum Dei appareret.* In parabola tria agit. Primùm opinionem illam discipulorum refutat: deinde præcipit, quomodo interim se debeant gerere donec ipse regnum suum inchoaturus sit: postremò consolatur eos contra scandalum ingratitudinis multorum. Opinionem illam discipulorum refutat v. 12. his verbis, *Homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam: ut acciperet sibi regnum, ac reverteretur.* Quibus verbis significat, se regnum suum (nempe regnum gloriosum) non mox inchoaturum, sed post bene longum tempus: quia priùs illud sibi sit acquisiturus (videlicet per passionem & mortem suam, nec non per Evangelii in toto mundo prædicationem) ac tum demum reversurus, videlicet in fine mundi, ut discipulos suos illò introducat. Hac autem occasione adjungit præceptionem, quomodo se discipuli sui interim donec ipse redeat, debeant gerere, nempe quòd debeant donis spiritualibus sibi ab ipso largiendis gnaviter uti & negotiari, ut multos ipsi lucrifaciant. Id significat similitudine minarum v. 13. ubi ait, *Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem minas, & dixit eis, Negotiamini donec veniam.* Porrò hoc præceptum v. 15. & deinceps cõfirmat ab effectis per antithesin, videl. ab effecto utili, si quis præceptum illud observet: & contrà ab effecto noxio, si negligat. Effectum inutile indicatur duplex: laus & opes, v. 17. & 19. Effectum inutile similiter duplex: vituperatio, v. 22. & 23. & egestas, v. 24. Postremò consolatur discipulos contra scandalum ingratitudinis quod erant experturi ab inimicis Domini, puta Scribis &

Phariſæis & ſacerdotibus & primoribus populi: quippe qui hunc regem erant repudiaturi: id quod ſignificat v. 14. ubi ait, *Cives autem ejus oderant eum, miſerunt{que} legationem poſt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Contra hanc ingratitudinem conſolatur eos promiſſione vindictæ regis: qui eos ſit perditurus, v. 27.

PARS TERTIA.

Dominus ingreditur ut rex Hieroſolymam.

28 *Et hæc dicens, antegrediebatur aſcendens Hieroſolymam.*

29 *Et factum eſt quum appropinquaſſet Bethphagæ & Bethaniæ, ad montem qui vocatur Olearum, miſit duos ex diſcipulis ſuis,*

30 *Dicens, Abite in vicum qui eſt ex adverſo: in quo, quum ingrediemini, invenietis pullum alligatum, cui nemo unquam hominum inſedit: ſolvite eum & adducite.*

31 *Et ſi quis vos interrogaverit, Quare ſolvitis? ſic dicetis ei, Dominus eo opus habet.*

32 *Profecti autem qui miſſi erant, invenerunt prout eis dixerat.*

33 *Solventibus autem ipſis pullum, dixerunt eis domini ejus, Quare ſolvitis pullum?*

34 *Ipſi verò dixerunt, Dominus eo opus habet.*

35 *Duxerunt igitur eum ad Jeſum. Et pallios ſuos pullo injectis, impoſuerunt Jeſum.*

36 *Proficiſcente autem ipſo, ſubſternebant pallia ſua in via.*

37 *Et quum jam appropinquaret ad deſcenſum montis Olearum, cœpit omnis multitudo diſcipulorum gaudens laudare Deum voce magna de omnibus quas viderant virtutibus,*

38 *Dicentes, Benedictus Rex ille qui venit in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in locis altiſſimis.*

39 *Tum quidam Phariſæorum e turba dixerunt ei, Magiſter, objurga diſcipulos tuos.*

40 *Et ipſe reſpondens dixit eis; Dico vobis, ſi ſilverint iſti, mox lapides clamabunt.*

Primùm narratur præparatio, ſeu effecta deſtinata ad regium illum ingreſſum: deinde forma ingreſſus deſcribitur:

scribitur: postremò eventa narrantur. Præparatio consistit in factis sex: quorum duo, fuerunt ipsius Domini; reliqua quatuor, discipulorum. Ad Dominum quod attinet, is in itinere Hierosolymam versus antegressus est discipulos, v. 28: quo ipso gestu nimirum significavit, se aliquid magnum mox acturum. Deinde conduxit pullum asinæ quo in urbem veheretur, v. 30. & 31. Ad discipulos verò quòd attinet: illi pullum asinæ (ut jussi erant) solverunt, ad Dominum adduxerunt, pallis suis instraverunt, & Dominum imposuerunt, v. 32. 33. 34. 35. Forma ingressus describitur ex adjunctis factis honorificis: quæ narrantur duo: unum, quòd *Domino proficiscente pallia sua substraverunt in via*, v. 36. alterum, quòd Dominum faustis acclamationibus prosecuti sunt, v. 37. & 38. Eventa narrantur duo: Pharisæorum reprehensio, v. 39: & Domini defensio, v. 40. Reprehendebant Pharisæi Dominum pariter ac discipulos: hos quidem quòd Domino tribuerent honorem Messiæ; illum verò quòd honorem istũ acceptaret. Dominus factum discipulorum (& per consequens suum quoque permissionem atque acceptationem defendit per collationem imparium hyperbolicam: ubi ait, *Si siluerint isti, mox lapides clamabunt*. Quasi dicat, Tantum abest ut debeam discipulos objurgare quòd mihi tribuunt honorem Messiæ, ipsi q; silentium imponere: ut potiùs debeam illos ad hoc factum excitare: quippe quod ita necessarium est, ut potiùs lapides clamarent, honoremq́ue Messię mihi tribuerent, quàm celebratio illa omitteretur. Si quæris hujus rei causam: causa nimirum erat, quia oportebat impleri Scripturam, prophetiam scil. Zachariæ de regio ingressu Christi in urbem Hierosolymam: ut expresè tradit Matthæus cap. 21. v 4. & 5.

PARS QUARTA.

Dominus flet super urbe Hierosolyma.

41 *Et ut appropinquavit, visâ urbe, flevit super eam,*

42 *Dicens, O Si vel tu nosses vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam* pertinent. *Nunc autem occulta ea sunt oculis tuis.*

43 *Nam veniet tempus super te, quo circumjicient tibi inimici tui vallum, & circumcingent te, & constringent te undique:*

44 *Et solo æquabunt te, & filios tuos in te: neque relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non agnoveris tempus visitationis tuæ.*

Primò narratur occasio, deinde causæ impulsivæ. Occasionem Domino ad hunc fletum præbuit conspectus urbis, v. 41. Causæ impulsivæ narrantur duæ: nempe duo mala, quorum unum erat præsens, alterum futurum. Præsens malum erat malum animi, videlicet cæcitas Hierosolymitanorum, v. 42. Hujus cæcitatis affirmationem amplificat antithesi voti sui contrarii, ubi ait, *O si vel tu nosses* &c. Futurum malum pertinebat ad corpora ipsorum, videlicet excidium urbis, vers. 43. & 44. Istud excidium primùm graphicè describit per partes: deinde declarat ex causâ impulsiva quæ Dominum movit ad illud, videlicet ingratitudo ipsorum erga gratiosam visitationem Dei, v. 44.

PARS QUINTA.

Ejicit è templo vendentes & ementes.

45 *Et ingressus in templum, cæpit ejicere eos qui vendebant in eo & emebant.*

46 *Dicens eis; Scriptum est, Domus mea, domus precationis est. Vos autem fecistis eam, speluncam latronum.*

47 *Et docebat quotidie in templo. principes autem Sacerdotum & Scribæ, & primores plebis studebant eum perdere.*

48 *Nec inveniebant quid facerent: totus enim populus pendebat ab ipso, quum eum audiret.*

Primò narratur ipsum factum, deinde causa impulsiva, tum factum affine, postremò eventus. Factum narratur vers. 45. Causa impulsiva vers. 46. videlicet abusus templi: quippe quod destinatum erat precationi, non autem negotiationi seu mercaturæ. Factum alteri affine narratur vers. 47. nempe quòd Dominus in templo quotidie docebat: qui nimirum rectus ipsius usus erat. Eventus fuit studium ipsius perdendi in sacerdotibus & scribis: v. 47. quod

quod ſtudium illuſtratur antitheſi cauſæ corrumpentis qua impediebantur, ne, quod ſtudebant, effectum dare tum quidem poſſint: videlicet metus populi, qui Domino docenti adhærebat: ac proinde non fuerat paſſurus ut vi ipſis præſentibus caperetur.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

3 *Videre quis eſſet Jeſus.* ἰδεῖν τὸν Ἰησοῦν τίς ἐστι. Ad verb. Videre Jeſum quis eſſet. Helleniſmus. *Nec poterat.* καὶ οὐκ ἐδύνατο. Vel, Sed non poterat. *Præ turba.* ἀπὸ τοῦ ὄχλου. Ad verb. A turba, ſcil. impeditus. Pro, διὰ τὸν ὄχλον. propter turbam, ſcil. obſtantem.

In ſycomorum. ἐπὶ συκομορέαν. Sic videtur ſcribenda vox Græca (quæ aliàs variè ſcribi ſolet) tanquam ſcil. compoſita ex συκῆ, id eſt ficus arbor, & μωρία, id eſt morus arbor: quòd ferat mora dulcia ut ſunt ficus. Syrus vertit *ficum inſipidam*, quaſi dicas συκῆν μωραίαν. Sicut ſal dicitur μωραίνεσθαι, id eſt, inſipidum reddi. *Illac.* δι' ἐκείνης. Illac, ſcil. via. δι' ἐκείνης, ſcil. ὁδοῦ: per illam viam.

5 *Ut autem venit.* ὡς δὲ ἦλθεν. Scil. ὁ Ἰησοῦς, Jeſus: quod ſequitur, per trajectionem. *Ad eum locum.* ἐπὶ τὸν τόπον. Ubi ſcil. erat ſycomorus, & Zacchæus ſuper illam. Articulus vim habet αἰσθομένου. *Suſpiciens.* ἀναβλέψας. Hîc in propria ſignificatione poſitum eſt verbum ἀναβλέπειν: idem valens ſcil. quod ἀναβλέπειν: ſicut *ſuſpicere*, idem quod *ſurſum ſpicere*, Cicero lib. 2. de Divinatione, ubi de eo qui in auſpicium adhibetur, ait: *Nec ſuſpicit, nec circumſpicit.*

7 *Ad hominem* &c. ὅτι παρὰ ἁμαρτωλῷ. &c. Conjunctio ὅτι hîc ſervit mimeſi.

8 *Quum conſtitiſſet.* σταθείς. Scil. tanquam rem ſeriam acturus, profeſſurus ſcil. ſuam pœnitentiam coram iis qui aderant, ac inprimis coram Domino Jeſu. Confer ſuprà 18. 11. *Dimidium.* τὰ ἡμίσια. Scil. μέρη: id eſt, dimidias partes. quod videri poſſet accipiendum diſtributivè: puta, dimidiam partem vini, dimidiam frumenti, & ſic deinceps. Sed ſimplicius eſt ut accipiatur pro ſingulari, τὸ ἥμισυ. Sic enim apud claſſicos linguæ Græcæ authores

accipi solēre, exemplis demonstrat Henr. Stephanus in suo Thesauro. *Per calumniam eripui.* ἐσυκοφάντησα. Sic supra 3. 14.

9 *Hodie.* ὅτι σήμερον. Conjunctio ὅτι servit mimesi. *Domui huic.* τῷ οἴκῳ τούτῳ. Id est, incolis hujus domus. Metonymia subjecti. *Filius Abrahæ.* υἱὸς Ἀβραάμ. Nempe filius secundùm promissionem, id est, electus. Vide Rom. 9. v. 7. & 8.

10 *Quod perierat.* τὸ ἀπολωλός. Id est, homines electos: qui per peccatum perierant, non minùs quàm reprobi. Synecdoche generis gemina.

11 *Perrexit.* προσθεὶς. Ad verb. *Addens.* Hebraismus.

13 *Dedit eis decem minas.* ἐδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς. Scilicet singulis unam: ut percipitur è sequentibus.

15 *Tum jussit.* καὶ εἶπεν. Copulativa pro relativa temporis, more Hebraico. *Pecuniam.* τὸ ἀργύριον. Ad verb. *Argentum.* Metonymia materiæ. *Negotiando confecisset.* διεπραγματεύσατο. Vel, negotiando lucratus esset. Ea vis hic est præpositionis διὰ. E regione Græcis respondent voces Germanicæ: πραγματεύειν, werben, & πραγματεία, gewerb: διαπραγματεύειν, erwerben.

16 *Lucrifecit.* προσειργάσατο. Græca vox sonat, quasi dicatur: Ad sortem operando adjecit.

18 *Confecit.* ἐποίησεν. Id est, lucrifecit.

19 *Tu quoque præesto quinque urbibus.* καὶ σὺ γίνου ἐπάνω πέντε πόλεων. Hoc prima fronte sonat, ac si præcessisset narratio de quodam servo qui præfectus esset quinque urbibus. quum tamen præcesserit de eo qui præfectus fuit urbibus decem. Sed conjunctio comparativa hìc non ad speciem, sed ad genus refertur. quasi dicatur: Tu quoque aliquot urbibus præesto, videlicet quinque.

21 *Deposuisti.* ἔθηκας. Pro, παρέθηκας vel παρακατέθηκας. Sic versu seq.

22 *Sciebas* &c. ᾔδεις &c. Hoc legendum cum interrogatione, quasi dicat, Ain' verò tu, me talem hominem esse?

23 *Quare igitur.* καὶ διατί. Pro, διατί οὖν. *Ad mensam.* ἐπὶ τράπεζαν. Scil. fœneratorum: qui inde dicti τραπεζῖται. Synec-

Synecdoche generis. *Et ego veniens* &c. καὶ ἐγὼ ἐλθὼν &c. Id est, Nam ita ego veniens &c. Ante hæc verba ponendum est signum interrogationis: idemq; à fine hujus sententiæ removendum. *Exegissem.* ἂν ἔπραξα. Id est, ἐξέπραξα ἄν. Simplex pro composito.

26 At ille, *Nam*, inquit, *dico vobis.* Similiter Syrus supplevit, אמר לחון amár lehún, dixit eis. Porrò rationalis conjunctio *Nam* referenda est ad sententiam omissam, nempe: Quanquam ille habet decem minas, tamen & hanc ei date. Nam omni habenti dabitur &c. Ratio ducta à genere, id est generali sententia atque proverbiali, sive gnoma.

26 *Etiam quod habet.* καὶ ὃ ἔχει. Id est, ὃ δοκεῖ ἔχειν, quod videtur habere: ut loquutus est suprà 8. 18. Nisi malimus ita exponere: Omni habenti multum, ac proinde sedulo ac laborioso, dabitur amplius: ei verò qui non habet multum, ac proinde ignavus est, etiam parum quod habet adimetur. Quæ expositio ex præsente hypothesi fluere videtur. *Dabitur.* δοθήσεται. Id est, datur seu dari solet. Est enim gnoma, id est sententia generalis de consuetudine hominum. Sic mox, *Adimetur*, ἀρθήσεται.

33 *Pullum.* τὸν πῶλον. Græcum expressius propter articulum, quasi dicatur, *Pullum illum*: de quo scil. solvendo mandatum acceperant. Sed Latini non ita crebrò exprimunt articuli vim per pronomen.

35 *Imposuerunt.* ἐπ' ἐβασαν. Quasi dicas, Conscendere fecerunt: id est, in pullum sustulerunt. Syrus: Et equitare (seu vehi) fecerunt Jesum super illum.

37 *Cœpit omnis multitudo discipulorum gaudens laudare Deum.* ἤρξατο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν Θεὸν. Ad verb. Cœperunt omnis multitudo discipulorum gaudentes laudare Deum. Syntaxis qualis in illo, *Turba ruunt.* *De omnibus virtutibus.* περὶ πασῶν δυνάμεων. Pro, διὰ πάσας δυνάμεις: propter omnes virtutes seu potentias, id est, miracula, potentiæ divinæ opera. Metonymia efficientis. *De omnibus quas viderant.* περὶ πασῶν ὧν εἶδον. Pro, περὶ πασῶν ἐκείνων ἃς εἶδον. Græcismus.

38 *Benedictus. Εὐλογημένος.* Scil. ἴςω, sit. Sunt enim verba gratulantium. *In* locis *altissimis.* ἐν ὑψίστοις. Scil. τόποις, Id est, in cælo summo, loco scil. destinato ad regnum Dei.

39 *E turba dixerunt.* Ἀπὸ τῦ ὄχλου εἶπον. Id est, Ambulantes stantésve in turba, inde Dominum inclamarunt. Præpositione ἀπὸ notatur hîc locus. Hoc Syrus expressit suâ paraphrasi, vertens, *E medio turbarum.*

40 *Si siluerint.* ὅτι ἐὰν &c. Conjunctio ὅτι servit mimesi.

41 *Visâ urbe. ἰδὼν τὴν πόλιν.* Græcum duplici nomine clarius est: tum quòd participio certam notat personam, nempe Jesum: tum quòd articulo certam notat urbem, nempe Hierosolymam.

42 *O si vel tu nosses.* ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύ. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Adverbium autem exclamandi adjectum est ad perspicuitatem. Est enim hîc exclamatio desiderantis. qualis illa Æn. 8.

O mihi præteritos referat si Juppiter annos.

Item Æneid. 11.

Quanquam ô si solitæ quicquam virtutis adesset.

In quo exẽplo similis aposiopesis est, qualis hîc. Subauditur enim hîc, Quàm felix esses ac beata! *Occulta sunt oculis tuis.* ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. Ad verb. Abscondita sunt ab oculis tuis. Ellipsis Hebraica, qua ex antecedente intelligitur simul consequens: quasi dicatur, Abscondita sunt ac proinde remota ab oculis tuis. Itaque præpositio ἀπὸ regitur à verbo subintellecto.

43 *Nam venient* &c. ὅτι ἥξουσιν. Conjunctio causalis, est hîc declarativa: & refertur ad sententiam proximè subintellectam, nempe, *Idcirco peribis:* ut rectè D. Beza observavit.

44 *Tempus visitationis tuæ.* τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου. Id est, quo Deus te gratiosè invisit, mittens tibi me doctorem salutis æternæ.

46 *Vos autem.* ὑμεῖς δὲ &c. Hîc nova sententia inchoanda est. Non enim cohærent hæc cum præcedente dicto quod ex Esaia citat Christus: Sed dicuntur in persona ipsius Christi, allusione tamen facta ad locum Jerem. 7. 11.

48 *Quid*

48 *Quid facerent.* τὸ τί ποιήσωσιν. Eleganter redundat articulus more Atticorum: ut suprà 1.62.

OBSERVATIONES EX CAP. XIX.

Ex historia conversionis Zacchæi.

1. Exemplo Zacchæi monemur, Deum electos suo tempore efficaciter vocare & convertere: etiamsi ad tempus illos permittat sese dedere peccatis. Quare de proximi conversione non debemus desperare: nisi videamus, illum peccare ad mortem seu in Spiritum sanctum. Ac proinde nec debemus illum dedignari, quoties fert occasio, nostrâ conversatione: dummodo operam demus ut eum lucrifaciamus. διδ. παιδ. ἐπ.

2. Vera conversio ex se parit ingenuam peccatorum confessionem, beneficentiam erga proximum, & studium obediendi legi Dei: ut in Zacchæo apparet. v. 8. διδ.

3. Quum Deus patremfamiliâs aliquem convertit, solet etiam familiam ejus, quasi in ipsius gratiam, convertere: v. 9. Confer Act. 16. v. 15. exemplum Lydiæ: & v. 33. exemplum commentariensis. Hinc agnoscenda Dei bonitas & benevolentia erga electos suos. διδ.

4. Notandæ duæ causæ salutis nostræ: electio Dei Patris, v. 9. & meritum atque efficacia Christi, v. 10. διδ.

5. Quæritur quomodo hoc dictum Christi, *Filius hominis vênit ut quærat & servet quod perierat*, conveniat cum illis Scripturæ dictis, quæ docent, Christum venisse ad servandum solos electos. Respondeo: Dictum hoc Christi intelligendum est per synecdochen generis de solis Electis: quum certum sit, Scripturam sibi ipsi non esse contrariam. ἀπ. λύσ.

Ex parabola de decem minis.

1. Doctores Ecclesiæ facultatem docendi, à Domino sibi donatam, gnaviter exercere debent: quia Dominus in adventu suo studium illud amplissimis præmiis remunerabitur: contrariam verò ignaviam gravissimè puniet. παιδ.

2. Quum Domino placuerit doctorum Ecclesiæ aliis majorem, aliis minorem docendi facultatem dare: caven- ἐπ.

dum est illis ne hos contemnant: his verò, ne illis invideant. Confer 1. Cor. 12.

3. Ex v. 26. Qui dona spiritualia gnaviter exercent, illis ipsa augentur: qui verò negligunt, eis privantur.

4. Dominus noster Jesus Christus in adventu suo ad judicium omnes illos qui ipsum sese eis per Verbum offerentem repudiarint, gravissimè puniet.

Ex historia de regio ingressu Domini in Hierosolymã. Notanda pars argumenti quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia scil. in ipso impleta est prophetia Zachariæ de regio ingressu Christi in urbem Hierosolymam. Cætera vide in Observationibus ex Matth. 21.

Ex historia de fletu Domini super urbe Hierosolyma. Deus contemptum verbi sui gravissimè punit. Caveamus igitur.

Ex historia de ejectis è templo vendentibus & ementibus. Notanda pars argumenti quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia scil. venit in templum suum, ipsumque repurgavit cum tanta authoritate ut nemo coram ipso posset consistere: sicut prædixit Malachias cap. 3. v. 1. & 2.

ANALYSIS CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Quærit ex primoribus, unde fuerit baptismus Johannis: per parabolam de vinea conqueritur de ipsorum impietate: respondet ad quæstionem de censu: asserit resurrectionem carnis adversus Sadducæos: movet quæstionem de Christo, quomodo sit filius Davidis: monet, Scribarum mores non imitandos. Ita sunt sex partes.

PARS PRIMA.

Quærit ex primoribus, unde fuerit baptismus Johannis.

ET factum est quodam dierum illarum, quum ipse doceret populum in templo, & evangelizaret, supervenerunt principes Sacerdotum & Scribæ, cum Senioribus,

2 *Et*

2 *Et dixerunt ei, Dic nobis qua potestate ista facias, aut quis ille sit qui dedit tibi istam potestatem.*

3 *Respondens autem dixit eis, Interrogabo vos & ego rem quandam, dicite igitur mihi,*

4 *Baptismus Johannis è cælo erat, an ex hominibus?*

5 *At illi ratiocinati sunt apud se, dicentes; Si dixerimus, E cælo: dicet, Quare ergo non credidistis ei?*

6 *Sin autem dixerimus, Ex hominibus: tota plebs lapidabit nos. persuasa enim est, Johannem Prophetam esse.*

7 *Responderunt igitur se nescire unde fuerit.*

8 *Tum Jesus dixit eis, Neque ego igitur dicam vobis qua potestate hæc faciam.*

Primùm narratur quæstionis hujus occasio, deinde recitatur quæstio ipsa, tum narratur eventus. Occasionem Domino ad hanc quæstionem primoribus proponendam præbuit quæstio ipsorum, Qua potestate ipse nuper ista fecisset quæ fecerat: & ex parte etiamnum faceret: nempe quòd tanquam Christus ingressus esset Hierosolymam, quòd ex templo ejecisset vendentes & ementes, quòd in templo quotidie doceret, v. 1. & 2. Quæstio ipsa recitatur v. 3. & 4. Ubi observandum: Domino non fuisse propositum declinare responsionem ad quæstionem sibi propositam, sed potiùs ad illam respondere, suamq; responsionem confessione adversariorum confirmare. Si enim illi ad quæstionem ipsius verum responsum dedissent, nempe se statuere, baptismum Johannis fuisse è cælo: tum Dominus inde deduxisset responsum ad quæstionem sibi propositam, nempe se ea quæ fecerat & adhuc faciat, fecisse & facere potestate divina seu à Deo sibi data: quia nimirum Johannes ipsi dederat testimonium, quòd ipse sit Christus. Eventus narratur duplex: unus in adversariis Domini, alter in ipso Domino. Adversarii Domini responderunt se nescire, unde fuerit baptismus Johannis, v. 7. Dominus verò profitetur, se nolle apertè seu directè ad ipsorum quæstionem respondere, v. 8. Prior eventus declaratur è causa sua propria seu per se, videlicet metu vel justæ reprehensionis, v. 5: vel lapidationis à plebe, v. 6. Quem metum concludebant dilemmate, ut

patet v. 5. & 6. Posterior autem eventus ex priore concluditur per argumentationem à pari: quę argumentatio notatur his verbis, *Neque ego dicam vobis*, quasi dicat, Si vos non vultis mihi respondere ad quæstionem meam: pari ratione nec ego respondebo ad quęstionem vestram: quũ duo ista in pari jure versentur.

PARS SECUNDA.

Per parabolam de vinea conqueritur de primorum impietate.

9 *Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc, Quidam plantavit vineam, & elocavit eam agricolis: & peregre abfuit multum temporis.*

10 *Et suo tempore misit servum ad illos agricolas, ut ex fructu vineæ darent sibi. Agricolæ autem cæsum illum ablegarunt inanem.*

11 *Ille verò perrexit & misit alterum servum: at ipsi hunc quoque cæsum & contumeliâ affectum ablegarunt inanem.*

12 *Et perrexit ac misit tertium: at illi & istum vulneratum ejecerunt.*

13 *Dixit igitur Dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan quum hunc viderint, reverebuntur.*

14 *Viso autem eo agricolæ colloquuti sunt inter se, dicentes, Iste est hæres: venite, trucidemus eum, ut nostra fiat hereditas.*

15 *Et ejectum eum extra vineam, trucidarunt. Quid ergo faciet eis dominus vineæ?*

16 *Veniet & perdet agricolas istos, & dabit vineam aliis.* Hoc *autem quum audissent, dixerunt, Absit.*

17 *Ille verò intuitus eos ait, Quid illud est ergo quod scriptum est, Quem lapidem reprobaverunt ædificatores, is factus est caput anguli?*

18 *Quisquis cecidit super illum lapidem, confringetur: super quem autem ceciderit, dissipabit eum.*

19 *Tum studuerunt principes Sacerdotum & Scribæ injicere in eum manus eo ipso momento: sed timuerunt plebem. cognoverant enim* eum *adversus ipsos dixisse similitudinem istam.*

Primùm notatur parabolæ hujus proponendę occasio, deinde

deinde recitatur parabola ipſa, poſtremò narrantur eventa. Occaſio notatur per cohærentiam ſermonis, ubi ait Evangeliſta: *Cæpit autem dicere ad plebem*, ſcil. poſteaquam plebe audiente primores propoſuerant Domino quæſtionem, eò directam ut ipſum tanquam ſeditioſum ad ſupplicium raperent: ut ex dictis colligitur. Itaq; quum illi hanc ſuam impietatem & crudele propoſitum non obſcurè ſignificaſſent: Dominus ea de re querelam apud plebem inſtituit. Ad parabolam quod attinet: per vineam intelligitur populus Dei, ut poteſt percipi ex collatione cum Eſa. 5. per eum qui plantavit vineam & agricolis locavit, intelligitur Deus pater: per agricolas intelliguntur primores populi Dei, tum politici tum Eccleſiaſtici: ut principes ſacerdotum, ſeniores, Scribæ & Phariſæi. Per ſervos miſſos ad illos agricolas ut peterent ex fructu vineæ, intelliguntur Prophetæ. Denique per filium domini vineæ intelligitur ipſe Chriſtus. Sententia igitur parabolæ eſt: primores illos eſſe homines impios: quippe qui recuſent Deo fructus dare, qui occiderint Prophetas, & ipſum quoque occiſuri ſint: Deum verò impietatem iſtam ſeverè ulturum, perdédo ipſos & populum ſuum committendo aliis. Euenta narrantur tria: primum in primoribus illis, ſecundum in ipſo Domino, tertium rurſus in primoribus. Primum eventum eſt, quòd Domino contradixerunt, v. 16. Secundum eventum eſt, quòd Dominus doctrinam ſuam, videlicet tum querelam principalem quòd occiſuri eſſent Chriſtum, tum annexam pœnę denuntiationem confirmavit: idque teſtimonio Pſalmi 117. ubi habetur fore ut primores populi Dei Chriſtum reprobent, v. 17: & ut propterea confringantur ac diſſipentur, v. 18. Tertium eventum eſt, quòd ſtuduerunt manus in eum injicere, v. 19. Hoc eventum illuſtratur expoſitione cauſæ corrumpentis, ibi: *Sed timuerunt plebem*: id eſt, Sed non injecerunt manus in eum, quia timebant plebem, ne ſcil. à plebe lapidarentur. Deinde illuſtratur idem eventum expoſitione cauſæ per ſe: ibi, *Cognoverant enim, eum adverſus ipſos dixiſſe ſimilitudinem iſtam.*

PARS TERTIA.

Respondet ad quæstionem de censu.

20 *Itaque observantes* eum, *miserunt insidiatores, qui se justos esse simularent: ut carperent ejus sermonem, tradituri eum imperio & potestati Præsidis.*

21 Illi *igitur interrogaverunt eum, dicentes; Magister, scimus te rectè dicere & docere, nec accipere faciem, sed viam Dei in veritate docere:*

22 *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?*

23 *Animadversâ autem eorum calliditate, dixit eis, Quid me tentatis?*

24 *Ostendite mihi denarium: cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes autem dixerunt, Cæsaris.*

25 *Tunc dixit eis, Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

26 *Itaque non potuerunt dictum ejus carpere coram plebe: & mirati super ejus responso, siluerunt.*

Primùm indicantur quæstionis hujus causæ efficientes, 2 causæ finales, 3 narratur ipsa quæstionis propositio, 4 præparatio ad responsionem, responsum ipsum, 6 eventa. Causæ efficientes hujus quæstionis indicantur duæ: v. 20. principalis & ministrans. Principalis causa fuerunt primores Judæorum: de quibus ait Evangelista, *Itaque observantes eum, miserunt* &c. Ministrans causa fuerunt insidiatores à primoribus missi qui se simulabant justos, ut Dominum faciliùs deciperent, eliciendo liberam aliquam vocem quæ in jugulum ipsius rediret. Causæ finales narrantur duæ, quarum prior posteriori fuit subordinata. prior fuit, *Ut carperent ejus sermonem*: posterior, *ut* si quid contra Cæsarem Dominus pronunciasset, ut sperabant futurum, *traderent eum imperio et potestati præsidis.* Quæstionis propositio narratur v. 21. & 22. amplificata insinuatione & hypocriticâ Domini laudatione ad eliciendum directum & categoricum responsum. Sive autem simpliciter affirmasset, sive negasset Dominus: periculosum responsum futurum erat. nam si simpliciter affirmasset censum

censum Cæsari dandum, offendisset populum, tanquam qui delactaretur ipsorum servitute: si verò negasset, detulissent eum ad præsidem tanquam seditiosum. Præparatio narratur v. 23. & 24. quæ consistit in quatuor actionibus: quarum tres sunt Domini, quarta adversariorum. Dominus primùm objurgat eos propter hypocrisin, dicens, *Quid me tentatis?* Hæc objurgatio declaratur ex causa per se, videlicet animadversione calliditatis ipsorum. Deinde jubet sibi ostendi denarium: ut nimirum ipso sensu oculorum & confessione adversariorum confirmet responsum quod daturus erat. Tertiò quærit ex adversariis, cujus sit imago denario (id est, nomismati census) impressa: itemque inscriptio. Adversarii respondent, Esse Cæsaris. Responsum ipsum recitatur v. 25. cujus sententia est, censum esse Cæsari dandum. Sententiæ probatio: quia illi jure debeatur. Quod ipsum modò fuerat probatum ab effectu: quia Judæi utebantur & cogebatur uti nomismate à Cæsare percusso: quò ipso testabantur, se illum pro suo Domino agnoscere. Simul autem refutatur objectio: Si censum debemus Cæsari dare: non suppetet nobis quod demus Deo, id est quod cõtribuamus ad cultum Dei, ac proinde excusati erimus, si non demus. Respondet: Imò nihilominùs, debetis Deo dare quod illi debetur. Eventa narrantur tria v. 26. 1. *Non potuerunt verba ejus carpere coram populo.* 2. *Mirati fuerunt super ejus responso.* 3. *Siluerunt.*

PARS QUARTA.

Asserit resurrectionem carnis contra Sadducæos.

27 *Accedentes autem quidam Sadducæorum, (qui negant esse resurrectionem) interrogarunt eum,*

28 *Dicentes; Magister, Moses scripsit nobis, Si cujus frater mortuus fuerit habens uxorem, & sine liberis mortuus fuerit, ut ejus frater accipiat uxorem illam, & excitet semen fratri suo.*

29 *Septem ergo fratres fuerunt, quorum primus accepta uxore mortuus est sine liberis.*

30 *Accepit igitur eam secundus, qui & ipse mortuus est sine liberis.*

31 *Deinde tertius accepit eam: itidem autem & illi septem nec reliquerunt liberos, & mortui sunt.*

32 *Post omnes autem mortua est & mulier.*

33 *In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? nam illi septem habuerunt eam uxorem.*

34 *Tum respondens dixit eis Jesus, Filii hujus ævi ducunt uxores, & nuptum dantur.*

35 *Qui verò digni habiti fuerint ut ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur:*

36 *Neque enim mori possunt amplius (pares enim Angelis sunt) & filii sunt Dei, quum sint filii resurrectionis.*

37 *Mortuos autem excitari, etiam Moses indicavit apud rubum, quum dicit Dominum Deum Abrahami & Deum Isaaci, & Deum Jacobi.*

38 *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim ei vivunt.*

39 *Respondentes autem ei quidam ex Scribis dixerunt, Magister, bene dixisti.*

40 *Nec amplius audebant eum quicquam ultrà interrogare.*

Primùm narratur, causa impulsiva objectionis Sadducæorum: deinde ipsa objectio: tum responsio Christi: postremò eventa. Causa impulsiva fuit opinio Sadducæorum de resurrectione, quòd scil. non sit resurrectio. Hanc igitur opinionem ut affererent, eâdemque operâ Dominum pudefacerent: quem scil. sperabant non posse ipsorum argumentum solvere: objectionem istam Domino proposuerunt. Id significatur v. 27. ubi ait Evangelista, *Qui negant esse resurrectionem*. Objectio concluditur hoc syllogismo:

Si esset futura resurrectio: tum futurum esset ut septem viri haberent unam uxorem.

At hoc futurum non est: quia absurdum.

Ergo nec resurrectio futura est.

Connexum probant à pari, ad hunc modum:

Si septem fratres in hac vita habuerunt unam eandemq; uxorem jure: etiam in altera vita eam habituri sunt jure.

At septem fratres in hac vita habuerunt jure unam uxorem.

Ergo

Ergo in altera etiam vita eam habituri sunt: & per consequens, si erit resurrectio, septem viri unam habebunt uxorem.

Assumptionis membrum unum, quòd scil. septem fratres habuerint unam uxorem, probant narratione exempli quod ipsorum memoriâ (ut videtur) acciderat: alterum verò membrum, quòd habuerint eam jure, probant testimonio legis, quæ extat Deut. 25. v. 5. In textu, primo loco ponitur testimonium illud Legis quod spectat ad approbandum alterum membrum assumptionis prosyllogismi, v. 28. Secundo loco ponitur narratio exempli: quæ pertinet ad approbandum alterum ejusdem assumptionis membrum, v. 29. 30. 31. 32. Tertio loco ponitur sententia conclusionis prosyllogismi, v. 33. sed obliquè, transformata scil. in quæstionem ad quam putabant non posse aliud responderi quàm id ipsum quod illo prosyllogismo cõclusum volebant. quærunt enim, *In resurrectione ergo cujus eorum erit uxor?* quasi dicant, Videtur negari non posse quin sit futura uxor omnium illorum septem, non autem uniùs tantùm ex illis. Quarto & postremo loco ponitur ipsa prosyllogismi assumptio, ibid. his verbis, *Nam illi septem habuerunt unam uxorem.*

Responsio Domini bimembris est. nam primùm refutat allatam objectionem: deinde confirmat sententiam veram, conclusioni objectionis principali contrariam, videlicet quòd sit resurrectio. Refutationis vis posita est in negandâ propositione prosyllogismi. Nam connexum illud quod nititur naturâ parium, falsum esse demonstrat, ostendendo dissimilitudinem hujus vitæ & futuræ: quia scil. in altera vita non sit locum habiturum conjugium, v. 35. quod confirmat à causa: quia tum non sit futurus locus morti, v. 36. hæc enim causa est conjugii in hac vita, ut quia homines per mortem è medio tolluntur, per conjugium alii in locum eorum generentur. Et hoc ipsum illustrat collatione parium. ubi ait, *Pares enim Angelis sunt:* id est, æquè immortales atque beati ac illi. Quod ipsum confirmat à causa procreante, ubi ait: *Et filii sunt Dei*, id est, vitam cælestem vivent, ut nũc sancti Angeli: qui prop-

terea in Scriptura filii Dei nominantur, quia in cælo apud Deum tanquam patrem degunt, cæleſtemq; vitã vivunt. Atque ſic Dominus objectionem Sadducæorum refutat. Reſurrectionem verò mortuorum aſſerit tali argumento:

Quorum hominum deus eſt Deus, illos neceſſe eſt vivere, ſaltem animâ ſcilicet tum corpore. v. 38.

Atqui Abrahami, Iſaaci & Jacobi deus eſt Deus. v. 37.

Ergo illi vivunt. Et per conſequens ceteri quoque pii: quum omnium eadem ſit ratio.

Propoſitionis veritas per ſe manifeſta eſt: quia quorum deus eſt Deus, id eſt, quos favere & gratiâ complectitur, eos affici beatos, dum eis favorem ſuum guſtandum præber, idq; in æternum. Aſſumptionem probat teſtimonio Moſis, quod habetur Exod. 3. v. 6. Quod teſtimonium de induſtria addixit, non autem ex Prophetis aliquod protulit: quia Sadducæi eum quibus illi res erat, Prophetas repudiabant, ſolum Moſen pro authentico ſive canonico ſcriptore habebant. Quare non licebat eis teſtimonium illud rejicere. In textu, primo loco ponitur concluſio, ibi, *At mortuos autem excitari*: ſecundo loco probatio aſſumptionis, ibi, *Etiam Moſes indicavit*: tertio loco aſſumptio, *Quum dicit Dominum deum Abrahami* &c. quarto & poſtremo loco ponitur ſententia propoſitionis illuſtrata contrario, ibi, *Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum.* Quæ ſententia mox repetitur, ibi, *Omnes enim vivunt ei.* Eventa narrantur duo: unum in Scribis: qui reſpõſum Domini approbarunt, v. 39. Cauſa erat: quia diſſentiebant à Sadducæis. Alterum in Sadducæis pariter & Scribis: quòd non auſi ſunt eum amplius interrogare, id eſt, interrogando objicere difficiles nodos: quia nimirum videbant, ipſum expeditè omnes nodos ſolvere, nec poſſe à ſe pudefieri: ſed potiùs ſe ipſos pudefieri.

PARS QUINTA.

Dominus movet quæſtionem de Chriſto, quomodo ſit filius Davidis.

41 *Dixit autem eis, Quomodo dicunt Chriſtum filium eſſe Davidis?*

42 *Ai*

42 *At ipſe David dicit in libro Pſalmorum, Dixit Dominus domino meo, Sede à dextris meis,*

43 *Uſquedum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?*

44 *David ergo dominum eum vocat; quomodò igitur filius ejus eſt?*

Quæſtione hac innuitur reſponſio negativa: non quòd Dominus ſerio negare vellet, Chriſtum eſſe filium Davidis: id enim Scriptura clarè teſtatur: ſed ut in lucem produceret inſcitiam Scribarum & Phariſæorum: ut qui nodum iſtum non poſſent diſſolvere, id eſt, argumentum quod ipſe ex Scriptura afferebat ad ſententiam illam negativam probandam. Scopus autem ipſius erat, oſtendere, Chriſtum non eſſe tantùm filium Davidis: ſed aliquid amplius, nempe etiam filium Dei, atque adeò verum Deum. Cæterùm quæſtionem propoſitam concludit tali ſyllogiſmo.

Si Chriſtus eſt dominus Davidis, non eſt filius ejus.
At Chriſtus eſt dominus Davidis.
Non igitur filius.

Aſſumptionem probat teſtimonio ipſius Davidis ex Pſal. 110. v. 1. In textu primo loco ponitur ſententia concluſionis, v. 41. Secundo loco ponitur probatio aſſumptionis, v. 42. & 43. Tertio loco aſſumptionis probatio repetitur, in principio v. 44. Quarto & poſtremo loco annectitur ſententia propoſitionis, ibi: *Quomodo igitur filius ejus eſt.* ubi conjunctio ſyllogiſtica *igitur* innuit hoc connexum: Si igitur Chriſtus eſt dominus Davidis (ut modò eſt probatum ipſius Davidis teſtimonio) non poterit ejus eſſe filius.

PARS SEXTA.

Monet diſcipulos ne imitentur Scribarum mores.

45 *Audiente verò toto populo, dixit diſcipulis ſuis.*

46 *Cavete à Scribis, qui volunt ambulare ſtolati, & amant ſalutationes in foro, ac primos conſeſſus in conventibus, & primos accubitus in cœnis.*

47 *Qui devorant domos viduarum, & in ſpeciem precibus*

longis utuntur: isti auferent gravius judicium.

Ratio hujus admonitionis est, quòd Scribarum mores sint vitiosi: quodq; illi propterea sint à Deo puniendi. Tria autem illorum vitia commemorat: ambitionem, v. 46. avaritiam, v. 47. & hypocrisin, ibid. ubi ait, *Et in speciem longis precibus utuntur.*

SCHOLIA IN CAP. XX.

1 *Quodam dierum illorum.* ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων. *Supervenerunt.* ἐπέστησαν. Vel, ingruerunt, ex improviso scilicet.

2 *Quâ.* ἐν ποίᾳ. Ad verb. In qua. Hebraismus. Et ποίᾳ quali: pro, τίνι, quâ.

3 *Eam quandam.* ἑνὶ λόγῳ. Ad verb. Unum sermonem, sive unum verbum. Hebraismus geminus. *Dicite igitur.* καὶ εἴπατε. Pro, εἴπατε οὖν. Copulativa pro illativa.

4 *Et celo.* ἐξ οὐρανοῦ. Id est, à Deo. Metonymia subiecti. Sic suprà cap. 15. v. 18. & 21. *Peccavi in celum. Ex hominibus.* ἐξ ἀνθρώπων. Id est, ὑπ' ἀνθρώπων. ab hominibus. Heterosis præpositionis notantis materiam pro ea quæ notat efficientem. Sic Rom. 11. v. ult. Ἐξ αὐτοῦ, ex eo (scil. Deo) sunt omnia.

5 *Si dixerimus &c.* ὅτι ἐὰν εἴπωμεν. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Porrò sentiunt hypocritæ, se utroque cornu dilemmatis feriri: itaq; ignorantiam prætendunt.

6 *Lapidabit.* καταλιθάσει. Id est, lapidibus obruet & occidet.

7 *Responderunt igitur.* καὶ ἀπεκρίθησαν. Pro, ἀπεκρίθησαν οὖν.

8 *Tum.* καὶ. Pro, τότε. *Dicam.* λέγω. Pro, εἴπω.

9 *Multum temporis.* χρόνους ἱκανούς. Ad verb. Tempora sufficientia.

10 *Suo tempore.* ἐν καιρῷ. Nomen καιρὸς notat hîc certum anni tempus, videlicet tempus fructuum: ut expressè nominat Matthæus, cap. 21. v. 34. Gallicè, *Quand vint la saison. Darent sibi.* δῶσιν αὐτῷ. Pro, αὐτῷ vel ἰδίᾳ: nempe domino vineæ. Vulgata, *darent illi.* quasi referendum sit ad servum.

11 *Perrexit & misit.* προσέθετο πέμψαι. Ad verb. Addidit mittere.

mittere. Hebraismus, qualis suprà 19. 11. Porrò, προσέθετο πέμψαι, dictum est pro, προσέθετο καὶ ἔπεμψε: perrexit (scil. mittere) & misit. Sic versu seq.

13 *Forsitan.* ἴσως. Græca vox propriè significat *æqualiter* seu *pariter*: & notat, par seu consentaneum esse, fore id de quo sermo est. Est particula affirmãdi opinabiliter & cum dubitatione. Aristoteles Rhet. 2. καὶ ἀμφισβητοῦντες προστιθέασιν ἀεὶ τὸ ἴσως καὶ τάχα: id est, Quum de re quapiam dubitant, apponunt semper particulam ἴσως & τάχα.

14 *Colloquuti sunt inter se.* διελογίσαντο πρὸς ἑαυτοὺς. Pro his verbis habet Matthæus, εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, dixerunt inter se. Itaque διαλογίζεσθαι idem hîc valet quod διαλογεῖσθαι. Quod ipsum percipitur ex verbis proximè sequentibus. Aliâs verò significat idem quod λογίζεσθαι, ratiocinari.

16 *Absit.* μὴ γένοιτο. Primâ fronte videri possit, Scribas hoc verbo negare id quod Dominus postremum dixerat: videlicet dominum vineæ perditurum agricolas istos, & vineam daturum aliis: quum tamen Matthæus referat, ipsosmet istud affirmasse & interroganti Domino respondisse, Matth. 21. 41. Notandum igitur eos hoc verbo non negare quòd proximè præcessit, id est, clausulam illam parabolæ de eo quod agricolis istis eventurum sit: sed negant id quod intelligebant (teste Matthæo, 21. 45. Dominum per istam parabolam significasse, nempe ipsos occisuros filium domini vineæ, id est, Messiam seu Christum. Hanc esse sententiam; apparet ex responsione Domini versu seq. ubi ait, *Quid illud est ergo quod scriptum est* &c. Quasi dicat, Si vos non estis occisuri Messiam: quid ergo est quòd Scriptura testatur, vos istud facturos.

17 *Ædificatores.* οἱ οἰκοδομοῦντες. Sive structores. Participium habet hîc vim nominis, more Hebræorum. *Factus est caput.* ἐγένηθη εἰς κεφαλὴν. Ad verb. Factus est in caput. Hebraismus. *Caput Anguli.* εἰς κεφαλὴν γωνίας. Id est, lapis angularis.

18 *Confringetur.* συνθλασθήσεται. Vel, contundetur.

19 *Sed timuerunt plebem.* καὶ ἐφοβήθησαν τὸν λαόν. Id est, Sed non injecerunt, propterea quòd timuerunt plebem. Synecdoche mẽbri metonymica: quâ effectum intelligitur

unâ cum causa. *Cognoverant enim.* ἔγνωσαν γάρ. Hæc sententia non cohæret cũ proxime præcedente, sed cum remotiore. *Adversus ipsos.* πρὸς αὐτοὺς. Pro, κατ' αὐτῶν. Sic Marc. 12. v. 12.

20 *Itaque.* καὶ. Pro, οὐκοῦν vel πυνθανόμενοι.

21 *Faciem.* πρόσωπον. Sic Matth. 22. 16. & Marc. 12. 14. Vide schólia in Rom. 2. 11.

22 *Tributum.* φόρον. Matthæus & Marcus vocant νόμισμα, id est, censum.

26 *Dictum.* ῥήματος. Id est, id quod dixerat, nempe responsum ad quæstionem de censu.

27 *Qui negant esse resurrectionem.* οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι. Ad verb. *Qui contradicunt, resurrectionem non esse.* pro, οἱ ἀντιλέγοντες ἀναστάσει τῇ: qui contradicunt, resurrectionem esse: hoc est, qui contradicunt affirmantibus resurrectionem esse. Redundat particula negandi, μὴ: vel ἀντιλέγοντες positum pro simplici λέγοντες.

28 *Excitet semen.* ἐξαναστήσῃ σπέρμα. Id est, procreet prolem. Est autem hoc intelligendum de prole masculâ.

31 *Et illi septem.* καὶ οἱ ἑπτά. Pro, Et cæteri quatuor, ac proinde omnes septem. Consequens pro antecedente. Sic Matth. 22. 26. ἕως τῶν ἑπτά, usque ad illos septem: pro, usque ad septimum, ac proinde omnes illi septem. Sic Marc. 12. 22. καὶ ἔλαβον αὐτὴν οἱ ἑπτά. Et acceperunt eam septem illi: pro, Denique acceperunt: vel, Et acceperunt eam similiter cæteri quatuor, ac proinde omnes illi septem.

34 *Filii huius ævi.* οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου. Id est, homines hujus sæculi. Hebraismus.

35 *Æternum illud.* τοῦ αἰῶνος ἐκείνου. Id est, vitam æternam, secuturam post hanc vitam: seu felicitatem alterius sæculi. Metonymia subjecti. *Et resurrectionem.* καὶ τῆς ἀναστάσεως. Scil. ad vitam. Synecdoche generis. nam quidam resurgent ad mortem æternam, Joh. 5. v. 28. & 29.

36 *Pares Angelis.* ἰσάγγελοι. Id est, similes Angelis, scil. bonis: ut liquet ex Matthæo, qui habet, ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσί, ut Angeli Dei in cælo sunt, Matth. 22. 30. Catachresis & synecdoche generis. *Filii Dei.* υἱοὶ τοῦ Θεοῦ. Scil. adoptivi: nempe adoptati ex gratia in Christo, Ephes. 1. 5. *Filii resurrectionis.* τῆς ἀναστάσεως υἱοί. Id est, particeps beatæ resurre-

resurrectionis.

37 *Excitari.* ὅτι ἐγείρονται. Pro, ὅτι ἐγερθήσονται, excitatum iri. *Quum dicit Dominum deum &c.* ὡς λέγει Κύριον τὸν θεὸν, &c. Id est, Quum scribit, Dominum esse deum &c. seu, Quum scribit, Dominum dixisse, se esse deum &c. Vide Exod 3.6.

38 *Deus autem.* Θεὸς δέ. Conjunctio transitiva hîc annectit syllogismi propositionem. *Non est mortuorum, sed vivorum.* οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. Supple θεὸς, deus: quod exprimitur Matth. 22. 32. *Omnes enim.* πάντες γάρ. Declaratio est propositionis syllogismi, quæ modò præcessit. τὸ καθ' ὅλου autem restringendum est ad præsentem hypothesin: Omnes, nempe quorum deus est Deus: hoc est, quos suâ gratiâ & favore prosequitur. Nec est putandum, γάρ esse positum pro οὖν, quasi his verbis contineatur syllogismi conclusio. *Et vivent.* ἀντὶ τοῦ ζῶσι. Id est, quantum ad ipsum attinet: quippe cui omnia sunt præsentia. quare tam certum est, confederatos Dei qui jam mortui sunt, resurrecturos, ac si jam resurrexissent.

40 *Quicquam.* οὐδέν. Ad verb. Nihil. Gemina negatio more Græcorum.

41 *Quomodo dicunt.* πῶς λέγουσι. Potest accipi impersonaliter: nam vulgò istud dicebatur. Sed Matth. 22.42 introducuntur Pharisæi hoc dicentes, & Domino respondentes.

42 *At ipse David.* καὶ αὐτὸς Δαυὶδ. Copulativa pro adversativa. *Dixit Dominus domino meo.* εἶπεν ὁ Κύριος τῷ κυρίῳ μου. In Hebræo prius nomen est יהוה Jehovâh, quod est Dei proprium: posterius אדון adón, quod est appellativum & hominibus cum Deo commune. Itaq; vis argumenti non est in propria significatione nominis יהוה adón: sed in relatione illius ad Davidem. Non enim esset dominus Davidis, si nihil aliud esset quàm illius filius.

44 *Quomodo igitur.* καὶ πῶς. Id est, πῶς οὖν. Est enim hæc syllogismi conclusio. Porrò οὖν, quod præcessit, non est conclusionis, sed transitionis, ubi ait: Δαυὶδ οὖν. Divid igitur. Nam recitato Davidis testimonio è Psalmo, repetit ejus summam, ut inde deducat conclusionem.

47 *Judicium.* κρίμα. Id est, damnationem. Synecdoche generis.

OBSERVATIONES EX CAP. XX.

cap. Ex quæstione Domini de baptismo Johannis. Opera danda piis doctoribus verbi Dei, ut hostes veritatis, sapientibus quæstionibus pudefaciant.

cap. Ex parabola de vinea. Quum videmus hodie, illos qui sese gloriantur esse architectos domus Dei, hoc est, gubernatores Ecclesiæ (videlicet Papam cum Cardinalibus & Episcopis suis) rejicere doctrinam Christi, & sinceros illius doctores atq; confessores hostiliter persequi: consolemur nos exemplo piorum Propheratum, Christiq; ipsius: quibus idem à gubernatoribus Ecclesiæ Israëliticę evênit. Item consideratione vndictæ divinæ: quæ hos non minùs manet, quàm illi eam jam sunt experti: quum Deus naturam suam non mutet, sed semper sibi similis maneat.

ibi. Ex v. 19. Hostes veritatis nihil quicquam in confessores illius possunt, antequam eis à Deo permittatur.

cap. Ex responsione ad quęstionem de censu. Si piis doctoribus accidat, ut hostes veritatis doctrinam ipsorum calumnientur tanquã seditiosam, ac proinde ipsos accusent tanquam authores seditionis: consolétur sese exemplo Christi, cui idem à principibus sacerdotum & scribis accidit.

cap. Ex v. 25. Magistratui ità obediendum est, ut interim conservetur obedientia erga Deum. Quare iniquis quoque ac duris mandatis magistratus obediendum, si interim salva maneat obedientia erga Deum.

ibi. Ex v. 26. Hostes veritatis sapientibus piorum doctorũm responsis (quæ Spiritus Dei ipsis suggerit) in astutia sua confunduntur, ut nihil eis relinquatur quod veritati opponant.

Ex sermone Domini cum Sadducæis de resurrectione mortuorum.

ibi. 1. Articulus fidei nostræ de resurrectione mortuorum certissimæ atque indubitatæ veritatis est: quia & in Scriptura traditus & ore ipsius Domini assertus.

ibi. 2. Pii à mortuis excitati, vivent vitam cælestem, beatam atque immortalem: qualis est sanctorum Angelorum.

Confer

Confer 1. Cor. 15. v. 35. & deinceps.

Ex quæstione Domini, cujus filius sit Christus. Christus non est tantum filius Davidis, ac proinde verus homo: sed etiam dominus Davidis, ac proinde verus Deus. 41.

Ex admonitione Domini de non imitandis moribus Scribarum. Quum pastores Ecclesiæ ambitiosi & avari sunt: cavendum auditoribus ne hæc illorum vitia imitentur. 45.

ANALYSIS CAP. XXI.

ARGVMENTVM.

Dominus laudat oblationem viduæ: deinde prædicit interitum templi & urbis, nec non signa præcessura extremum judicium. Postremò additur narratiuncula generalis de factis Domini per illos dies quibus Hierosolymæ commoratus est sub tempus suæ passionis. Ita sunt partes tres.

PARS PRIMA.

Dominus laudat oblationem viduæ.

INtuitus autem vidit divites qui conjiciebant dona sua in gazophylacium.

2 *Vidit autem etiam quandam viduam pauperculam conjicere illuc minuta duo.*

3 *Et dixit, Verè dico vobis, vidua hæc pauper injecit amplius quàm omnes.*

4 *Nam omnes hi ex eo quod ipsis redundat injecerunt in dona Dei: hæc autem injecit ex penuria sua totum victum quem habebat.*

Primùm narratur laudationis hujus occasio, deinde laudatio ipsa. Occasio fuit, quòd Dominus aspexit quomodo dona injicerent in gazophylacium, v. 1. & 2. Laudatio ipsa constat propositione, v. 3. & ratione, v. 4. Propositio primâ fronte est παράδοξον, si scil. spectetur, Proportio arithmetica. Sic enim divites ampliorem pecuniam obtulerant quàm illa vidua quæ tantùm duo minuta

obtulerat. Sed ex addita ratione intelligitur, sententiam illam esse veram, spectatâ proportione Geometricâ: qua scil. non donum cum dono simpliciter comparatur: sed comparatur donum utrumque cum utriusq; donantis facultatibus, harum enim respectu minora erant dona divitum, quàm donum viduæ: quia illi dederant ex redundantia sua, ita ut multum ipsis remaneret: at vidua dederat totam substantiam suam, ita ut nihil pecuniæ ei remaneret.

PARS SECUNDA.

Dominus prædicit interitum templi & urbis, nec non signa præcessura extremum judicium.

5 *Et quibusdam dicentibus de templo, quòd pulcbris lapidibus ac donariis ornatum esset, dixit,*

6 Quod *ad hæc quæ spectatis, venient dies quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.*

7 *Interrogaverunt autem eum, dicentes, Magister, quando hæc erunt? & quod signum quando futurum est ut ista fiant?*

8 *Ipse verò dixit, Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum* Christus: *& tempus illud appropinquat, ne igitur sequimini eos.*

9 *Quum verò audieritis bella & seditiones, ne consternamini: oportet enim ista primùm fieri: sed non statim erit finis.*

10 *Tunc dixit eis, Insurget gens in gentem, & regnum in regnum.*

11 *Et magni terræ motus erunt singulis locis, & fames ac pestilentiæ, & terriculamenta, & signa è cælo magna erunt.*

12 *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, & vos persequentur, tradentes in synagogas & carceres, adductos ad reges at præsides propter nomen meum.*

13 *Hæc autem evenient vobis in testimonium* adversus ipsos.

14 *Habete igitur fixum in cordibus vestris, non esse præmeditandam defensionem.*

15 *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt contradicere, neque resistere, omnes qui se vobis opponent.*

16 *Trademini autem etiam à parentibus & fratribus & cognatis & amicis: & morte multabunt* quosdam *ex vobis.*

17 *Et*

17 *Et eritis exosi omnibus propter nomen meum.*

18 *Sed capillus quidem ex capite vestro peribit.*

19 *Per tolerantiam vestram possidete animas vestras.*

20 *Quum autem videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vastationem ejus.*

21 *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes: & qui in medio ejus, excedant: & qui in agris, non ingrediantur in eam.*

22 *Nam hi sunt dies ultionis, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.*

23 *Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. erit enim necessitas magna in hac regione, & ira in populo isto.*

24 *Et cadent acie gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes: & Hierosolyma calcabitur à Gentibus, donec impleta fuerint tempora Gentium.*

25 *Tunc erunt signa in sole & luna & sideribus: & in terra angustia Gentium in consilii inopia, resonante mari & fluctibus.*

26 *Dum exanimabuntur homines præ timore & exspectatione eorum quæ invasura sunt orbem terrarum, nam vires cœlorum concutientur.*

27 *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa.*

28 *Quum autem hæc fieri incipient, suspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestri.*

29 *Dixit etiam eis hanc parabolam, Videte ficum & omnes arbores:*

30 *Quum jam emiserint folia, vos ea cernentes per vos ipsos agnoscitis jam propè esse æstatem:*

31 *Ita & vos quum videritis hæc fieri, agnoscite propè esse regnum Dei.*

32 *Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc ætas quousque hæc omnia facta fuerint.*

33 *Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt.*

34 *Cavete autẽ vobis ne quando graventur corda vestra crapulâ et ebrietate, & curis de victu: & repentè vobis superveniat dies ille.*

35 *Nam ut laqueus, invadet in omnes qui habitant in superficie totius terræ.*

36 *Excubate igitur, omni tempore rogantes ut digni habea-*

mini qui effugiatis ista omnia quæ futura sunt, & consistatis coram Filio hominis.

Primùm narratur occasio hujus prædictionis, 2 prædictio ruinæ templi, 3 prædictio cladium præcessurarum, 4 prædictio vastationis urbis, 5 prædictio signorum præcessurorum extremum judicium. Occasionem Domino ad hanc sermonem præbuit sermo quorundam qui commendabant templi pulchritudinem, v. 5. Ubi simul notatur finis: nempe ut eximeret illis falsam de templo opinionem, quasi non esset futurum ut destrueretur: quia nimirum Deus id non esset permissurus, propter ipsius pulchritudinem & sanctitatem. Prædictio ruinæ templi recitatur, v. 6. Prædictio cladium illustratur ex occasione, videlicet quæstione discipulorum, v. 7. Deinde clades ipsæ recitantur: quarum aliæ sunt omnib. Judæis communes, à v. 8. usque ad 12: aliæ discipulorum propriæ, à v. 12. usque ad 20. Communes sunt: periculum seductionis per falsos Christos, v. 8: rumor bellorum & seditionum, v. 9: bella ipsa, v. 10: terræmotus, fames, pestilentiæ, & signa è cælo, v. 11. Harum prædictionum prima amplificatur admonitione inde deducta, ubi air, *Videte ne seducamini*, item, *Ne igitur sequimini eos*. Secunda verò amplificatur oppositâ consolatione, ubi ait: *Ne consternamini: oportet enim ista primùm fieri*. Atque hæc de cladibus communibus. Propriæ discipulorum clades sunt, persecutio popularium propter nomen Jesu, v. 12. & in fine v. 16: proditio à conjunctissimis, v. 16: & odium omnium, v. 17. Hæc prædictio primùm illustratur indicatione temporis, ubi ait: *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus*. Deinde amplificatur oppositâ consolatione triplici: unâ contra acerbitatem perpessionis, v. 13. alterâ contra sollicitudinem defensionis, v. 14. & 15: tertiâ contra metum supplicii, v. 16. 17. 18. & 19. Primæ consolationis argumentum sumitur à vindicta divina: ubi ait, *Hæc autem cedent vobis testimonio, sive in testimonium, eis præsagium*. scilicet adversus ipsos: ut alibi plenè dicitur. Secundæ consolationis argumentum sumitur à præsentanea ope ipsius, v. 15. Tertiæ denique consolationis argumentum petitur à providentia Dei, v. 18. Atque hæc de

prædictione

prædictione cladium ruinam templi & vastationem urbis præcessurarum. Ipsius autem urbis vastatio prædicitur v. 20. Et prædictio illa primùm illustratur ab adjuncto signo proximè præcessuro, videlicet obsidione, ibid. Deinde amplificatur deducto inde consilio, quomodo debeant tunc saluti suæ consulere, nempe fugâ, v. 21. Tum causæ illius vastationis exponuntur duæ, videlicet ultio divina & impletio Scripturæ, v. 22. Postea amplificatur illa vastatio collatione imparium: nempe præ cæteris gravissimè afflictum iri prægnantes & lactantes, vers. 23. Postremò vastatio ipsa describitur v. 24: ibiq; transitus paratur ad prædictionem signorum præcessurorum extremum judicium, ubi ait: *Usquequò impleantur tempora Gentium.* quibus verbis significat, Hierosolymam à Gentibus calcatum iri usque ad adventum suum.

Deinceps igitur prædicit signa proximè antecessura adventum suum, v. 25. & 26: deinde ipsum suum adventum, v. 27: tum horribilitati istorum signorum opponit consolationem, v. 28. Cujus consolationis argumentum ducit à læto eventu, ibid. Et illam expositionem eventus illustrat similitudine ficus alterius ve arboris revirescentis, v. 29. 30. & 31. Tum prædictionem cladium supradictarum partim illustrat, partim confirmat. Illustrat significatione temporis, v. 32. nempe ista eventura durante eo seculo: Confirmat asseveratione per collationem imparium hyperbolicam, v. 33. Postea redit ad prædictionem adventus sui, & inde deducit admonitionem de cavenda crapula & ebrietate & curis hujus vitæ, v. 34: & contrà de adhibenda vigilantia & precibus, v. 36: quia venturus sit ex improviso, v. 34. Quem modum adventus sui declarat simili, v. 35.

PARS TERTIA.

De factis Domini per illos dies.

37 *Docebat autem interdiu in templo, noctu verò exiens diversabatur in monte qui vocatur Olearum.*

38 *Et totus populus diluculo veniebat ad eum in templo, ut*

audiret eum.

1 Duo narrat: unum, quòd Dominus interdiu docuerit in templo: alterum quòd noctu diversatus sit in monte Olearum, v. 37. Prius factum amplificatur ex eventu, videlicet concursu populi, eoq; matutino, in templum ad ipsum audiendum, v. ult.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

1 *Intuitus.* ἀναβλέψας. Vel, Sublatis oculis. ut Marc 8.24. *Qui conjiciebant &c.* τοὺς βάλλοντας &c. Sic loquitur Cicero 4. Verrina, *Sortes in hydriam conjicere. In gazophylacium.* εἰς τὸ γαζοφυλάκιον. Id est, arcam in templo collocatam ad hunc usum: de cujus origine habetur 2. Reg. 12. v. 10. Sic dicta fuit, quòd in ea asservaretur pecunia templi, παρὰ τὸ φυλάττειν τὰ χρήματα.

2 *Conjicere.* βάλλουσαν. Pro, βάλλειν. Græcismus. *Illuc.* ἐκεῖ. Pro, ἐκεῖσε.

3 *Pauper.* ἡ πτωχή. Pro, πτωχὰ, ut nominatur versu præcedente. Catachresis. nam πτωχὴ propriè mendicam significat.

4 *In dona Dei,* εἰς τὰ δῶρα τοῦ θεοῦ. Id est, quæ Deo consecrata sunt: sicut nominatur fides Dei quæ Deo habetur, Marc. 11. 22. Genitivus objecti. Per dona autem Dei, id est, Deo consecrata, intelligitur hîc ipsum gazophylacium, per metonymiam adjuncti: ut percipitur tum ex ipsa phrasi, βάλλειν εἰς τὰ δῶρα: tum ex collatione versus primi. *Ex penuria sua.* ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς. Ad verb. Ex defectu suo. nam ὑστερεῖσθαι est defici. Id est, ex facultatibus tenuissimis. Hyperbolica & catachrestica synecdoche speciei. Nam quomodo quis propriè loquendo donare quippiam potest ex eo quo ipse deficitur seu quod ipsi deest?

5 *Donariis.* ἀναθήμασι. Sic nominantur ornamenta templorum, diis dicata & in sublimi suspensa vel de parietibus vel de columnis: à verbo ἀνατίθημι, quatenus significat, *in alto pono*, id est αἴρω τίθημι.

6 Quod ad *hæc quæ spectatis.* ταῦτα ἃ θεωρεῖτε. Ponuntur hæc

hæc absolutè more Hebræorum. Alii hoc membrum afficiunt interrogatione, & à sequentibus verbis separant, vertentes, *Hæccine spectatu?* vel, *Hæc sunt quæ spectatis?* Sed quanquam hęc sententia apud Matthæum & Marcum interrogativè enuntiatur tamen interrogatio huic loco non videtur quadrare, propter interjectum articulum postpositivum α. Interrogationi enim magis conveniret dicere, ταῦτα θεωρεῖτε; Hæccine spectatis? ita nimirum ut emphasis sit in verbo *spectandi*. At articulus ille interpositus facit ut emphasis sit in pronomine ταῦτα, si sententia hæc per interrogationem enuntietur. At emphasis hîc debet esse in verbo *spectandi*: ut ex re ipsa cuivis intelligenti patet.

8 *Ne seducamini.* μὴ πλανηθῆτε. Id est, ne quis imponat. nam πλάνος impostorem significat. *Ego sum Christus.* ὅτι ἐγώ εἰμι. Conjunctio ὅτι servit mimesi: nomen autem *Christus* suppletum est ex Matth. 24. 8. *Sequimini eos.* πορεύθητε ὀπίσω αὐτῶν. Ad verb. Proficiscimini post eos. Hebraismus, ut Matth. 4. 19. *Finis.* τὸ τέλος. Nempe finis templi & urbis: ut intelligitur ex Matth. 24. 14. & infrà v. 20.

11 *Terræmotus.* σεισμοὶ. Nomen σεισμὸς in genere quassationem seu concussionem significat: sed per synecdochen generis specialiter ad significandum terræ motum usurpatur. Syrus generali nomine רגז sauhéh, id est motus, usus est. *Singulis locis.* κατὰ τόπους. Præpositio κατὰ hîc vim habet distributivam, ut suprà 8. 1. *Signa.* σημεῖα. Videlicet signa iræ Dei: puta prodigia seu φαινόμενα horribilia, nempe cometæ quales apparuisse sub Hierosolymæ à Romanis eversionem testatur Josephus.

12 *Injicient.* ἐπιβαλοῦσιν. Impersonaliter. Pro, *injicientur.* Est autem hoc referendum ad hostes Evangelii, puta magistratus Hierosolymitanos. Complementum vide in Actis Apostolorum, cap. 4. v. 3. & cap. 5. v. 18. & cap. 6. v. 12. & cap. 12. v. 1. & deinceps. *Propter nomen meum.* ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. Id est, διὰ τὸ ὄνομά μου, ut extat Matth. 24. 9. Id est, propter confessionem nominis mei, propterea quòd confitemini, vos me solum agnoscere pro unico salutis authore.

13 *Testimonium* adversus ipsos, εἰς μαρτύριον. Supplementum sumptum est ex Marc. 13. 9. ubi habetur, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. Et αὐτοῖς idem ibi valet quod ἐπ' αὐτούς, id est, adversus ipsos: ut percipitur ex collatione verborum quæ exstant Luc. 9. 5.

14 *Non esse præmeditandam.* μὴ προμελετᾶν. Scil. δεῖν. Vel, *ne præmeditemini. Defensionem.* ἀπολογηθῆναι. ἀπολογία. Græco verbo significatur oratio qua quis suam innocentiam tueri studet. Hinc apologia Socratis apud Platonem: hinc Apologeticus Tertulliani.

15 *Os.* στόμα. Id est, facultatem loquendi. Metonymia subjecti. Complementum vide in Actis: in Petro & Johanne cap. 4. & in Stephano cap. 7.

18 *Sed ne pilus quidem ex capite vestro peribit.* καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. Pro, ἀλλ' οὐδὲ θρὶξ ἀπόληται. Est enim amplificatio per ratiocinationem à majori seu ἀπὸ τοῦ μᾶλλον: quasi dicat: Multo minùs peribitis ipsi. Pro hoc dicitur apud Matth. & Marcum: Sed qui perseveraverit ad finem usque, servabitur.

19 *Per tolerantiam.* ἐν τῇ ὑπομονῇ. Pro, διὰ τῆς ὑπομονῆς. Hebraismus.

20 *Cingi.* κυκλουμένην. Pro, κυκλεῖσθαι. Græcismus.

23 *Væ autem.* οὐαὶ δὲ. Scil. ἔσται, erit. Non enim est imprecantis, sed denuntiantis & commiserantis. *Necessitas.* ἀνάγκη. Id est, angustia seu afflictio. In hac significatione Cicero quoq; hoc nomen usurpat: ut pro Cluent. *Itaque ille inopiâ & necessitate coactus, confugit* &c. *Et ira.* καὶ ὀργὴ. Scil. Dei. hoc est, pœna irati Dei. Synecdoche generis, & metonymia efficientis. Additurq; hoc ἐπεξηγητικῶς ad declarandum nomen ἀνάγκη, id est, necessitas.

24 *Acie.* στόματι. Ad verb. Ore. Metaphora. Hinc μάχαιρα ἐκ δίστομος, Hebr. 4. 12. gladius duo habens ora, id est, duas acies. *Et Hierosolyma.* καὶ Ἰερουσαλὴμ. Scil. vastata: ex collatione v. 20. *Calcabitur à Gentibus.* ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν. Scil. tanquam in potestatem ipsarum redacta. *Donec impleta fuerint tempora Gentium.* ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν. Id est, Donec exacta seu elapsa fuerint tempora illa quæ Deus destinavit pro Gentibus ut Hierosolymam obtineant & calcent.

calcent. Significat, Gentes nō perpetuò obtenturas Hierosolymam, sed finem illius dominii fore: nempe in ipso fine hujus seculi. Itaque mox annectit signa proximè antecessura illum finem.

35 *Tunc.* καὶ. Scil. quum tempora Gentium in calcanda Hierosolyma, fuerint impleta. *Signa.* σημεῖα. Id est, miracula quibus significabitur adventus Filii hominis ad judicium, ex collatione versus 27. *Et sideribus.* καὶ ἄστροις. Id est, aliis stellis. Sic ἄστρον pro stella reperitur apud Aristot. περὶ κόσμου: ubi ait, ὅτι γαμιὼ ἄστρον τὰ μὲν ἀπλανῆ, τὰ δὲ πλανόμενα: id est, Siderum quædam inerrantia sunt, quædam errantia. Nam sidera pro stellis Plinius dixit lib. 2. cap. 6. ubi septem sidera errantia nominat, intelligens planetas sive stellas errantes. *Angustia.* συνοχὴ. Nomini Græco pænè respondet Latinum coarctatio: quo Livius usus est. Et sic συνέχομαι redditur *coarctor*, Philip. 1. 23.

26 *Prætimore.* Ἀπὸ φόβου. Vel, ex timore.

28 *Suspicite &c.* ἀνακύψατε &c. Id est, bono animo estote: ut sensum Syrus paraphrasi suâ expressit. Metonymia effecti. Nam prout quisque vel hilaris vel tristis est: ita caput atque oculos attollit aut deprimit. Atque hanc expositionem confirmat ratio quæ subjicitur. *Redemptio vestri.* Ἀπολύτρωσις ὑμῶν. Id est, redemptio corporis vestri, ut loquitur Paulus Rom. 8. 23. hoc est, liberatio à persecutionibus quibus corpora piorum in hac vita subjecta sunt.

30 *Per vos ipsos.* ἀφ' ἑαυτῶν, Id est, etiam à nemine admoniti.

31 *Et vos.* καὶ ὑμεῖς. Posset videri pleonasmus quia etiam sine his verbis sententia hujus loci constat. Sed accuratiùs consideranti apparet esse αἰνίττεσθαι tacita inter Christianos & cæteros homines. Nam protasis comparationis in quosvis homines competit.

32 *Nequaquam præterierit &c.* οὐ μὴ παρέλθῃ &c. Vide scholia in Matth. 24. 34.

33 *Cælum & terra præteribunt &c.* ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται &c. Id est, Potiùs cælum & terra præteribunt, quàm verba mea. Antithesis hîc vim habet comparationis imparium. Qualis antitheseos clarius exemplum exstat

Prov. 8. v. 10. *Suscipite disciplinam meam, & non argentum,* pro, potiùs quàm argentum: quia mox sequitur: *Et scientiam potiùs quàm aurum effossum lectissimum.* Vide scholia in Matth. 24. 35.

34 *Crapulâ.* ἐν κραιπάλῃ. Ad verb. In crapula. Præpositio redundat ex Hebraismo. Nomine autem κραιπάλης, id est, crapulæ, non videtur hic significari gravedo illa capitis ex nimio vino, qua caput quasi vibratu quodam concutitur: dicta enim κραιπάλη ex eò quòd τὸ κάρα πάλλει: sed nimia ingestio cibi: quum inter se opponantur crapula & ebrietas. Itaque sensum bene expressit Lutherus, vertens *Iressen vnd sauffen.* item Genevenses in versione Gallica, vertentes, *gourmandise* & *yvrognerie:* denique interpres Syrus, qui vertit κραιπάλην אסוטותא asututhá: quæ vox exponitur per Hebraicam זלילות zolelúth, id est, comessatio. Estq; vox illa Syriaca mutuo accepta à Græcis, & transformata ex voce ἀσωτία: ut apparet ex paraphrasi Syriaca Eph. 5 v. 18. Si cui tamen propria nominis κραιπάλη significatio retinenda hic videatur, erit hic figura loquendi ἐνδιαδύο in hanc sententiam: Cavete ne corda graventur crapulâ & ebrietate: id est, ebrietate quæ ex se parit crapulam: atque ita impedit spirituales & sanctas cogitationes. *Curis de victu.* μερίμναις βιωτικαῖς. Eadem sententia Matth. 6. v. 25. enuntiatur his verbis: μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε, καὶ τί πίητε. Simul autem intelligenda cura seu sollicitudo de amictu, per synecdochen membri. Eodem sensu accipitur nomen βιωτικὰ 1. Cor. 6. 3. *Superveniat.* ἐπιστῇ. Vel, ingruat.

37 *Interdiu.* τὰς ἡμέρας. Subauditur κατὰ: ut sit, per dies. Sic in eo quod sequitur, τὰς νύκτας, per noctes. *In monte.* εἰς τὸ ὄρος. Pro, ἐν τῷ ὄρει.

38 *Diluculo veniebat.* ὤρθριζε. Quasi dicat, diluculabat vel maturinabat. Ita Hebræi utuntur verbo השכים hischkím: ut Gen. 19. 27. ubi istud verbum hoc ipso Græco interpretes Græci reddiderunt: ὤρθρισε δὲ Ἀβραὰμ τῷ πρωῒ εἰς τὸν τόπον &c.

OBSER-

OBSERVATIONES EX CAP. XXI.

Ex historia de oblatione viduæ pauperculæ. Eleemo- *dist.*
synam Deus non æstimat quantitate, sed animi affectu. Huc pertinet illud Apostoli: *Si prius adsit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet,* 2. Cor. 8. v. 12.

Ex sermone Domini de interitu templi & urbis, nec non signis præcessuris extremum judicium.

1. Ex v. 6. Notandum argumentum veritatis doctrinæ *dist.*
Christi: quòd scil. templum Hierosolymitanum ita ut ipse prædixit, destructum est.

2. Ex v. 9. & seq. Consideranda causa quæ Deum mo- *dist.*
vit ut tot clades immitteret Judæis, ipsamque urbem ac templum everti curaret. Ea fuit ingratitudo ipsorum erga prædicationem Prophetarum & ipsius Christi, qua invitabantur ad pœnitentiam & via salutis eis ostendebatur. Hanc causam indicat Christus Matth. 23. v. 37. & 38. *ratio.*
Ergo à tali ingratitudine nobis caveamus, nisi similes pœnas experiri velimus. Deinde fuit & alia causa cur Deus *dist.*
urbem Hierosolymam unà cum templo funditus & absq; ulla spe instaurationis deleri voluerit: nempe ut demonstraret, se nolle cultum Mosaicum diutius durare, ac proinde Christum jam advenisse quippe per cujus adventum umbræ illæ impleri atque ita abrogari debuerunt.

3. Ex v. 12. & seq. Si accidat ut propter confessionem *exp.*
Christi persecutionem patiamur ab hostibus veritatis: consolemur nos exemplo Apostolorum quibus idem accidit, & consideratione vindictæ divinæ in persecutores, qui nostra confessione redduntur inexcusabiles: & promissione Christi, qui promisit se confessoribus suis daturum os & sapientiam cui hostes veritatis non poterunt resistere: item se protecturum illos ut ne pilus quidem de capite ipsorum cadat: nisi scil. id faciat ad gloriam Dei & salutem ipsorum.

4 Ex v. 25. & seq. Si accidat ut vivamus in adventu *exp.*
Domini ad judicium: contra conspectum horribilium

illorum signorum cum quibus ille conjunctus erit, consolari nos debemus promissione Christi, quòd tunc appropinquet redemptio nostri: hoc est, quòd ipse nos tunc ad se in cælum assumpturus & ab omnibus hujus mundi miseriis liberaturus sit. Quum verò hora adventus illius nos lateat: semper studere debemus pietati, ut possimus coram Domino consistere: ac proinde debemus fugere ebrietatem & sollicitudinem hujus vitæ.

Ex parte ultima. Ex v. 37. Pii doctoris est, constantiam officii ita retinere, ut interim insidias hostium veritatis declinet.

Ex v. ult. Exemplo populi, pios doctores sedulò audire debemus.

ANALYSIS CAP. XXII.

ARGUMENTUM DUORUM CAPITUM SEQUENTIUM.

Hactenus narratum fuit, quomodo administrarit Dominus munus suum propheticum, atque etiam exparte regium, per regium scilicet introitum in urbem & repurgationem templi: deinceps narrabitur quomodo administrarit munus suum sacerdotale, offerendo scil. ipsum pro Electis sibi à patre datis. Igitur sequentibus duobus capitibus narratur historia passionis Domini: cujus principes partes sunt tres: prima est præparatio seu effecta destinata quæ passionem Domini proximè antecesserunt, & ad illam quoquo modo destinata fuerunt: secunda est narratio ipsarum perpessionum: tertia est narratio eventorum proximè sequutorum. Secunda pars incipit v. 39. hujus capitis: tertia verò v. 50. capitis sequentis. Cæterùm in hoc capite narratur primùm multiplex præparatio ad Domini passionem, usque ad v. 39: deinde narrantur ea quæ passus est Dominus in monte Olivarum, usque ad v. 54. tum narrantur ea quæ passus in domo Pontificis maximi, usque ad capitis finem. Ita sunt tres principales capitis partes. Prima autem pars rursum suas habet particulas, numero novem: quarum prima est præparatio Sacerdotum & Scribarum ad supplicia Domino afferendum, usque ad v. 3. Secunda, præparatio Judæ ad Dominum prodendum, usque ad v. 7. Tertia, præparatio discipulorum ad supplicium Domini patienter, atque cum gaudio ferendum, usque ad v. 21. Quarta, præparatio eorundem ne nimis offendantur proditione Judæ, usque ad v. 24. Quinta, præparatio discipulorum per

per dehortationem ab ambitione, uſque ad v. 28. Sexta, præparatio diſcipulorum per promiſſionem gaudiorum & gloriæ in regno Chriſti, uſque ad v. 31. Septima, præparatio diſcipulorum per promiſſionem perſeverantiæ in fide, uſque ad v. 33. Octava, præparatio Petri per prædictionem negationis, uſque ad v. 35. Nona denique, præparatio apoſtolorum per prædictionem imminentis perſecutionis, uſque ad verſ. 39.

PRIMAE PARTIS PARTICULA PRIMA.

Præparatio Sacerdotum & Scribarum, ad ſupplicium Domino afferendum.

APropinquabat autem feſtum azymorum quod dicitur Paſcha:

2 *Et quærebant principes Sacerdotum & Scribæ quomodo eum interimerent: timebant enim plebem.*

Primùm indicatur tempus hujus præparationis: deinde narratur præparatio ipſa: poſtremò cauſa impulſiva illius. Tempus præparationis, fuit tempus proxime-antecedens feſtum azymorum ſive paſcha, v. 1. quod clariùs exprimitur à Matthæo: qui tradit, præparationem iſtam biduo ante paſcha ſuſceptam eſſe, cap. 26. v. 2. & 3. Præparatio ipſa fuit, quòd conſultarunt de Domino interimendo, v. 2. Cauſa impulſiva per prolepſin annexa, fuit, quòd timebant plebem: ne ſcil. à plebe lapidarentur, ſi Dominum in plebe verſantem vi caperent. Itaque cogebantur conſultare, quomodo eum caperent dolo & clàm, ne oriretur tumultus in populo: ut declarat Matthæus cap. 26. v. 4. & 5.

PRIMAE PARTIS PARTICULA SECUNDA.

Præparatio Judæ ad Dominum prodendum.

3 *Introit autem Satanas in Judam cognominatum Iſcariotem, qui erat è numero Duodecim.*

4 *Abiens igitur colloquutus eſt cum principibus Sacerdotum ac præfectis templo, quomodo ipſis eum traderet.*

5 *Qui gaviſi ſunt: & pacti ſunt ſe daturos ei pecuniam.*

6 *Ipſe verò ſpopondit: quærebatq; opportunitatem tradendi eum ipſis abſque turba.*

Primùm indicatur causa efficiens principalis quæ Judam ad hanc præparationem instigavit: deinde ipsa præparationis forma. Causa efficiens principalis fuit Satanas, qui introiit in Judam, vers. 3. id est, indidit cordi ejus sceleratum hoc propositum, ut Dominum proderet sicut declarat Johannes cap. 13. v. 2. Forma præparationis duabus constat partibus, pacto & studio exsequendi pactum. Pactum Judæ cum primoribus populi de Domino prodendo describitur è suis actionibus, numero tribus, observato naturæ ordine. nam pr mùm Judas operam suam ad Dominum prodendum illis obtulit, postulatâ scil. certâ pecuniæ summâ in mercedem proditionis, v. 4: deinde illi pacti sunt, se pecuniam ei daturos, v. 5. videlicet triginta argenteos nummos, ut declarat Matthæus cap. 26. v. 15: postremò ipse spopondit, v. 6: id est, operam suam in Domino prodendo illis promisit, fidemq; suam solenni ritu obstrinxit. Harum actionum prima illustratur ex effectu, videlicet gaudio illorum quibus operam suam Judas offerebat, in principio versus quinti. Altera formæ pars, videlicet studium exsequendi pactum proditionis seu promissionem juratam, exponitur reliqua parte v. 6. *Quærebatq; opportunitatem* &c.

PRIMAE PARTIS PARTICULA TERTIA.

Præparatio discipulorum ad supplicium Domini patienter, atq; etiam cum gaudio ferendum.

7 *Venit autem dies azymorum quo oportebat mactare pascha.*

8 *Et misit Petrum & Johannem, dicens, Profecti parate nobis pascha ut vescamur.*

9 *Ipsi verò dixerunt ei, Ubi vis paremus illud?*

10 *At ille dixit eis, Ecce, postquam introieritis in urbem, occurret vobis quidam aqua amphoram bajulans: sequimini eum in domum illam in quam ingredietur:*

11 *Et dicite patrifamiliâs illius domus, Dicit tibi magister, Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis edam?*

12 *Tunc ipse monstrabit vobis cœnaculum magnum stratum:*

illic

illic parate paſcha.

13 *Profecti verò invenerunt omnia prout dixerat eis: & paraverunt paſcha.*

14 *Quum igitur adeſſet* conſtitutum *illud tempus, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.*

15 *Et dixit eis, Deſiderio deſideravi hoc paſcha edere vobiscum, antequam ego patiar.*

16 *Dico enim vobis me non amplius comeſturum ex eo, uſquequo completum fuerit in regno Dei.*

17 *Et accepto poculo, quum gratias egiſſet, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipſis.*

18 *Dico enim vobis me non bibiturum ex fructu vitis, uſquequo regnum Dei venerit.*

19 *Et accepto pane, quum gratias egiſſet, fregit: & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem.*

20 *Itidem etiam* dedit eis *poculum, poſtquam cenaſſent, dicens; Hoc poculum,* eſt *novum illud fedus per ſanguinem meum, qui pro vobis effunditur.*

Primò indicatur præparationis hujus tempus uſque ad v. 15; deinde præparatio ipſa, verſibus reliquis. Tempus fuit cœna paſchalis cum Apoſtolis, v. 14: quæ fuit cœna ejus ultima, ut colligitur ex v. 15. Cæterùm paſchalis illa cœna declaratur ex cauſa impulſiva, è cauſis procreantibus, & è ſubjecto loco. Cauſa impulſiva, quæ ſcilicet Dominum impulit ad cœnam illam apparandam atque celebrandam, fuit mandatum Dei: quod notatur verbo δεῖ, id eſt, *Oportebat*, v. 7. Cauſarum procreantium una fuit principalis, nempe ipſe Dominus, qui duos è diſcipulis juſſit apparare illam cœnam, v. 8. *Et miſit*, ſcil. Jeſus. Altera fuit inſtrumentalis ſeu miniſtra, nempe duo diſcipuli ad apparandum illam cœnam à Domino miſſi: ibidem. Locus ubi cœna illa apparata atque celebrata eſt, primùm indicatur generalis, videlicet domus cujuſdam incolæ Hieroſolymitani: quæ deſcribitur ab adjuncto ſigno, v. 9. & 10: deinde ſpecialis, videlicet certum cœnaculum in illa domo, v. 11. & 12. Atq; hæc de circumſtantia temporis, atque ſimul loci, quando & ubi Dominus hanc

præparationem discipulorum fecit. Præparatio ipsa tribus constat membris: prædictione passionis imminentis, promissione fructus passionis suæ, & promissionis illius obsignatione solenni. Prædictio passionis imminentis recitatur v. 15. & 16: ut patet. Hac prædictione occurrebatur scandalo exorituro ex inopinato eventu: nempe quòd visuri erant ad supplicium rapi eum, quem ipsi sperabant fore regem mundanum, seq; in illo regno post Dominum primos fore. Promissio fructus passionis continetur v. 16. quatenus ait, se comesturum cum discipulis in regno Dei, in quod scilicet erat ingressurus per passionem suam. Hanc promissionem amplificat ab effectu, nempe suo desiderio edendi hoc pascha: cujus desiderii causa propria erat, quòd paulo pòst ingressurus esset in regnum suum, ibiq; discipulis apparaturus locum, sicut ait Johan. 14: ut ibi unà conviventur, sicut hîc loquitur, id est, æternis gaudiis unâ fruantur. Fructum igitur passionis suæ significat similitudine convivii in regno Dei celebrandi: intelligens nimirum vitam æternam. Hujus fructus, nempe cælestis illius atque spiritualis convivii, promissionem obsignat ritu solenni, nempe convivio sacro atque mystico: quod Paulus cœnam Dominicam nominat, propterea quòd in cœna à Domino in perpetuum Ecclesiæ ex illo tempore in terris militaturæ usum institutum fuit. Hujus igitur sacræ cœnæ institutio narratur vers. 17. & sequentibus: constat autem duabus in genere actionibus: quarum uno peracta fuit circa panem, altera circa vinum in poculo, ubi observandum τάξιν, σείσιν, seu ordinis inversio aliqua: quatenus pars actionis circa vinum narratur v. 17. & 18. ante actionem circa panem. nam verba illa de poculo cœnæ Dominicæ intelligenda esse, liquet ex Marco: qui verba illa, *Dico enim vobis me non bibiturum* &c. verbis de poculo cœnæ Dominicæ pronuntiatis continenter subjungit, cap. 14. v. 24. & 25. Atque idem colligitur ex ipsis quoque Lucæ verbis: ut qui quum iterum actiones Domini circa poculum narrat v. 20: omittit mentionem gratiarum actionis & mandati de illo bibendo (quod tamen utrumque ab aliis

Evange-

Evangeliſtis expreſsè hic narratur: & ut narretur, analogia cum actionibus circa panem poſtulat (quia nimirum jam antea extra ordinem illas actiones narraverat. Conſtat igitur (ut dicere cœpi) inſtitutio hæc ſacræ Cœnæ, actione duplici: una circa panem, altera circa vinum. Circa panem egit hæc ſex. 1. Accepit eum. 2. Gratias ſuper illo egit. 3. Fregit eum. 4. Dedit fragmenta apoſtolis accumbentibus. 5. Dixit, Hoc (nempe hic panis) eſt corpus meum quod pro vobis datur. Id eſt, Eſt ſignum ſeu teſtimonium divinum viſibile, quo obſigno vobis promiſſionem de fructu paſſionis meæ, quòd ſcilicet corpus meum pro vobis dandum ſit in mortem, ad impetrandum ſcilicet vobis & omnibus credentibus à Deo patre remiſſionem peccatorum & vitam æternam. 6. Dixit, Hoc facite (id eſt, hunc panem edite) in mei cõmemorationem. Circa poculum egit hæc ſex. 1. Accepit poculum. 2. Gratias ſuper illo egit patri. 3. Dedit apoſtolis accumbentibus. 4. Dixit, Hoc poculum eſt novum illud fedus per ſanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Id eſt, Eſt ſignum novi illius federis confirmandi per ſanguinem meũ, quatenus ille pro vobis paulo pòſt effundetur: ſeu eſt teſtimonium divinum viſibile quo obſigno vobis promiſſionem de fructu paſſionis meæ, quòd ſcil. ſanguinis mei effuſione in cruce cum ſenſu iræ Dei conjuncta impetrabitur vobis & omnibus credentibus à Deo remiſſio peccatorum, atque inde manans vita æterna. 5. Dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipſis: pro quibus verbis habet Matthæus, Bibite ex hoc omnes: cap. 26. v. 27. 6. Dixit, Dico enim vobis me non bibiturum ex fructu vitis, uſquequò regnum Dei venerit.

PRIMAE PARTIS PARTICULA QUARTA.

Præparatio diſcipulorum, ne nimis offendantur proditione Judæ.

21 *Verumtamen ecce, manus ejus qui me prodit, mecum eſt in menſa.*

22 *Et Filius quidem hominis prout definitum eſt, vadit:*

veruntamen væ homini illi per quem proditur.

23 *Tunc ipsi cæperunt mutuò quærere inter se, quis nam esset ex ipsis qui hoc facturus esset.*

Contra scandalum exoriturum ex proditione Judæ, præmunit Dominus cæteros Apostolos triplici ratione: primùm prædictione illius, deinde significatione voluntatis divinæ, tum promissione vindictæ divinæ seu denuntiatione pœnæ. Prædictio continetur v. 21: estq; exornata exclamatione θρηλητικῇ, id est queribunda seu habente querelam propter rei indignitatem, ubi ait, *Veruntamen ecce.* quasi dicas, Quis unquam putasset hoc futurum, ut unus ex intimis atque domesticis meis discipulis me proderet? Deinde amplificatur querela & prædictio illa, antitheſi causæ]corrumpentis, nempe præsentiâ proditoris & familiari cum ipso conversatione, ubi ait, *Manus ejus qui me prodit, mecum est in mensa.* Quod ipsum clariùs exprimitur à cæteris Evangelistis, qui referunt Dominum dixisse: *Qui intingit mecum manum in catino, iste me proditurus est:* Matth. 26. v. 23. Marc. 14. v. 20. Joh. 13: v. 18. Nã certè ista Judæ cum Domino familiaritas qua ipsum fuerat præ multis aliis dignatus, debuit eum à tanto scelere retrahere atque impedire. Significatio voluntatis divina (nempe arcanæ & ad providentiam ejus pertinentis) & denuntiatio pœnæ proditori ob istud scelus à Deo infligendæ, enuntiantur conjunctim per enuntiatum συμπλοκικὸν, id est, occupativum: quod usitatè nominatur discretivum, ubi ait v. 22. *Filius quidem hominis, prout definitum est* (scil. decreto Dei) *vadit: veruntamen væ homini illi per quem proditur.* Prolepsis hîc est: Judas Christum prodet ex decreto Dei ac proinde secundùm voluntatem Dei: non igitur peccabit prodendo, ac proinde nec punietur propterea à Deo. Hujus enthymematis, sive propositionis connexa omissæ, consequentia negatur per enuntiatum illud discretivum vel potiùs occupativum. Ratio negationis, si quæris, est dissimile agentium propositum sive σκοπὸς: Deus enim spectavit salutem Electorum & ipsius Christi gloriam: at Judas spectavit expletionem suæ avaritiæ & vindictæ, propter lucrum in profusione pretiosi unguenti

à Domi-

à Domino approbata interversum. Porrò prædictio proditionis illustratur sub finem expositione eventus, videlicet sollicitæ inquisitionis discipulorum, quis nam ex ipsis tantum scelus admissurus esset, v. 23.

PRIMAE PARTIS PARTICULA QUINTA.

Præparatio discipulorum per dehortationem ab ambitione.

24 *Orta est autem etiam contentio inter eos quis eorum videretur esse maximus.*

25 *Ipse verò dixit eis, Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur.*

26 *Vos autem non ita estote: sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: & qui antecedit, sicut qui ministrat.*

27 *Nam uter major est, qui accumbit, an qui ministrat? nonne qui accumbit? At ego sum in medio vestrum ut qui ministrat.*

Primùm narratur dehortationis hujus occasio, eademq; causa impulsiva: deinde dehortatio ipsa. Occasionem Domino ad hanc dehortationem præbuit, & ad eandem impulit, contentio apostolorum de primatu, v. 24. Ubi observandum, contentionem illam eo tempore, valde quidem intempestivo, natam fuisse partim ex falsa opinione de regno Christi, quasi scil. illud futurum esset mundanũ: partim ex recordatione nuperi ingressus regii in urbem & repurgationis templi & intrepidæ apologiæ contra primores populi. nec non ex verbis Domini paulo antè pronuntiatis: *Dico vobis me non amplius comesturum ex pascha, usquequò completum fuerit in regno Dei.* Ex quibus omnibus spem conceperant, regnum Christi propediem inceptum: itaque singuli sibi expetebant primatum in illo, ut cæteris præferrentur, & à rege proximi essent. Dehortatio primùm confirmatur, deinde amplificatur antithesi. Confirmatur hoc argumento:

Quorum est dominari & primatum in populo obtinere, ii sunt reges mundani.

Vos autem non eritis reges mundani.

Vestrum igitur non est dominari & primatum obtinere.

Sententia propositionis præcedit, vers. 25. *Reges gentium* &c. Conclusio succedit vers. 26: implicatam habens assumptionem, notatam per conjunctionem transitivam δὲ, id est, *autem*: ubi ait, *Vos autem non ita estote.* Quasi dicat: Vos autem non estis futuri reges mundani: Ne igitur estote ita affecti ut veletis dominari & obtinere principatum. Antithesis est exhortatio ad virtutem ambitioni contrariam, videlicet modestiam animive demissionem, Græcè ταπεινοφροσύνην, v. 26. ubi ait, *Sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est* &c. Hanc exhortationem Dominus confirmat suo ipsius exemplo: quod discipuli meritò debebant imitari, v. 27. Istud argumentum concluditur hoc syllogismo:

Si ego me ut ministrum gero inter vos: multo magis vos alii erga alios ita vos gerere debetis.

At ego me gero ut ministrum inter vos.

Multo magis igitur vos erga vos mutuò ita facere debetis.

Ratio propositionis est: quia ego sum major quàm vos: vos autem inter vos estis æquales: ego enim sum is qui accumbo, id est dominus vester: vos autem estis mei ministri. Syllogismus:

Is qui accumbit, major est quàm is qui ministrat.

At ego sum is qui accumbit, vos estis is qui ministrant.

Ego igitur sum major vobis.

In textu præcedit prosyllogismus propositionis, ibi: *Non enim major est* &c. confirmatus confessione Apostolorum, ubi ait, *Nonne qui accumbit?* Deinde succedit assumptio syllogismi principalis, ibi: *At ego sum* &c.

PRIMAE PARTIS PARTICULA SEXTA.

Præparatio discipulorum per promissionem gaudiorum & gloriæ in regno Christi.

28 *Vos porrò ii estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

29 *Ego igitur pascisco vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum,*

30 Nempe *ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis*

ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël.

Primùm exponit Dominus cauſam hujus promiſſionis impulſivam: deinde ſubjungit, atque inde deducit, promiſſionem ipſam. Cauſa impulſiva, eſt communio Apoſtolorum cum ipſo in afflictionibus ſuis quas jam per quadriennium circiter miniſterii ſui fuerat à Judæis perpeſſus: quam conſtantiam ipſorum laudat, v. 28. Promiſſio continetur v. 29. & 30. ubi metaphoricè gaudia cæleſtia ſignificantur his verbis, *Ut edatis et bibatis in menſa mea*: gloria verò cęleſtis ſimiliter per metaphoram ſignificatur his verbis, *Et ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Quæ pars promiſſionis ſimul ad corrigendum ipſorum ambitionem (de qua in particula præcedente) videtur directa. quaſi dicat Dominus: Si expetitis ſummos honores in regno meo: en promitto illos vobis: at non tales quales vos imaginamini, terrenos ſcilicet: ſed longè ſublimiores, nimirum cæleſtes: quippe tales mihi pactus eſt Pater meus: & prout ille mihi pactus eſt regnum, ego vobis ſimiliter paciſcor.

PRIMAE PARTIS PARTICVLA SEPTIMA.

Præparatio diſcipulorum per promiſſionem perſeverantiæ in Fide.

31 *Dixit etiam Dominus; Simon, Simon, ecce, Satanas expetiit vos quos ventilaret ſicut triticum.*

32 *Sed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua: tu igitur aliquando converſus, confirma fratres tuos.*

Primùm exponit cauſam impulſivam hujus promiſſionis: deinde proponit promiſſionem ipſam: tum inde deducit præceptionem. Cauſam impulſivam exponit, v. 31: videlicet periculum quod ipſis imminebat à Satana, qui conabatur eis Fidem excutere, atq; ita ipſos in æternum exitium præcipitare: ac imprimis Petrum: quæ etiam cauſa eſt ut hic ſermo ad illum nominatim dirigatur. Periculum autem illud exitii ab inſidiis Satanæ, ſignificat Dominus ſermone metaphorico, ubi ait: *Satanas apetiit*

vos quos ventilaret sicut triticum, hoc est, Satanas à Deo petivit (hæc enim videtur esse emphasis verbi ἐξῃτήσατο) ut sibi permitteret vos tentare, & tentando quasi cribrare: ut scilicet vos tanquam paleas, propter defectum scilicet Fidei, per cribrum priore membro versus 32. nominatim directa ad Petrum: quoniam ille graviùs quàm cæteri in Dominum erat peccaturus: interim tamen ad cæteros quoque pertinere intelligitur ex expositione causæ impulsivæ, ubi ait, *Appetiit* VOS, scilicet Apostolos omnes sinceros: non autem ait, *Appetiit* TE, scilicet solum. Promissionis sententia est: non defecturam fidem Petri cæterorúmve sincerorum atque electorum Apostolorum: sed ipsos in fide perseveraturos: nempe in ea fide qua credebant in ipsum tanquam Messiam sive Christum. Hæc promissio confirmatur à causa procreante, videlicet precibus suis quibus à Patre perseverantiæ donum eis impetravit, ubi ait: *Rogavi pro te* &c. Præces autem Christi semper à Patre sunt exauditæ: sicut ipsemet affirmat Johan. 11. v. 42. Præceptio ex promissione deducta, continetur altero membro ejusdem versus, ibi: *Tu igitur aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sententia est, Petrum debere suo exemplo consolari pusillanimes, qui metuunt, ne gravitas suorum peccatorum obstatura sit, quò minùs consequantur à Deo remissionem: Etenim Deus Petro quantumvis gravissimè lapso: quippe qui Christum ter negaverat, idq; cum juramento atq exsecratione sui: tamen resipiscenti & ad gratiam Dei in Christo promissam confugienti, peccatum illud suum remisit. Ergo pari ratione aliis quoq; qui graviter lapsi fuerint, si modò resipiscant & ad gratiam ipsius in Christo confugiant, peccata sua remittet.

PRIMAE PARTIS PARTICULA OCTAVA.

Præparatio Petri per prædicationem negationis.

33 *Ipse verò dixit ei, Domine, tecum paratus sum & in carcerem & ad mortem proficisci.*

34 *At*

34 *At ille dixit, dico tibi Petre, Non cantabit hodie gallus priusquam ter* me *abnegaveris* dicens *quòd non noris me.*

Primùm narratur occasio, eademque causa impulsiva, hujus prædictionis: deinde prædictio ipsa. Occasio & causa impulsiva, fuit professio Petri sive pollicitatio, quòd vellet constanter Domino adhærere, neque unquam ab eo deficere: sed si necessitas postularet, etiam in carcerem & ad mortem (id est, supplicium capitis) cum eo proficisci, v. 33. Hæc pollicitatio quum niteretur falsâ opinione propriarum virium, ac proinde inanis esset: quippe quam Petrus effectam dare non posset: Dominus illi lapsum suum prædicit, v. 34. ut scil. eum propter vanam istam in viribus propriis confidentiam, atque inde manantem temerariam promissionem arguat. Est autem prædictio hæc illustrata indicatione temporis & numeri. Tempus indicatur tum in genere: Negabis me *hodie*, id est (ut declarat Matthæus. cap. 26. v. 34.) hac nocte, tum in specie: Negabis me *priusquam gallus canet*: Numerus indicatur ubi dicitur, Negabis me *ter*.

PRIMAE PARTIS PARTICVLA NONA.

Præparatio Apostolorum per prædictionem imminentis ipsis persecutionis.

35 *Dixit etiam eis, Quando misi vos absque crumena, & pera & soleis, nunquid defuit vobis? Ipsi verò dixerunt, Nihil.*

36 *Dixit ergo eis; At nunc qui crumenam habet, sumat eam, similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat pallium suum, & emat.*

37 *Dico enim vobis, adhuc oportere in me perfici scriptum illud, Et cum sceleratis numeratus est. Nam ea quæ scripta sunt de me, finem habent.*

38 *At illi dixerunt; Domine, ecce duo gladii hic. Ipse verò dixit eis, Satis est.*

Primùm narratur ipsa prædictio: deinde eventus. Prædictio tribus membris constat: illustratione per dissimile, significatione per corollarium, & expositione causæ procreantis. Illustratio per dissimile præcedit, v. 35.

ubi narratur præteriti temporis conditio beata Apostolorum munere suo fungentium. Significatio prædictionis per corollarium sequitur v. 36. ubi hortatur Dominus Apostolos ut se instrumētis necessariis instruant contra futuri temporis conditionem miseram, videlicet contemptum & persecutionem impiorum apud quos Evangelium prædicaturi erant. hoc enim ipse significat, fore ut persecutionem patiantur, per argumentum ab effectis destinatis. Causam procreantem illius persecutionis exponit v. 37. videlicet supplicium suum atque è medio sublationem. quam sententiam confirmat testimonio Scripturæ. Ubi observandum, hanc esse causam per accidens: quia impii Judæi hac occasione usuri erant ad persequendum Apostolos, quòd jam destituerentur magistro suo, qui antea cum illis præsens ipsos ab omni injuria defenderat. Eventus hortationis Domini ad emendum gladios, fuit admonitio Apostolorum de apparatu quem jam haberent ad manum, videlicet quod haberent duos gladios. Ubi notandum, Apostolos non fuisse mentem verborum Domini assecutos: quæ erat, non ut armis vim vi repellerent: sed ut scirent, imminere ipsis persecutionem quam homines vulgo vi repellere consueverunt. Iste eventus declaratur ex suo eventu, nempe quòd Dominus dixit, *Satis est*. quasi diceret: Video vos non assecutos mentem verborum meorum: sed quid agam? æquo animo ferre me oportet vestram insciam. Interim tamen moneo, non fuisse hanc mentem meorum verborum, quòd velim ut gladios vobis vel ad me vel ad vos defendendos comparetis. hoc enim si vellem: sanè non sufficerent duo gladii, sed longè pluribus opus esset. at nunc duo isti sufficiunt: vel potius nihil proficient: ac ne illis quidem vos uti volo. Id quod postea erga Petrum gladio percutientem famulum Pontificis maximi, apertè declaravit.

SECUNDA PARS.

Narrantur ea quæ passus est Dominus in monte Olearum.

39 *Et egressus, profectus est eo more in montem Olearum: se-*

quuti

quuti sunt autem eum etiam discipuli ejus.

40 *Quum verò pervenisset ad eum locum, dixit eis; Precamini ne intretis in tentationem.*

41 *Tum ipse abstraxit se ab eis quasi* ad *jactum lapidis, positóq; genibus precatus est.*

42 *Dicens; Pater, si vis transferre poculum hoc à me: verumtamen non mea voluntas sed tua, fiat.*

43 *Conspectus est autem ei Angelus è cælo corroborans eum.*

44 *Et ipse constitutus in angore, intentius orabat. Erat autem sudor ejus quasi gruми sanguinis descedentes in terram.*

45 *Et quum surrexisset à precatione, venisset q; ad discipulos suos, invenit eos dormientes ex tristitia.*

46 *Et dixit eis, Quid dormitis? surgite & precamini, ne intretis in tentationem.*

47 *Adhuc autem eo loquente, ecce turba; & is qui dicebatur Judas, unus è Duodecim, præibat eis, & appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.*

48 *Jesus autem dixit ei; Juda, osculo Filium hominis prodis?*

49 *Videntes autem ii qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei, Domine, percutiemusne gladio?*

50 *Et unus quispiam ex ipsis percussit servum Pontificis maximi, & abstulit aurem ejus dextram.*

51 *Respondens autem Jesus dixit, Sinite hucusque. Et tactâ illius auriculâ, sanavit eum.*

52 *Dixit autem Jesus eis qui contra ipsum venerant,* nempe *principibus Sacerdotum, & præfectis templo, & senioribus; Ut adversus latronem existis cum gladiis ac fustibus.*

53 *Quum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora illa vestra, & potestas tenebrarum.*

Ea quæ passus est Dominus in monte Olearum, narrantur hîc numero tria: primùm, quòd passus sit magnam anxietatem ex horrore pleni sensus iræ Dei paulò-post in cruce experiundi, usque ad v. 47: secundum quòd à Juda fuerit proditus: tertium, quòd à ministris magistratuum Hierosolymitanorum fuerit captus, reliquis versibus. Passiones hæ omnes declarantur primùm expositione causæ impulsivæ, cujus vi Dominus tunc in montem Olearum, ubi illas passiones expertus est, se contulit: vi-

delicet quòd cò profectus sit ex more, v. 39. nimirum ex more quem observare cœperat per illos dies, inde ab ultimo ingressu in urbem Hierosolymam: quem morem Evangelista capite superiore versu penult. indicavit his verbis: *Docebat autem interdiu in templo: noctu verò exiens diversabatur in monte qui vocatur Oleatum.* Deinde significatur adjunctum quoddam adhærens, videlicet sollicitudo pro discipulis, ne paulo pòst, quum ipse caperetur, exciderent ex fide: quæ sollicitudo significatur ex effecto destinato, nempe hortatione qua hortatus eos est ad *preces, ne intrarent in tentationem*, vers. 40. Tum exponitur anxietatis illius effectum, nempe deprecatio futuræ passionis, nimirum plenissensus iræ Dei. Hæc deprecatio primùm illustratur ex loco, quòd oraturus avulsus sit à discipulis quasi ad jactum lapidis, v. 41: deinde ex gestu, quòd precatus sit positis genibus, ibidem. Tum amplificatur correctione, v. 42. ubi ait, *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quartò amplificatur anxietas illa ex effectis tribus: corroboratione per Angelum, v. 43: precationis intensione, v. 44: & sudore sanguineo, ibid. Postremò hortatio illa qua discipulos hortatus fuerat ad preces, declaratur ex eventu: nempe illorum somno, v. 45: qui ipse somnus declaratur ex causa per se, videlicet tristitia, ibidem. Deinde idem ille somnus declaratur è suo eventu, nempe Domini reprehensione & exhortatione ad precãdum, v. 46. Atque hæc de passionis Dominicæ parte seu specie prima, anxietate scilicet ex metu plenissensus iræ Dei. Secunda & tertia species, videlicet proditio & comprehensio, conjunctim narrantur, v. 47. & seqq. Ac primùm notantur tempus & locus, his verbis, *Adhuc autem eo loquente.* Scilicet verba illa quæ recitantur versu præcedente. Illa autem verba loquutus est in monte Olearum, idque noctu: ut ex præcedentibus patet. Deinde significatur effectum destinatum tum proditionis tum comprehensionis, nempe adventus repentinus proditoris & turbæ armatorum quam ducebat ad dominum comprehendendum, ibidem. Tum narratur proditionis forma, nempe osculum: id enim signum proditor turbæ ministrorum

niſtrorum dederat: ut Matthæus ait, cap 26. v. 48. Hæc forma ſive agendi modus illuſtratur ex eventu, nempe reprehenſione Domini, v. 48. Poſtea narrantur eventa duo conatus comprehendendi Dominum; quorum primum commune eſt omnium qui à parte Domini erant diſcipulorum: qui petiverunt veniam vindicandi, v. 49: alterum proprium unius (videlicet Petri, ut declarat Johannes cap. 18. v. 10.) qui Petrus non exſpectatâ veniâ ultrò ac temerario auſu percuſſit ſervum pontificis maximi, eiq́ue dextram aurem abſtulit, v. 50. Iſtud factum declaratur è duplici eventu in Domino: qui diſcipulos quidem à vindicta illa dehortatus eſt, & ſervum percuſſum ſanavit, v. 51. Poſtremò comprehenſio Domini illuſtratur ex eventu duplici in ipſo Domino: qui primùm hoc nomine duces illius turbæ reprehendit, ipſorumq́; malam conſcientiam in hoc negotio redarguit ex modo agendi per antitheſin: quòd videlicet ad ipſum exierint cum gladiis ac fuſtibus tanquam ad latronem: quum; ſi bonam cauſam ſe habere reputarent, potuiſſent ipſum comprehendere in urbe ſine vi: quippe qui quotidie in templo docuerit. Deinde contra illam injuriam ſe conſolatur commemoratione decreti divini, ubi ait, *Sed hæc eſt hora illa veſtra*, id eſt, tempus illud à Deo decretum ut vobis permittat tam atrocem injuriam in me exercere. Simul quoque injuriam illam amplificat expoſitione cauſæ principalis, videlicet diaboli, ubi illam nominat *poteſtatem tenebrarum*.

PARS TERTIA.

Narrantur ea quæ paſſus eſt Dominus in domo Pontificis maximi.

54 *Comprehenſum autem eum duxerunt, & introduxerunt in domum Pontificis maximi. Petrus verò ſequebatur procul.*

55 *Quumq́; accenſiſſent ignem in medio aulæ, atque unà conſediſſent, ſedit & Petrus inter eos.*

56 *Quum verò eum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad ignem, intentis in eum oculis dixit, Et iſte cum eo erat.*

57 *Ipſe autem negavit eum, dicens; Mulier, non novi eum.*

58 *Et paulo post alius videns eum, dixit, Et tu ex ipsis es. Petrus verò ait, Heus tu, non sum.*

59 *Et interpositâ quasi horâ unâ, alius quidam id asseverabat, dicens, Vere & iste cum illo erat: etenim Galilæus est.*

60 *Ait autem Petrus; Heus tu, nescio quid dicas. Et illico adhuc ipso loquente, cecinit gallus.*

61 *Tum conversus Dominus, intuitus est Petrum: & recordatus est Petrus sermonis Domini, quomodo nimirum aixerat ipsi, Priusquam gallus cecinerit, ter me abnegabis.*

62 *Et egressus foras Petrus, flevit amarè.*

63 *At ii qui una tenebant Jesum, et illudebant, cædentes eum,*

64 *Et quum eum obvolvissent, verberabant faciem ejus; & interrogabant eum, dicentes, Vaticinare quis sit qui te percussit.*

65 *Et alia multa conviciantes dicebant in eum.*

66 *Et ut ortus est dies, congregatum fuit presbyterium populi, & principes Sacerdotum & Scribæ, & adduxerunt eum in suum consessum.*

67 *Dicentes; Num tu es Christus? dic nobis. Dixit autem eis, Si vobis dixero, nequaquam credetis.*

68 *Quòd si etiam interrogavero, nequaquam respondebitis mihi, neque dimittetis.*

69 *Ab hoc tempore erit Filius hominis sedens ad dextram potentiæ Dei.*

70 *Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius ille Dei? Ipse verò dixit eis, Vos dicitis: nam ego sum.*

71 *At illi dixerunt; Quid amplius egemus testimonio? Ipsi enim audivimus ex ore ipsius.*

Tria sunt quæ hic narratur Dominus perpessus esse in domo Pontificis maximi: primùm, quòd negatus fuit à Petro, usque ad v. 63: alterum, quòd illusus fuit à famulis Pontificum, usque ad v. 66: tertium, quòd à concilio Sacerdotum falso crimine blasphemiæ dãnatus fuit ad supplicium capitis, usque ad finem. Ad negationẽ Petri quòd attinet: narratur primùm illius occasio, deinde negatio ipsa, tum eventa. Occasionem Petro ad hanc negationem præbuit, quòd Dominum secutus fuit in domum Pontificis maximi, ibiq; inter ministros Pontificum consedit, v. 54. & 55. Negatio fuit triplex: quæ singulæ declarantur

ex

ex causa impulsiva, videlicet patefactione Petri quòd esset ex Domini discipulis: quæ quidem patefactio à diversis authoribus profecta fuit. Prima ab ancilla quadam; cujus patefactio illustratur ab effecto destinato, videl. gestu, eò spectante, v. 56. ubi habetur, *Intentis in eum oculis dixit*, &c. Cui patefactioni negatio prima subjicitur, v. 57. Secunda patefactio profecta fuit à viro quodam: cui statim adjungitur negatio, v. 58. Ea illustratur à circumstantia temporis, quòd scilicet facta sit paulo post primam. Tertia patefactio ab alio viro profecta fuit, v. 59. Ea illustratur à circumstantia temporis, quòd scilicet post secundam facta sit interpositâ quasi horâ una. Deinde amplificatur à modo agendi: quòd scil. ille qui Petrum patefecit, id affirmavit non simpliciter, sed cum affectu & cum argumento. Affectus fuit vehemens cupiditas persuadendi affirmationem suam: quæ cupiditas notatur verbo διϊσχυρίζετο, id est, asseverabat, & periphrasi adverbii, ἐπ' ἀληθείας, in veritate, id est, verè. quasi dicat, Credite mihi hoc quotquot adestis pro vero ac certo. Argumentum affirmationis ducitur ab inhærente adjuncto, videlicet idiomate Galilæo: quod significatur his verbis, *Etenim Galilæus est*. id quod Matthæus exponit de loquela: cap. 26. v. 73. Ubi notandum, argumentũ istud videri primâ frõte infirmum atq; ἀσυλλόγιστον, neque enim valet consequentia, si dicas:

Discipuli Jesu sunt Galilæi:
Et tu es Galilæus.
Tu igitur es discipulus Jesu.

Interim argumentum istud habuit vim reddendi Petrum suspectum, & probandi probabiliter, seu affirmationem reddendi verisimilem, propter insolens hoc ipsius factum, quòd se aggregaverat ministris Pontificum, quum tamen ex ipsorum grege non esset. Suspitio igitur facilè fuit concepta, ipsum esse ex grege discipulorum Jesu: qui cuperet videre, quid de magistro suo fieret. Itaque vis argumenti videtur posita in syllogismo hoc disjuncto:

Aut pertines ad aliquem ex Pontificibus quorum famuli hic congregati sunt, aut ad Jesum qui huc ad Pontifices adductus est. Secus enim nihil tibi hic esset negotii.

Non autem pertines ad aliquem ex Pontificibus. Is enim Galilæus: nec habitus ministrum Pontificis arguit. hoc enim videtur subintelligendum.

Pertines igitur ad Jesum. Id quod ex hoc ipso etiam probabilius est, quòd illius discipuli sunt Galilæi.

Ceterùm isti patefactioni subjicitur negatio tertiav. 60. Porrò eventa triplicis istius negationis narrantur quinque: quorum alia ex aliis ordine consequuta sunt. 1 Dum fieret tertia negatio, cecinit gallus: 2 Dominus conversus intuitus est Petrum: 3 Petrus recordatus est sermonis Domini, quomodo dixerat ipsi, Priusquam gallus cecinerit, ter me abnegabis: 4 egressus est foras: 5 flevit amarè. Atque hæc de primo hujus narrationis membro, videlicet de negatione Petri. Secundum sequitur, de illusione Domini à ministris Pontificum, v. 63. & duobus sequentibus. Quæ illusio consistit partim in factis, partim in verbis. Facta destinata fuerunt ad dolorem tum corpori tum animo Domini afferendum: etenim Dominum cædebant: ac nominatim faciem ejus, eamque obvolutam. Dicta ad animum Domini dolore afficiendum spectabant: quippe contumeliosa & sarcastica: etenim quum faciem ejus tectam verberavissent, interrogabant eum, dicentes: Vaticinare quis sit qui te percussit. Item alia multa convitiantes dicebant in eum. Atque hoc secundum narrationis hujus membrum est. Tertium est de damnatione Domini à concilio sacerdotum, v. 66. & deinceps: ubi primùm describitur ipsum concilium, v. 66. deinde narratur cognitio causæ seu examinatio rei, v. 67. usque ad 71: postremò ipsa damnatio, v. ult. Consilium describitur ex materia, videlicet ex tribus hominum ordinibus ex quibus constabat: puta, senioribus populi, primariis sacerdotibus, & scribis. Cognitio causæ fuit tum imperfecta, tum injusta. Imperfecta: quia quæsiverunt tantùm quid Dominus de seipso docuerit & adhuc profiteatur, omittunt autem quærere an illa ipsius doctrina atque professio sit vera & verbo Dei consentanea. Deinde injusta fuit isthæc examinatio, quia non fuit conjuncta cum proposito cognoscendi veritatem & secundùm legem Dei judicandi:

sed

ſed cum propoſito damnandi reum crimine blaſphemiæ, etſi illum iſtius criminis non poſſent convincere. Atque hanc injuſtitiam Dominus eis exprobrat, ubi ad quæſtionem ſibi propoſitam reſpondens, ait: *Si vobis dixero* (nempe me eſſe Chriſtum, Filium Dei) *nequaquam credetis.* Ergo non erat in eis propoſitum cognoſcendi & amplectendi veritatem. Et mox: *Quod ſi etiam interrogavero, nequaquam reſpondebitis mihi.* Id eſt, Si maximè ex verbo Dei probavero, me eſſe Chriſtum Filium Dei: vos tamen ad mea argumenta non reſpondebitis, nec interim veritati cedetis. Non igitur erat in eis propoſitum cognoſcendi & amplectendi veritatem. Deniq; addit: *Neque dimittetis me.* Habebant igitur ſibi propoſitum, damnare Dominum: ſive poſſent eum criminis alicujus convincere, ſive non. Non igitur habebant propoſitum judicandi ſecundùm legem Dei. Cæterùm ad quæſtionem propoſitam, an ipſe ſe dicat eſſe Chriſtum, Dominus primùm reſpondet obliquè, v. 69. afferendo ſcilicet argumentum unde reſponſio affirmativa facilè ab iſtis judicibus poterat concludi, ubi ait: *Ab hoc tempore erit Filius hominis ſedens ad dextram potentiæ Dei.* Id eſt, Ego brevi incipiam regnare in cælo, tanquam proximus à Deo. Hinc judices ultrò inferunt, *Tu ergo es Filius ille Dei?* Ad quam quæſtionem Dominus reſpondet affirmando, inquiens: *Vos dicitis: nam ego ſum.* Atque hæc de cognitione cauſæ. Damnatio ipſa narratur v. ult. *Quid amplius egemus teſtimonio?* Scilicet ad convincendum iſtum blaſphemiæ: ut declarant Matthæus & Marcus. Sententia eſt:

Si iſte blaſphemavit, dignus eſt ſupplicio capitis.
At blaſphemavit. Audivimus enim ex ore ipſius.
Ergo dignus eſt ſupplicio capitis.

At aſſumptio eſt falſa: & probatio quoque falſa ac principium petens. Audiverant enim illi quidem confeſſionem Domini, quòd ipſe eſſet filius Dei: at non audiverant blaſphemiam. Hæc enim non erat blaſphemia: quoniam erat confeſſio veritatis, qua Deus non blaſphematur, ſed honoratur atque glorificatur.

SCHOLIA IN CAP. XXII.

4 *Præfecti templo.* τοῖς στρατηγοῖς. Supplementum confirmatur ex collatione v 52. infrà, ubi istos nominat στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ. Nomen Græcum significat proprie ducē exercitus. Unde Syrus vertit *principes exercitus templi*, quæ (ut Tremellius annotat) videtur esse descriptio seniorum qui eo anno magistratum in populo gerebant. quibus permissum erat, ut ad cogendos cives ad officium, numerum aliquē satellitum haberent. *Traderet.* παραδῶ. Id est, proderet. Sic v. 6.

5 *Pecuniam.* ἀργύριον. Propriè, argentum. Metonymia materiæ.

6 *Absque turba.* ἄτερ ὄχλου. Id est, absque tumultu.

7 *Pascha.* τὸ πάσχα. Id est, agnum illum qui solenniter edebatur in memoriam liberationis ex Ægypto. Metonymia subjecti. nam vox Hebræa propriè significat transitum: & intelligitur transitus Angeli percutientis primogenita Ægyptiorum: cujus signum memoriale erat agnus iste. Sic deinceps.

10 *In urbem.* εἰς τὴν πόλιν. Græcum expressius propter articulum. nempe Hierosolymam. *Amphoram,* κεράμιον. Nomen Græcum propriè vas fictile significat. *Ingredietur.* εἰσπορεύεται. Pro, εἰσπορεύσεται.

11 *Illius domus.* τῆς οἰκίας. Articulus vim habet αὐθεντικήν. *Magister.* ὁ διδάσκαλος. Scilicet noster. Græcum expressius propter articulum.

15 *Desiderio desideravi.* ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. Id est, vehementer desideravi. Sic Genes. 2. 17. Moriendo morieris: id est, certissimè morieris.

16 *Non amplius.* οὐκέτι οὐ μή. In Græco est triplex negatio, πλεοναστικὴ, veruntamen non sine emphasi. *Completum fuerit.* πληρωθῇ. Videtur dictum impersonaliter: & subaudiendum, Quicquid per me complendum est ad plenam salutem filiorum Dei.

18 *Non bibiturum.* ὅτι οὐ μὴ πίω. In Græco gemina negatio est, ex more linguæ, cum emphasi.

19 *Datur.* διδόμενον. Scilicet in mortem. *In mei recordationem*

tionem. εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ponitur ἐμὴν pro ἐμοῦ. Id est, ut mei recordemini: nempe mortis meæ: eamq; prædicetis: ut declarat Apostolus 1. Corinth. 11. 26.

20 *Hoc poculum.* τοῦτο τὸ ποτήριον. Id est, vinum poculo contentum. Metonymia subjecti: quam vulgò imperitè nominant synecdochen continentis, seu qua ponitur continens pro contento, *Novum illud fœdus.* ἡ καινὴ διαθήκη. Id est, novi fœderis signum. Metonymia subjecti altera: qua ex re signata signum intelligitur. Articulus respicit ad promissiones Prophetarum: ut Jerem. 31. v 31. & seqq. *Per sanguinem meum.* ἐν τῷ αἵματί μου. Deest in principio articulus ἐν & ἐν ponitur pro διά, more Hebræorum. Sententia est, ἡ διαθήκη αὕτη αἵματός μου βεβαιωθησομένη: id est, quod (fœdus) per sanguinem meum stabilietur sive confirmabitur. *Qui pro vobis effunditur.* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Pro, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον: vel, ὃ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχύννεται. Aut est anomalia sermonis manifesta: aut clausula hæc irrepsit ex Marco. Apud Paulum quidem certè omissa est, 1. Cor. 11. 25. Nam non cohærere hanc clausulam cum verbis τοῦτο τὸ ποτήριον) ut quidam ineptè contendit) manifestum est tum ex collatione Matthæi & Marci. Simile anomaliæ exemplum exstat Apoc. 1. v. 5. Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς pro, τοῦ μάρτυρος & τοῦ πιστοῦ. Et mox, τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς: pro, τῷ ἀγαπήσαντι & λύσαντι ἡμᾶς. Tum iterum in principio v. 6. καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς: pro, καὶ ποιήσαντα & ἡμᾶς.

22 *Prout definitum est,* κατὰ τὸ ὡρισμένον. Id est, κατὰ τὴν ὡρισμένην βουλὴν καὶ πρόγνωσιν τοῦ Θεοῦ, definito consilio & providentiâ Dei ut ait Petrus Act. 2. 23.

24. *Maximus.* μείζων. Pro, μείζων &. Sic. 1. Cor. 13. v. ult. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη, Maxima autem ex his charitas.

26 *Inter vos.* ἐν ὑμῖν. Ad verb. In vobis, Græcissimus. *Esto.* γενέσθω. Vel, fiat. *Qui minimus est.* ὁ νεώτερος, Pro, ὁ νεώτατος &, Propriè, minimus natu: sed hîc significatur is qui minimæ est authoritatis, per metonymiam subjecti nam ut senectuti fere authoritas adjuncta est, sic juventuti contemptus. unde illud Pauli ad Timoth. Nemo contemnat juventutem tuam.

27 *Uter. τίς.* Id est, πότερος &.

29 *Ego igitur.* κἀγὼ. Pro, ἐγὼ οὖν. Talis consecutio sententiarum est Matth. 19. v. 27. & 28.

30 Nempe *ut edatis* &c ἵνα ἐσθίητε &c. Supplevi particulam declarativam: ut appareat, hæc cum præcedentibus cohęrere per appositionē: declaratur enim his verbis nomen *regni*. *Ut edatis et bibatis* &c. ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε &c. Id est, ut fruamini unâ mecū gaudiis cęlestibus, itemq́; honore & gloria cælesti. Metaphoræ à rebus humanis.

31 *Simon, Simon.* Σίμων, Σίμων. Epizeuxis ista singularem animi affectum ac benevolentiam notat. q.d. Mi charissime Simon. *Ecce.* ἰδοὺ. Attentionis particula.

32 *Pro te.* περὶ σοῦ. Utiq; etiam pro cæteris, quippe æquè tentandis: sed pro Petro præcipuè, tanquam plus tentando. *Tu igitur.* καὶ σὺ. Pro, σὺ οὖν. *Conversus.* ἐπιστρέψας. Vel, *quum te converteris.* Salvo interim illo Jeremiæ: Converte me Domine, & convertar: Jer. 31. 18.

34 *Priusquam ter me abnegaveris*, dicens, *quòd non noris me.* πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με. Duplex ellipsis: quarum priorem arguit tum genuina syntaxis verbi ἀπαρνεῖν, tum collatio Matth. 26. 34. posterior verò Hebræis usitatissima est.

35 *Num quid defuit vobis:* μὴ τινος ὑστερήσατε; Vel, *Num quare eguistis?* Et tum οὐδενὸς in subjecta responsione, reddendum, *Nullâ.*

36 *Et qui non habet gladium &c.* καὶ ὁ μὴ ἔχων, πωλησάτω &c. In Græco nomen *gladii* trajectum est ex consuetudine Hebræorum. Syrus nomen istud in priore membro supplevit, simulq́; in posteriore reliquit atque iterum expressit. Ego in justum ordinem voces redegi: ne quis ad participium ἔχων, id est, *habens*, putet ἀπὸ κοινοῦ repetenda, *crumenam & peram:* id quod sermonis consecutio primâ fronte suggerit: Quam quidem syntaxin sententia ipsa planè respuit. Quo enim sensu cohærent ista? *Qui non habet crumenam & peram, vendat pallium suum, & emat gladium.*

37 *Cum sceleratis.* μετ' ἀνόμων. Nomen Græcum sonat *ex leges:* id est, legum contemptores & ad omne scelus projectos. *Finem habent.* τέλος ἔχει. Id est, jam ad finē decurrunt quæ adhuc implenda restant: itaq, paulo pòst implebūtur.

40 *Preca-*

40 *Precamini ne intretis.* προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν. Id est, precantes petite ne intretis, hoc est, ne Deus vos inducat in tentationem, id est, vinci sinat in tentatione.

41 *Abstraxit se.* ἀπεσπάσθη. Ad verb. Abstractus est. Sed vox passiva, more Hebræorum, capitur reciprocè. Videtur autem hoc verbo notari, quòd Christus invitus à discipulis digressus sit, utpote vehementissimè perturbatus: & tamen ut preces suas liberiùs posset effundere, secessum suo more quæsivit. Hanc anxietatem notat quoque creber ille ad discipulos reditus, & cohortatio ut secum vigilarent. *Quasi* ad *jactum lapidis.* ὡσεὶ λίθου βολήν. Hoc est, quàm longè jaci potest lapis.

42 *Si vis transferre poculum hoc à me.* εἰ βούλει παρένεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ. Subaudiendum: παρένεγκαι, transfer. Apostopesis exprimens πῶς & optantis.

44 *Descendentes.* καταβαίνοντες. Id est, delabentes sive defluentes. Metaphora καταχρηστικὴ Hebraica.

46 *Quid.* τί. Id est, quare, διατί.

49 *Percutiemúsne.* εἰ παταξομεν. Ponitur εἰ pro μὴ vel ἆρα. Sensus est: Visne ut percutiamus? *Gladio.* ἐν μαχαίρᾳ. Redundat ἐν ex Hebraismo.

50 *Unus quispiam.* εἷς τις. Videl. Petrus. Joh. 18. 10.

51 *Auriculâ.* τοῦ ὠτίου. Id est, aure, ὠτίον: ut nominavit versu præcedente. Idem utroq; vocabulo tam apud Latinos quàm apud Græcos significatur. Nam quòd vulgo tradùt, auriculam significare, h.e. infimam auris partem quæ pendula & mollicula est: videntur decepti verbis quibusdam Ciceronis non intellectis, nempe ad Qu. frat. lib. 2. epist. ult. ubi ait: *Tu quemadmodum me censes oportere esse & in repub. & in nostris inimicitiis, ita & esse & fore auriculâ infimâ scito molliorem.* At, inquam, Cicero hîc *auriculam infimam* nominat pro eo quod vulgò dicitur, *auricula infimum*, hoc est, infima auriculæ pars: & eodem sensu dicere potuisset *aurem infimam.* Sic dicunt, *digitus extremus*, pro, *digiti extremum*: *liber extremus*, pro, *libri extremum.*

52 *Contra ipsum.* ἐπ' αὐτὸν. Sic suprà 9. 5. εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς. In testimonium adversus ipsos. *Fustibus.* ξύλων. Ad verb. Lignis. Metonymia materiæ.

55 *Quumq; accendissent.* ἀψάντων δὲ. Impersonaliter. Intelliguntur autem ministri sacerdotum & magistratuum.

56 *Ad ignem.* πρὸς τὸ φῶς. Propriè, *ad lumen.* Metonymia effecti. Et Græcum expressius est propter articulum ἀναφορικὸν: q. d. Ad ignem illum, quum scilicet paulo antè accenderant. *Cum eo.* σὺν αὐτῷ. Cum isto homine cujus causâ primores congregati sunt: id est, cum Jesu.

58 *Ex ipsis.* ἐξ αὐτῶν. Scilicet discipulis & gregalibus istius Jesu.

59 *Et interpositâ quasi horâ unâ.* καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς. Vel, *Quumq; intercessisset intervallum quasi unius horæ.* nam διάστημα intervallum significat. Verè. ἐπ' ἀληθείας. Ad verb. *In veritate.* Periphrasis adverbii Hebraica: ut Jer. 26. 15. *In veritate misit me Jehova ad vos:* id est, verè.

66 *Presbyterium.* πρεσβυτέριον. Id est, ordo seniorum. Simili significatione accipitur hæc vox 1. Tim. 4. 14.

68 *Neque dimittetis.* ἢ ἀπολύσετε. Ad verb. *Aut dimittetis.* Negatio ex præcedente membro repetenda est, more Hebræorum.

70 *Vos dicitis: nam ego sum.* ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. Sic videtur potiùs vertendum, quàm, *Vos dicitis me esse:* ex collatione Marc. 14. 62. ubi simpliciter ait, ἐγώ εἰμι: *Ego sum.* Item ex collatione versus sequentis: ex quo percipitur. Dominum rotundè confessum esse, quòd ipse Filius Dei sit. Ab altera illa loquendi forma, concedentis potiùs videtur esse, quàm apertè & rotundè confitentis.

ANALYSIS CAP. XXIII.

ARGVMENTVM.

Sex sunt hujus capitis partes. Primo narrari incipiunt ea quæ passus est Dominus coram præside seu judice Pilato, usque ad v. 6. Secundò narrantur ea quæ passus est coram Herode, usque ad v. 13. Tertiò continuatur narratio eorum quæ passus est coram Pilato, usque ad v. 26. Quartò narratur, quid ei acciderit, quidq; passus sit in itinere ad supplicium, usque ad v. 33. Quintò narrantur ea quæ passus est in loco supplicii, usque ad v. 50 Sextò narratur, quomodo sepultus sit seu in sepulchro conditus, usque ad finem.

PARS

PARTIS PRIMA.

Initium narrationis eorum quæ passus est Dominus coram præside.

TUm *surgens universa multitudo eorum duxit eum ad Pilatum.*

2 *Cœperunt autem eum accusare, dicentes, Comperimus istum pervertere gentem, & vetare tributa dare Cæsari, dicendo se Christum,* id est, *regem esse.*

3 *Pilatus autem interrogavit eum dicens, Tu es rex ille Judæorum? Ipse verò respondens ei dixit, Tu dicis.*

4 *Ait verò Pilatus ad principes Sacerdotum & turbam, Nullam invenio noxam in hoc homine.*

5 *At illi invalescebant, dicentes; Concitat populum, docens per universam Judæam, exorsus à Galilæa* & pergens *huc usque.*

Duo hîc narrantur quæ Dominus coram præside Pilato passus est: unum, quòd à primoribus Judæorum ad illum fuit deductus tanquam maleficus seu facinorosus, v. 1. Sicut declarat Johannes: qui refert, eos de crimine à Pilato interrogatos, respondisse: *Nisi hic esset maleficus, non tradidissemus eum tibi*, Joh. 18. 30. Alterum quod hoc loco passus esse narratur, est: quòd à primoribus Judæorum accusatus est falso crimine seditionis, v. 2: quod continetur his verbis, *Compérimus istum pervertere gentem*, nempe gentem nostram seu populum nostrum: id quod in Græco innuit articulus, ubi dicitur, τὸ ἔθνος. Pervertere autem, id est, avertere ab obedientia Cæsaris. Hoc probant ex eo, quòd veter tributa dare Cæsari. At ista probatio erat falsa: quia Christus contrarium fecerat, dicens: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris: intelligens, tributum sive censum illi dandum esse tanquam domino ipsorum. Sed istam probationem approbant ex eo, quòd dixerit, se esse Christum, ac proinde regem Judæorum. Verùm hac probatione non concluditur propositum. Etsi enim dixerat se esse Christum, & per consequens regem illum Judæorum à Deo jam olim eis per Prophetas promissum; tamen inde

non sequebatur, ipsum esse authorem seditionis, aut Judæos ab obedientia Cæsaris avertere: quia Christus non erat futurus rex terrenus sive mundanus, sed cælestis & spiritualis. Atque hæc duo prima narrationis hujus membra sunt. Tertium membrum est confessio Domini, v. 3. qui interrogatus à Pilato, confessus est se esse regem illum Judæorum. ubi ex Johanne addendum, quòd simul declararit, regnum suum non esse de hoc mundo: quo ipso diluebatur crimen seditionis. Quartum membrum est sententia judicis de Domini innocentia, v. 4. Quintum membrum est sententiæ illius eventus in accusatoribus Domini, videlicet accusationis repetitio atque continuatio, v. 5.

PARS SECUNDA.

Quæ passus est coram Herode.

6 *Pilatus verò, auditâ Galileâ, interrogavit an homo iste Galilæus esset.*

7 *Et quum cognovisset eum ad Herodis potestatem pertinere, remisit eum ad Herodem; qui & ipse Hierosolymis erat per eos dies.*

8 *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde. cupiebat enim à multo tempore eum videre, eo quòd audiret multa de eo: & sperabat se signum aliquod visurum ab eo fieri.*

9 *Interrogavit autem eum multis verbis: sed ipse nihil ei respondit.*

10 *Stabant autem principes Sacerdotum & Scribæ magnâ contentione eum accusantes.*

11 *Herodes autem cum militibus suis, quum eum pro nihilo habuisset, & illusisset ei, amictum veste splendidâ remisit ad Pilatum.*

12 *Et facti sunt amici inter sese Pilatus & Herodes eo ipso die: nam antea inimici erant inter se.*

Primùm narratur occasio istarum perpessionum, deinde perpessiones ipsæ. Occasionem istis perpessionibus præbuit, quòd Dominus à Pilato ad Herodem missus fuit, v. 7. Hæc missio illustratur è causa impulsiva, ex occasione,

ſione, & ex eventis. Cauſa impulſiva fuit, quòd Pilatus cognoviſſet, Dominũ tanquam Galilæum ad Herodis poteſtatem pertinere, v. 6. & 7. Occaſio, quòd Herodes per eos dies Hieroſolymis erat, v. 7. Eventa narrantur tria: quorũ duo propriè pertinent ad Herodem, tertium commune illi fuit cum Pilato. Ad Herodem propriè pertinuit, quòd viſo Jeſu gaviſus eſt valde, & quòd ſperavit ſe ſignũ aliquod (id eſt miraculum) ab eo viſurum, v. 8. Gaudium illud illuſtratur à cauſa per ſe: nempe quòd jam à multo tempore Dominum cupiebat videre, eò quòd multa de eo audierat, ibidem. Commune Pilato & Herodi eventum fuit, quòd in veterem gratiam unâ redierunt, v. 12. Atq; hæc de perpeſſionum quæ hîc narrantur, occaſione. Perpeſſiones ipſæ narrantur duæ: una, quòd à primariis ſacerdotibus & ſcribis magnâ contentione acculatus fuit, v. 10: alterum, quòd ab Herode & militibus ejus fuit pro nihilo habitus & illuſus, & veſte ſplendidâ ludibrii causâ amictus atque ita remiſſus ad Pilatum, v. 11.

PARS TERTIA.

Continuatur narratio eorum quæ paſſus eſt Dominus coram Pilato.

13 *Pilatus verò, convocatis principibus Sacerdotum & magiſtratibus, ac populo,*

14 *Dixit eis; Obtuliſtis mihi hunc hominem tanquam avertentem populum: at ecce, ego in veſtri conſpectu quæſtione habitâ, nullam noxam invẽni in homine iſto, ex iis de quibus accuſatis eum:*

15 *Sed nec Herodes quidem: nam remiſi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte factum eſt ab eo.*

16 *Caſtigatum ergo eum dimittam.*

17 *Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto unum* quempiam:

18 *Exclamavit autem ſimul univerſa turba, dicens; Tolle hunc, dimitte verò nobis Barabbam:*

19 *Qui erat propter ſeditionem quandam & cædem factam in urbe, conjectus in carcerem.*

20 *Rursus ergo Pilatus alloquutus est eos, volens dimittere Jesum.*

21 *Ipsi verò reclamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum.*

22 *Ille autem tertiò dixit eis, Quid enim iste malì fecit? nullam noxam capitalem invèni in eo: castigatum ergo eum dimittam.*

23 *At illi instabant vocibus magnis, petentes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum ac principum Sacerdotum.*

24 *Tum Pilatus judicavit ut fieret quod ipsi petebant.*

25 *Dimisit autem eu illum qui propter seditionem & cædem conjectus fuerat in carcerem, quem petierant: Jesum verò tradidit eorum voluntati.*

Quatuor hic narrantur quæ Dominus præterea coram Pilato passus est: primum, quòd tanquam facinorosus comparatus fuit cum latrone Barabba, v. 17. & seq Secundum, quòd postulatus fuit magnis ac furiosis clamoribus ad crucem, v. 21. 22 & 23. Tertium, quòd à Pilato fuit ad crucem damnatus, v. 24 & 25. Quartum, quòd latroni Barabbæ tanquam minus innocens fuit postpositus, v. 25. Cæterùm cõparatio illa Domini cum Barabba illustratur expositione finis cujus gratiâ Pilatus illum instituerat, nempe ut hac via illum dimitteret, v. 17. & 18. Propositum autem illud Pilati declaratur amplius expositione causæ impulsivæ, nempe quòd judicaret, Dominum nihil morte dignum admisisse, v. 13. 14. & 15. Clamores verò illi Judæorum postulantium Dominum ad crucem, amplificantur expositione causæ corumpentis: nempe contradictionis Pilati & testificationis de innocentia Domini, & pollicitationis castigandi seu flagellandi, v. 22. Sed nihil hõrum quicquam profecit ad extorquendum illis suum postulatum: quin potiùs eò furiosiùs illud urserunt, v. 23. Porrò damnatio Pilati qua Dominum damnavit, declaratur ex fine, nempe quòd id fecerit in gratiam Judæorum, v. 24 & in fine v. 25. Postremò postpositio illa Domini amplificatur expositione sceleris quod Barabbas admiserat, v. 25.

PARS

PARS QUARTA.

Quid acciderit Domino in itinere ad ſupplicium.

26 *Quum igitur abducerent eum, prehenſo Simone quodam Cyrenæo, qui veniebat rure, impoſuerunt ei crucem ferendam post Jeſum.*

27 *Sequebatur autem eum magna multitudo populi & mulierum: quæ & plangebant & lamentabantur eum.*

28 *Converſus autem ad eas Jeſus dixit, Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me; verùm ſuper vobiſmetipſis flete, & ſuper liberos veſtros:*

29 *Nam ecce, venient dies quibus dicent, Beata ſteriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.*

30 *Tum incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos.*

31 *Nam ſi in virente ligno iſta faciunt, in arido quid fiet?*

32 *Ducebantur autem etiam alii duo malefici cum eo, ut è medio tollerentur.*

Duo hîc narrantur quæ Domino in itinere ad ſupplicium acciderunt: unum honorificum, alterum contumelioſum. Honorificum fuit, quòd mulieres lamentatæ ſunt, teſtantes hoc modo Domini innocentiam, v. 27. Contumelioſum fuit, quòd inter duos maleficos ad ſupplicium deductus eſt, v. 32. Cæterùm lamentatio illa declaratur ex eventu, videl. Domini ſermone ad mulieres illas. Sermo ille continet denuntiationem pœnæ eventuræ Judæis propter hoc parricidium. Occaſionem autem ad iſtam denuntiationem ſumpſit Dominus ex re præſenti, per collationem imparium, ratiocinando à minori, ad hunc modum. Si fletis meâ causâ, multò magis flete veſtrâ causâ & liberorum veſtrorum: nam vos manent graviſſimæ pœnæ propter hoc parricidium quod in me admittitis. Pœnarum autem illarum gravitatem innuit ex effectis, videlicet dictis tum mulierum quæ habuerint liberos, v. 29: tum promiſcuè omnium, v 30. Deinde denuntiationem illam confirmat à minori, v. 31. ubi ſeipſum comparat ligno ſeu arbori viridi, propter ſuam

innocentiam: populum verò Judaicum, arbori aridæ atque infructuosæ, propter ipsius impietatem. Jam si paterfamilias excindit arborem viridem ad comburendum: multò magis excinder aridam. Similiter si Deus Filium suum unigenitum eundemq; hominem sanctissimum tam graviter affligit: longè graviùs affligit Judæos impios, persecutores illius.

PARS QUINTA.

Quæ passus est Dominus in loco supplicii.

33 *Quum igitur venissent in locum qui vocatur Calvaria, illic crucifixerunt eum, & malefícos illos: unum ad dextram, alterum ad sinistram.*

34 *Jesus autem dicebat, Pater, remitte eis: nesciunt enim quid faciunt. Partientes verò vestimenta ejus, jecerunt sortem.*

35 *Et stabat populus spectans. Irrisis autem excipiebant eum etiam primores cum eis, dicentes; Alios servavit; servet seipsum, si hic est Christus ille, electus ille Dei.*

36 *Illudebant autem ei etiam milites, accedentes & acetum ei offerentes:*

37 *Dicentesq;, Si tu es Rex ille Judæorum, serva temetipsum.*

38 *Erat autem etiam inscriptio scripta super eum literis Græcis & Romanis & Hebraicis,* HIC EST REX ILLE JUDÆORUM.

39 *Unus autem ex maleficis qui erant suspensi, convitiabatur ei, dicens; Si tu es Christus ille, serva teipsum & nos.*

40 *Respondens autem alter objurgavit eum, dicens; Ne tu quidem Deum times, quum in eâdem sis damnatione?*

41 *Et nos quidem justè: nam digna factis nostris recipimus: iste verò nihil indecens fecit.*

42 *Dixitq; Jesu; Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum.*

43 *Tum dixit ei Jesus; Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

44 *Erat autem quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt super totam terram usque ad horam nonam.*

45 *Et obscuratus est sol, & aulæum templi fissum est medium*

46 *Quumq;*

46 *Quumq; clamasset voce magnâ Jesus, ait; Pater, in manus tuas depono spiritum meum. Et quum hæc dixisset exspiravit.*

47 *Quum vidisset autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Verè hic homo justus erat.*

48 *Et omnis turba quæ simul ad hoc spectaculum accesserat, spectans quæ facta fuerant, verberans pectora sua revertebatur.*

49 *Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres quæ erant eum unâ sequutæ à Galilæa, videntes ista.*

Quinque narrantur hîc perpessiones quas Dominus in loco supplicii expertus est. Prima, quòd crucifixus fuit, v. 33. Secunda, quòd suspensus inter duos latrones, ibidem. Tertia, quòd coactus est videre direptionem suarum vestium, v. 34. Quarta, quòd sannis exceptus fuit & conviciis prosciissus à variis personis, v. 35. 36. 37. 39. Quinta, quòd exspiravit, v. 46. Hæ perpessiones omnes primùm illustrantur ex nomine loci ubi acciderunt, v. 33. Perpessio prima & secunda illustrantur ex eventu, videlicet precibus Domini pro illis à quibus ista patiebatur, v. 34. Quarta verò perpessio illustratur per species tum personarum conviciantium, tum verborum ad conviciandum adhibitorum. Personæ fuerunt quadruplices: populus, primores, milites & alter latronum. Verba populi & primorum recitantur v. 35. *Alios servavit* &c. Militum, v. 37. *Si tu es rex* &c. Latronis, v. 39. *Si tu es Christus* &c. Adhęc militum convicium amplificatur ex adjuncta oblatione aceti, v 36. quum scil. Dominus questus esset de siti, ut declarat Johannes cap. 19 v. 28. Porrò inter militum & latronis convicia inseritur narratio de titulo crucis, v. 38. Cæterùm convicium latronis amplificatur ex eventu, videlicet objurgatione alterius latronis vers. 40. & 41. ubi ille Domino testimonium dat innocentiæ. Deinde annectitur ejusdem latronis petitio ad Dominum, v. 42. Dominiq; benigna responsio & vitæ æternæ promissio v. 43. Postea v. 44. & 45. narrantur duo miracula quæ Domino in cruce pendente acciderunt, videlicet trium horarum tenebræ præternaturales, & fissio veli in templo. Ex quibus tanquam effectis colligere oportet passionem Domini præcipuam quæ per illas tres horas (ut videtur)

duravit: nempe quòd plenè sensit iram Dei adversus electorum peccata, quæ per oblationem suiipsius expianda susceperat. Cujus pleni sensus iræ Dei testimonium evidens narratur à Matthæo & Marco: qui narrant, Dominum circa horam nonam exclamavisse voce magna: *Deus mi, Deus mi, quare dereliqisti me?* unde clarè perspicitur, Dominum sibi per id tempus visum esse desertum à Deo, ac proinde plenè sensisse iram Dei. Quæ passio tam indignè comparata fuit, ut ipse sol inde cohorrescere videretur: hinc enim præternaturales illæ tenebræ, in oppositione scilicet Solis & Lunæ factæ: ut videatur sol quasi ultrò cohibuisse lucem suam & quasi oculos clausisse, ne tam nefarium facinus populi Judaici intueri cogeretur. Fissio autem veli in templo (ut ex narratione Matthæi & Marci liquet) accidit demum postquam Dominus exspirasset. Fuit enim argumento, per Domini sacrificium jam peractum aboleri oportere sacerdotium Leviticum cum toto illo veteri ceremoniali cultu: quia scilicet illud hujus typus erat. Exspiratio Domini declaratur ex adjuncto dicto quod proximè præmisit, nempe: *Pater, in manus tuas depono spiritum meum*, v. 46. Postea v. 47 & 48. narrantur eventa rerum tunc circa Dominum & à Domino gestarum; quæ eventa acciderunt tum in centurione v 47: tum in turba, v. 48. Postremò indicantur rerum illarum testes fideles, v. 49.

PARS SEXTA.

Quomodo Dominus sepultus sit.

50 *Tum ecce vir nomine Joseph, senator, vir bonus ac justus:*

51 *Qui non assensus fuerat consilio ac facto eorum: ortus Arimatheâ civitate Judæorum: qui exspectabat & ipse regnum Dei:*

52 *Hic*, inquam, *adiens Pilatum, petiit corpus Jesu.*

53 *Et detractum illud involvit sindone, posuitq; illud in monumento quod erat in saxo excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat.*

54 *Porro dies erat Parasceve, & Sabbathum appetebat.*

55 *Subse-*

55 *Subsequutæ etiam mulieres quæ cum eo venerant ex Galilæa, spectarunt monumentum, & quomodo positum esset corpus ejus.*

56 *Reversæ verò paraverunt aromata & unguenta: ac Sabbatho quidem quieverunt, secundùm mandatum.*

Narrationis hujus sex sunt membra. 1. Quis Dominum sepeliverit. 2. Quomodo corpus Domini impetrarit. 3. Quomodo illud ad sepulchrum præparârit. 4. In quali sepulchro posuerit. 5. Quo tempore id fecerit. 6. Quos spectatores habuerit. Persona quæ Dominum sepelivit, describitur v. 50. & 51. à sexu, nomine proprio, ordine seu dignitate, animi qualitate, facto pio, patria & religione. Impetravit ille corpus Domini à Pilato precibus, v. 52. Præparavit illud ad sepulchrum per involutionem in sindonem, v. 53. Posuit in sepulchro quod erat ex lapide excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat, ibid. Fecit id in vespera parasceves, imminente jam sabbatho, v. 54. Spectatores vel potiùs spectatrices habuit sanctas illas mulieres quæ Dominum fuerant sequutæ ex Galilæa. Illarum spectatio sive observatio sepulturæ Domini illustratur significatione finis, cujus gratiâ spectarunt & diligenter observarunt, ubi & quomodo Domini corpus poneretur: nempe ut Sabbatho exacto reversæ, illud ungerent, v. 56. quia scilicet tum quùm Dominus sepeliretur, id non licebat per temporis angustiam: quiâ tum ingruebat Sabbathum quo per Legem Dei non licebat Judæis ullum opus servile facere.

SCHOLIA IN CAP. XXIII.

2 *Pervertere & vetare, διαστρέφοντα καὶ κωλύοντα.* Ad verb. *Pervertentē & vetantē.* Participia pro infinitivis more Græcorum. Deinde est ἐνδιάδυο: pro eo quod est, Pervertere vetando, seu dum vetat. *Vetare dicendo, κωλύοντα λέγοντα.* Pro, κωλύειν λέγοντε: id est, vetare dicentem. κωλύω λέγων, veto dicens: id est, dicendo seu quatenus dico. Neque enim vetuerat Dominus tributa dare Cæsari: sed potiùs imperaverat: sed vetationē isti colligunt ex ipsius doctrina

de sua persona, falsò interim illam interpretantes. nam etsi docuerat, se esse Christum, ac proinde regem: nunquam tamen docuerat, se fore regem mundanum: imò regnum mundanum detrectavit ac fugit, Joh. 6. 15. Quare ex doctrina Christi non rectè illud colligebant: quum regnum ipsius jura Cæsaris salva relinqueret.

3 *Rex ille.* ὁ βασιλεὺς. Quem scilicet illi exspectant; quemq; Messiam seu Christum nominant. *Tu dicis.* σὺ λέγεις. Verba concedentis. Apud Johannem additur, ὅτι βασιλεὺς εἰμὶ ἐγώ. *Nam rex sum ego:* Johan. 18. 37. Et ibidem additur declaratio, qualis rex sit. Quæ declaratio hîc quoque subintelligenda est. Inde enim ortum fuit judicium Pilati de Domini innocentia: de quo mox sequitur: sicut & loco citato apud Johannem.

4 *Noxam.* αἴτιον. Sive crimen, sive culpam. Ad verb. *Causam.* Synecdoche generis. Intelligitur enim causa supplicii: id est, causa idonea propter quam Dominus à Judæis accusatus, supplicio capitis afficiatur.

5 *Invalescebant.* ἐπίσχυον. Scilicet accusando & clamando. *Exorsus à Galilæa* & pergens *hucusque.* ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. Post Γαλιλαίας supplendum, καὶ προβαίνων. Id est, Et progrediens seu pergens. Talis ellipsis est Matth. 2. 16. in illo, ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας &c. ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. Pro, ἀρξάμενος ἀπὸ διετοῦς καὶ προβαίνων κατωτέρω. Id est, Interemit omnes pueros &c. *exorsus* à bimulis *& pergens* inferiùs, hoc est, ad minores bimulis.

6 *Auditâ Galilæa.* ἀκούσας Γαλιλαίαν. Vel, *Quum audisset Galilæam*, scilicet nominari seu commemorari, quòd in ea doceret Dominus.

7 *Eum ad Herodis potestatem pertinere.* ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρώδου ἐστίν. Ad verb. Eum ex potestate Herodis esse: hoc est, ex ditione seu regione Herodis in quam ille habebat potestatem. Metonymia adjuncti. Syrus, *Ex subjectis potestati Herodis:* simili observatâ metonymiâ.

8 *A multo* tempore. ἐξ ἱκανοῦ. Pro, ἐκ πολλοῦ, scilicet χρόνου. *Signum.* σημεῖον. Id est, miraculum: signum scilicet divinæ suæ vocationis ad prophetandum. Synecdoche generis.

9 *Multis*

9 *Multis verbis.* ἐν λόγοις ἱκανοῖς. Pro, διὰ λόγων πολλῶν.

10 *Magnâ contentione.* εὐτόνως. Acriter & vehementer: ut Cicero pro Flacco loquitur: *Acriter & vehementer dixerat accusator.*

14 *At ecce.* καὶ ἰδοὺ. Pro, ἀλλ' ἰδοὺ. Est enim antithesis. *Nullam noxam ex iis de quibus accusatis eum.* οὐδὲν αἴτιον ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ. Pro, ἐκείνων ἃ κατηγορεῖτε, id est, κατηγοροῦντες λέγετε κατ' αὐτοῦ. Syntaxis nova, κατηγορεῖν τι κατά τινος: quatenus κατηγορεῖν significat accusare. Sed si accipiatur pro *dicere* seu *prædicare*, tum καὶ exponendum erit per περὶ: & vertendum, *Ex iis quæ dicitis (seu prædicatis) de eo.*

15 *Factum est ab eo.* ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ. Ad verb. Actum est ei: id est, ὑπ' αὐτοῦ. Græcismus.

16 *Castigatum ergo eum.* παιδεύσας οὖν αὐτόν. *Postquam igitur eum castigavero*, id est, flagellavero: ut declarat Johannes, 19. 1: videlicet per ministros.

18 *Exclamavit simul universa turba.* ἀνέκραξαν παμπληθεὶ. *Exclamarunt universâ multitudine.* Elegans loquendi genus per adverbium: cui similia sunt, πανδημεὶ, πανστρατὶ, πανοικὶ: quorum postremo Lucas quoque utitur act. 16. 34. ubi de commentariensi seu custode carceris per Paulum converso dicitur, quòd crediderit Deo πανοικὶ, cum universa domo sua.

21 *Crucifige, crucifige.* σταύρωσον, σταύρωσον. Epizeuxis notat vehementiam odii.

22 *Noxam capitalem.* αἴτιον θανάτου. Vel, *Causam mortis*: id est, facinus dignum morte.

23 *Instabant.* ἐπέκειντο. Ad verb. Incumbebant. urgebant propositum suum.

24 *Judicavit.* ἐπέκρινε. Vel, *approbavit*: quasi dicas, pòst judicavit: nempe post instantiam illam accusatorũ. *Quod ipsi petebant.* τὸ αἴτημα αὐτῶν. Ad verb. Petitio ipsorum. Metonymia adjuncti. Sic Prov. 10. 24. *Formido improbi, ipsa eveniet ei*: id est, quòd formidat improbus.

28 *Filiæ Hierusalem.* θυγατέρες Ἱερουσαλήμ. Id est, mulieres Hierosolymitanæ. Hebraismus. Sic ab Esaia dicuntur filiæ Tzijonis, Es. 3. 16. *Super me.* ἐπ' ἐμὲ. Id est, δι' ἐμὲ, propter me seu meâ causâ. Sic mox, ἐφ' ἑαυτὰς: item ἐπὶ τὰ τέκνα.

29 *Venient.* ἔρχονται. Ad verb. Veniunt: id est, brevi venturi sunt. *Genuerunt.* ἐγέννησαν. Id est, ἔτικον, pepererunt: ut Matth. 2. v. 1. & sup. cap. 1. v. 57.

31 *In viridi ligno.* ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ. Ad verb. In humido ligno: cui mox opponitur τὸ ξηρὸν ξύλον, aridum lignum. In phrasi Latina (sicut & in Germanica huic respondente) est metonymia effecti. Nam quamdiu arbor humido radicali seu nativo prædita est, viret: contrà succo illo destituta & exsiccata seu arefacta, virorem quoque amittit: quippe nulla ampliùs folia emittens. Porrò lignum pro arbore per synecdochen generis Hebraicam dicitur. Sic Genes. 2 & 3. Lignum scientiæ boni & mali, item lignum vitæ. Continetur autem hîc allegoria metaphorica, cujus sensus est: Si Deus me innocentem & virenti atque frugiferæ arbori similem tam graviter affligi, & tanquam arborem aridam exscindi patitur: quanto graviùs sinet affligi vos nocentes & aridis atque infrugiferis arboribus similes?

32 *Etiam alii duo malefici.* καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι. Num igitur Evangelista Christum numerat inter maleficos? Absit. Sed hæc accipienda sunt per appositionem: sic, *Etiam alii duo, qui erant malefici*, nempe latrones: ut vocantur Matth. 27. 38. Versu sequente distinctè loquitur: ubi ait, σταυρώσατε αὐτὸν καὶ τοὺς κακούργους, crucifixerunt eum & malefícos illos, ubi articulus vim habet διαφορικήν.

40 *Nec tu quidem Deum times?* οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεόν; Pro, οὐδὲ σὺ φοβῇ τὸν Θεόν. Pronomen trajectum est: in quo est emphasis, & innuitur amplificatio à collatione minoris, quasi dicat, Non solùm crucifixores nostri tam vacui sunt timore Dei ut huic afflicto afflictionem addant conviciis suis: sed (quod magis derestabile ac mirandum est) etiam tu qui socius es crucifixionis. *Non times Deum.* οὐ φοβῇ τὸν θεόν. Id est, Conviciaris huic Jesu. Metonymia efficientis in tota phrasi. *Quum sis.* ὢν. Vel, Quum tamen sis. Exponit enim his verbis rationem, cur debuerit iste à conviciis abstinere. quasi dicat: Tu debebas timore Dei retineri, quò minùs huic malediceres: nam es in eâdem damnatione. *Damnatione.* κρίματι. Ad verb. Judicio. Id est, supplicio.

supplicio. Synecdoche generis.

41 *Et nos quidem juste, &c.* ἡμεῖς μὲν δικαίως. Scil. damnati sumus, & supplicio extremo afficimur. *Digna factis nostris.* ἄξια ὧν ἐπράξαμεν. Pro, ἄξια ἃ ἐπράξαμεν, digna iis quæ fecimus. Græcismus. *Indecens.* ἄτοπον. Vox Græca notat aliquid quod non habet locum, id est, quod non convenit, & meritò repudiandum est.

42 *Quum veneris in regnum tuum.* ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Pro, εἰς τὴν βασιλείαν σου. Enallage præpositionis Hebræis usitata. Sic 1. Johan. 4 v. 2. Christus dicitur venisse ἐν σαρκί, in carne: pro εἰς σάρκα, in carnem.

43 *Erunt.* ἔσῃ. Scil. tu: id est, anima tua. Synecdoche integri. *In paradiso.* ἐν τῷ παραδείσῳ. Id est, in cælo, loco scilicet veræ beatitudinis plenissimo: qualis ab initio mundi erat hortus ille plantatus in Edene, de quo Gen. 2. & 3. Metaphora. Sic 2. Cor. 12. v. 4.

44 *Hora sexta.* ὡρὰ ἐκτη. Vide scholia in Matth. 27. v. 45. *Super totam terram.* ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. Vide scholia modo citata.

45 *Obscuratus est.* ἐσκοτίσθη. Quasi dicas, obtenebratus, id est, tenebris obductus.

46 *Spiritum meum.* τὸ πνεῦμά μου. Id est, animam meam: ut ipse appellavit Matth. 26. v. 38. Nempe Spiritus vocabulo significatur hîc substantia incorporea: quo sensu & Angeli nominantur spiritus, & Deus ipse. Stephanus hanc precationem Domini imitatus est, Actor. 7. 59. *Exspiravit.* ἐξέπνευσεν. Id est, spirare desiit, anima scilicet emigrante. Synecdoche membri metonymica: nam anima cum effecto efficiens intelligitur. Pro hoc Matthæus dicit ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, emisit spiritum, id est, animam, Matth. 27. 50. Johannes verò, παρέδωκε τὸ πνεῦμα, tradidit spiritum, Johan. 19. 30.

47 *Justus.* δίκαιος. Id est, innocens. Vel per synecdochen generis Hebraicam, *justus*, Id est, vir: ac proinde Filius Dei, quem se esse dixit: propter quam confessionem tanquam blasphemus damnatus est & supplicio affectus. Hinc Matthæus refert, eum dixisse: *Vere filius Dei erat iste*, Matth. 27. 54.

51 *Ortus Arimathæâ.* Ἀπὸ Ἀρμαθαίας. Ad verb. Ab Arimathæa, id est, ex Arimathæa. Sic Johan. 1. 45. Ὃν ἔγραψε Μωϋσῆς καὶ οἱ προφῆται, Ἰησοῦν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ναζαρέτ. Item cap. 12. v. 21. Ἦλθον πρὸς Φίλιππον τὸν ἀπὸ Βηθσαϊδά, Venerunt ad Philippum qui erat ex Bethsaida. *Regnum Dei.* τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Id est, adventum Christi regnaturi in Ecclesia sua.

53 *In saxo incisum.* λελατομημένον. A verbo λαξεύω: quod compositum est ex λάας, lapis, & ξέω vel ξύω, sculpo. *Nondum quisquam positus fuerat.* οὐκ οὐδεὶς οὐδέπω ἦν κείμενος. In Græco tres negationes sunt.

54 *Dies parasceve.* ἡμέρα παρασκευῆς. Appositio: Sic autem nominabatur ille dies, nempe præparatio quòd in eo præpararent ea quibus opus erat ad festum, Matth. 28. 62. Marc. 15 42. Joh. 19. 31. Simili ratione dies Sabbathi Sabbatum appellari consuevit: ut hoc ipso loco. *Sabbathum appetebat.* σάββατον ἐπέφωσκε. Ad verb. Illucescebat. Sed istud dicitur per synecdochen speciei κατ' ἐξοχήν pro eo quod est, *incipiebat.* Etenim aliter incipit dies naturalis, aliter civilis. Naturalis dies incipit à luce, id est, exortu solis: ac proinde propriè loquendo, quum incipit, dicitur illucescere, quod est ἐπιφώσκειν. At dies civilis, Hebræorum quidem, incipiebat à tenebris, id est, ab occasu solis: quod tempus Scriptura vesperam nominat. Impropriè ergo quum incipit, dicitur ἐπιφώσκειν, illucescere. Nam quòd nonnulli hoc referendum putant ad exortum hesperi, infirmum videtur: quum verbum ἐπιφώσκειν usitatè intelligatur de exortu solis. quæ usitata & propria significatio observata est à Matthæo in narratione resurrectionis Domini, Matth. 28. v. 1. Ergo ἐπέφωσκε, *illucescebat*, hîc idem valet quod *incipiebat*: id est, paulo pòst incepturum erat, appropinquabat, adventabat, instabat. hoc autem Latini eleganter dicunt, *appetebat.* Significatur ergo his verbis, Domini corpus in sepulchro esse conditum sub occasum solis, appetente jam nocte: id quod Matthæus enuntiat his verbis, ὀψὲ δὲ σαββάτων, id est, vesperâ autem factâ: sive, *Quum jam vespera esset*: Matth. 27. 57.

56 *Sabbatho quidem.* τὸ μὲν σάββατον. Ellipsis præpositio-

nis

nis 47. *Secundùm mandatum*, κατὰ τὴν ἐντολὴν. Scilicet τὴν τοῦ Θεοῦ, id est, Dei: quod nimirum è mandatis seu præceptis decalogi quartum est.

OBSERVATIONES EX CAP. XXII. & XXIII.

Quid ex historia passionis Domini, duobus hisce capitibus comprehensa, discendum sit: vide in Observationibus nostris ex Matth. 26. & 27.

ANALYSIS CAP. XXIIII.

ARGVMENTVM.

Suprà capite 19. duæ actiones Domini ad officium ipsius Regium pertinentes, narratæ fuerunt; ingressus regius in urbem Hierosolymam, & repurgatio templi: nunc narrantur ejusdem generis duæ aliæ Domini actiones, videlicet resurrectio à mortuis & ascensio in cælum. Cætera verò quæ hactenus narrata fuerunt, aut ad officium ipsius Propheticum, aut ad Sacerdotale spectant: exceptis iis quæ in principio libri narrata sunt de Domini conceptione & nativitate: quibus tanquam communi fundamento cætera quæ ad officium spectant, innituntur. ut enim omni suo officio fungi rectè Dominus posset: taliter ipsum concipi atque nasci oportuit, ut in principio libri narratur. Cæterùm ut ex dictis patet, duæ sunt principales ultimi hujus capitis partes: prior de Domini resurrectione, usque ad v. 50. posterior de ejusdem in cælum ascensione, versibus reliquis. Ad resurrectionem quod attinet: illa demonstratur primùm à testimonio duorum Angelorum, usque ad vers. 13. deindè ab apparitione ipsius Domini, facta duobus discipulis. usque ad v. 36. postremò ab apparitione facta discipulis compluribus congregatis, usque ad v. 50. Ita primæ partis tres sunt particulæ.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA PRIMA.

Demonstratur resurrectio Domini à testimonio duorum Angelorum.

PRimo autem die hebdomadæ, profundo diluculo venerunt ad monumentum, ferentes quæ paraverant aromata: & quædam cum ipsis.

2 *Invenerunt autem saxum revolutum à monumento:*

3 *Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.*

4 *Et factum est dum in ea re hæsitarent: tum ecce, duo viri supervenientes adstiterunt eis, in vestibus fulgurantibus:*

5 *Quam ob rem expavefactæ inclinatent faciem in terram, dixerunt ei, Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit?*

6 *Non est hic, sed surrexit, meminerite ut loquutus sit vobis quum adhuc in Galilæa esset,*

7 *Dicens, Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi: & die tertio resurgere.*

8 *Recordatæ sunt igitur verborum illius.*

9 *Et reversæ à monumento annuntiaverunt hæc omnia ipsis Undecim, & reliquis omnibus.*

10 *Erant autem Maria Magdalene & Johanna, & Maria Jacobi* mater, *& reliquæ cum ipsis, quæ hæc dicebant Apostolis.*

11 *Sed visa sunt apud eos quasi deliramentum, verba eorum; neque crediderunt eis.*

12 *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & introspiciens, videt lintea sola illic jacentia: abiitq;, apud sese mirans quod factum fuerat.*

Primum indicatur tempus quo testimonium hoc dictum fuit, 2. personæ ad quas dictum fuit, 3. locus ubi dictum fuit, 4. causa impulsiva ex qua dictum fuit, 5. præparatio seu effectum destinatum ad dicendum, 6. ipsa testimonii dictio, 7. eventa.

Tempus indicatur v. 1. his verbis, *Primo autem die hebdomadis, profundo diluculo* &c. Quibus verbis significatur, quum jam ageretur tertius dies à Domini morte: quippe qui mortuus atque sepultus fuerat in vespera Parasceves (suprà 23. 54.) & per totum Sabbathum in sepulchro quieverat, primo autem die hebdomadis sequentis surrexerat: tunc igitur sanctas illas mulieres profundo diluculo ad monumentum sive sepulchrum Domini venisse, ipsisq; Angelos illos apparuisse, ac de Domini resurrectione apud ipsas testatos esse.

Personæ igitur ad quas testimonium hoc dictum fuit, fuerunt sanctæ illæ mulieres quæ cum Domino venerant ex Galilæa, ut percipitur ex his verbis v. 1. *Venerunt ad monumen-*

monumentum: ferentes quæ paraverant aromata, & nonnullæ cum ipsis. hæc enim verba cohærent cum duobus ultimis versibus capitis præcedentis: ubi mulierum istarum fit mentio. Idem liquet manifestiùs ex v. 12. infrà, ubi tres ex istis mulieribus nominatim exprimuntur. Locus significatur primùm vers. 1. ibi, *Venerunt ad monumentum*, deinde v. 2. ibi, *Invenerunt saxum avolutum à monumento*, tum v. 3. ibi, *Et ingressæ*, Quibus verbis significatur, testimonium hoc ad mulieres illas dictum esse in ipso monumento sive sepulchro ubi Dominus jacuerat. Cæterùm narratio loci illustratur significatione finis cujus gratiâ mulieres illæ eò se contulerant: Is finis fuit, ut quærerent corpus Jesu, & inventum ungerent. Qui finis primùm significatur ex effecto destinato, videlicet apportatione aromatum, id est, unguenti aromatici, v. 1. Deinde illustratur ab eventu inopinato duplici: uno, quòd invenerunt saxum à monumento avolutum, v. 2. de quo nimirum removendo fuerant sollicitæ, ut testatur Marcus cap. 16. v. 3. Altero, quòd non invenerunt corpus Domini in sepulchro, v. 3. ubi tamen illud recondi viderant die præterito tertio, suprà 23. 55. Atque hæc de loco. Causa quæ Angelos ad mulieres istas alloquendum, deque Domini resurrectione apud ipsas testandum impulit, narratur v. 4. his verbis, *Et factum est dum in ea re hæsitarent* &c. Quibus verbis significatur, Angelos impulsos fuisse sollicitudine & dubitatione istarum mulierũ de Domini corpore, quid scilicet de eo esset factum: essétne ab amicis an verò ab inimicis sublatum, denique ubi nam illud esset.

Præparatio narratur ibid. his verbis: *Ecce duo viri supervenientes adstiterunt eis, induti vestibus fulgurantibus.* Quibus verbis significatur, mulieres illas ad testimonium duorum illorum cum reverentia ac fide audiendum præparatas fuisse apparitione illorum glorioſa, emicante scilicet fulgure seu splendore cælesti ex vestibus ipsorum. Quæ apparitio illustratur ex effectu v. 5. quòd scil. mulieres inde fuerint expavefactæ, ac proinde faciem inclinarint in terram: quum scil. tanti fulgoris non essent capaces oculi ipsarum, nec mens sustinere posset cælestem illam maje-

ſtatem. Teſtimonium ipſum recitatur reliquâ parte verſ. 5. & ſequentibus duobus. Eſt autem illa teſtimonii pronuntiatio primùm amplificata reprehenſione inde deducta, deinde confirmata teſtimonio ipſius Domini. Reprehenſio præcedit his verbis, *Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit?* Quibus verbis Angeli reprehendunt perverſum & fruſtraneum factum mulierum: quæ quærant Dominum ubi minimè quærendus ſit, & ubi reperiri non poſſit: nempe apud mortuos, id eſt, in ſepulchro, quod ipſum confirmatur expoſitione cauſæ per antitheſin: Dominus vivit; Temere igitur & fruſtra quæritis eum apud mortuos: quippe quum vivi non ſoleant verſari cum mortuis, ſed cum vivis. Teſtimonium ipſum continetur his verbis verſ. 6. *Non eſt hic, ſed ſurrexit.* Confirmatio adjungitur ibi, *Mementote ut loquutus ſit vobis* &c. Eventa, quorum alia ex aliis ordine conſecuta ſunt, narrantur quinque. Primum v. 8. *Recordatæ ſunt igitur verborum illius.* Quibus verbis ſignificatur, mulieres illas teſtificationi Angelorum fidem habuiſſe: quippe quæ cum ipſius Domini teſtimonio conſentiret. Secundum eventum, è ſuperiore conſequutum, narratur, v. 9. *Et reverſæ à monumento annuntiaverunt hæc* &c. nam quia verbis Angelorum crediderunt, diſcipulos Domini læto nuntio reſurrectionis Domini exhilarare voluerunt. Tertium eventum, è ſecundò conſequutum, narratur v. 11. *Sed viſa ſunt* &c. quibus verbis docetur, Apoſtolos nuntio illi mulierum fidem derogaſſe. Quartum eventum, ex tertio conſequutum, narratur v. 12. *Petrus autem ſurgens* &c. Quibus verbis ſignificatur, Petrum quia non crediderat nuntio mulierũ, ipſummet veritatem rei geſtæ explorare voluiſſe, quærendo Dominum in ſepulchro. Quintum & poſtremum eventum, ex quarto illo conſequutum, narratur ibid. his verbis. *Abiit q; apud ſeſe mirans hoc factum.* Quibus verbis docetur: quum Petrus Domini corpus in ſepulchro non inveniſſet, inveniſſet autem lintea quibus fuerat involutum, miratum fuiſſe, quid ſcil. de Domini corpore eſſet factum.

PRIMAE

PRIMAE PARTIS PARTICULA SECUNDA.

Dominus apparet duobus discipulis.

13 *Et ecce, duo ex iis ibant eo ipsâ die in vicum distantem stadiis sexaginta ab Hierosolyma, cui* vico *nomen* est *Emmaus:*

14 *Et colloquebantur inter se de istis omnibus quæ evenerant.*

15 *Et factum est dum colloquerentur, & se mutuò rogitarent, tum ipse Jesus appropinquavit, & unâ iter faciebat cum ipsis.*

16 *Oculi autem eorum tenebantur ne ipsum agnoscerent.*

17 *Dixit autem eis, Qui sunt hi sermones quos confertis inter vos ambulantes, & quid est tetrico vultu?*

18 *Respondens autem alter eorum, cui nomen Cleopas, dixit ei; Tu solus commoratus Hierosolymæ, & ignoras quæ in ea facta sunt his diebus?*

19 *Ipse verò dixit eis, Quæ? At illi dixerunt ei, Quæ* facta sunt *de Jesu Nazareno: qui fuit Propheta, potens operibus & sermonibus coram Deo & toto populo:*

20 *Quomodo scilicet eum tradiderunt principes Sacerdotum & magistratus nostri ut morte damnaretur, & crucifixerunt eum.*

21 *Nos autem sperabamus illum esse qui redempturus esset Israëlem. atqui præter hæc omnia, tertium hunc diem agit hodie ex quo hæc facta sunt.*

22 *Sed & mulieres quædam ex nobis perculerunt nos; quæ diluculo venerunt ad monumentum,*

23 *Et non invento ejus corpore venerunt, dicentes se etiam apparitionem Angelorum vidisse, qui dicant eum vivere.*

24 *Et abierunt quidam eorum qui erant nobiscum, ad monumentum, & ita invenerunt prout mulieres dixerant: ipsum verò non viderunt.*

25 *Tum ipse dixit eis, O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ!*

26 *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita introire in gloriam suam?*

27 *Sed exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de se scripta erant.*

28 *Appropinquarunt igitur vico quò proficiscebantur: & ipse simulabat se longius ire.*

29 *Et ipsi coëgerunt eum, dicentes, Mane nobiscum: quoniam ad vesperascit, & inclinavit dies. Ingressus est igitur ut maneret cum eis.*

30 *Et factum est quum accubuisset cum eis, sumpto pane benedixit, & fractum porrexit eis.*

31 *Aperti sunt autem oculi eorum, & agnoverunt eum: sed ipse apparere desiit* digressus *ab eis.*

32 *Tum inter se dixerunt; Nonne cor nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & quum aperiret nobis Scripturas?*

33 *Et surgentes eo ipso momento, reversi sunt Hierosolymam, & invenerunt congregatos ipsos undecim, & eos qui cum ipsis erant:*

34 *Qui dicebant, Surrexit Dominus vere, & conspectus est Simoni.*

35 *Tum ipsi exposuerunt quæ* gesta erant *in via, & ut fuerat agnitus à se in fractione panis.*

Primùm indicatur apparitionis hujus tempus, 2 locus, 3 causa impulsiva, 4 forma seu modus, 5 eventa.

Tempus quo Dominus duobus istis discipulis apparuit, significatur v. 13. his verbis; *Et ecce duo ex iis ibant eo ipso die* &c. Videl. primo die hebdomadis quo Dominus resurrexerat, ex collatione præcedentium. Locus ubi Dominus discipulis istis apparuit, fuit duplex: nam primùm apparuit eis in via quæ Hierosolymis ducit in vicum Emmaus, v. 13: deinde verò in diversorio istius vici, v. 29. Prior locus nempe via illa, declaratur ex parte formæ. videl. longitudine, quæ fuit stadiorum sexaginta, v. 13. Causa quæ Dominum impulit ut discipulis istis sese ostenderet cumque eis colloqueretur fuit pia illorum sollicitudo de ipso: quippe qui colloquebantur inter se de istis omnibus quę circa Dominum evenerant, seq; mutuò rogitabant: quid scil. de isto Jesu esset posthac sibi sentiendum, essétne adhuc habendus pro Christo, an verò alius exspectandus: v. 14. & 15. Dominus igitur hac pia illorũ sollicitudine motus, se eis aggregavit, ut ipsos illâ levaret & errorem unde illa oriebatur, eximeret: sicut deinceps intelligetur ex ipsa apparitionis forma seu modo. Forma igitur seu modus apparitionis hujus narratur à v. 15. usque ad 31: & consistit in

variis

variis Domini actionibus, nempe tùm factis, tum dictis: quæ actiones narrantur numero octo. 1. Appropinquans duobus illis discipulis, unâ cum eis iter fecit, v. 15. 2. Tenuit oculos eorum ne se agnoscerent, v. 16. 3. Quæsivit ex eis, qua de re colloquerentur & cur essent tristes, v. 17. 4. Subjecto sive argumento sermonis & causâ tristitiæ cognitis, refutavit falsam ipsorum opinionem de Christo, unde tristitia illa fuerat orta, v. 25. 26. & 27. 5. Simulavit, se illis in vico relictis longiùs iturum, v. 28. 6. Passus est, se ab illis retineri, v. 29. 7. In initio cœnæ, sumpto pane, benedixit, id est, gratiis Deo actis illum ad legitimè ac salubriter edendum præparavit. v. 30. 8. Gratiarum actione peractâ, panem fregit; & fragmenta duobus illis discipulis porrexit, ibid. Eventa istius apparitionis narrantur quinq;. 1. Agnoverunt eum in fractione panis, v. 31. 2. Ipse ab illis subitò se subduxit atque apparere eis desiit, ibidem. 3. Mutuò professi sunt ardorem cordis sui natum ex Domini sermone in via, v. 32. 4. Eo ipso momento surgentes, reversi sunt Hierosolymam, & hæc gesta cæteris discipulis exposuerunt, v. 33. & 35. 5. Intellexerunt è cæteris discipulis, Dominum conspectum esse Simoni, id est, Petro, v. 34. Porrò, actionum ad formam apparitionis pertinentium tertia, illustratur ex eventu peculiari, videlicet sermone alterius ex duobus istis discipulis quo ad quæstionem ipsis à Domino propositam respondet v. 18. & deinceps usque ad 25. Respondet autem ordine ad utramque quæstionis propositæ partem: & summa responsionis est: Loquimur de iis quæ per hosce dies acciderunt Jesu Nazareno: & tristes sumus quòd spe nostra quam de illo conceperamus, falsi sumus. Principio autem discipulus ille Dominum (quem non agnoscebat) objurgat nomine ignaviæ, per quam scil. steterit quò minùs cognoverit ea quæ per illos dies publicè facta erât Jesu Nazareno in urbe, v. 18. Deinde Jesum prædicat tum ab officii præstantia, quòd fuerit *Propheta*, tum ab administrationis dexteritate, quòd fuerit *potens operibus & sermonibus coram Deo & toto populo*, v. 19. Tum narrat quàm indignis modis illum tractarint primores populi, v. 20. Quartò ex-

ponit causam suæ tristitiæ, nempe quòd falsi sint, sua spe & quidem spe maximi boni: quippe quòd sperarint, illum Jesum fore redemptorem Israëlis, id est, redempturum populum Israëliticum ab inimicis ipsorum: quòd scilicet fieri amplius non possit, quum ille sit è medio sublatus, v. 21. Nihil autem spei ab illo restare, probat duobus argumentis: primum à longitudine temporis, quòd Jesus ille jam ante tertium diem interfectus sit, nec tamen adhuc se redivivum ostenderit, v. 21. Deinde ab ipsius absentia è sepulchro: quòd deprehensum sit, eum non amplius esse in sepulchro, & tamen ignoretur ubi sit, v. 22. & 24. Hoc argumentum amplificat prolepsi nuntii mulierum quæ dixerint sibi apparuisse Angelos & dixisse, illum vivere: quod nuntium ita recitat, ut appareat non habere illi fidem, v. 23.

Quarta actio, videlicet refutatio falsæ opinionis discipulorum, consistit in demonstratione contrarii. Discipulorum opinio concludebatur hoc syllogismo:

Christum non oportet talia & tanta pati:

At Jesus Nazarenus talia & tanta passus est.

Ergo Jesus Nazarenus non est Christus: & per consequens falsò in illum speravimus.

Dominus contradicit propositioni, *Imò Christum oportuit hæc pati:* & hanc sententiam primùm illustrat antithesi succedentis gloriæ, v. 26. deinde confirmat testimoniis Scripturæ, v. 27. Ipsam autem conclusionem principalem amplificat reprehensione inde deducta, qua discipulos illos reprehendit propter stupiditatem & tarditatem ad credendum Scripturis, v. 25. Atque hæc de illustrationibus & amplificationibus pertinentibus ad apparitionis formam.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA TERTIA.

Dominus apparet discipulis compluribus congregatis.

36 *Hæc autem ipsis loquentibus, stetit ipse Jesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis.*

37 *Territi verò illi & expavefacti putabant se spiritum conspicere.*

38 *Tum*

38 *Tum dixit eis, Quid turbati estis, & quare discepta-tiones subeunt corda vestra.*

39 *Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum, contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.*

40 *Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus ac pedes.*

41 *Adhuc autem ipsis non credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis, Habetis hic esculentum aliquid?*

42 *Tum ipsi porrexerunt partem piscis assi, & ex favo apiario.*

43 *Quæ ille accepit, & in eorum conspectu comedit.*

44 *Dixit ǫ; eis, Hi sunt sermones quos loquutus sum vobis quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.*

45 *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas:*

46 *Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & surgere à mortuis tertio die.*

47 *Et prædicari in ejus nomine respiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes Gentes, incipiendo ab Hierosolyma.*

48 *Vos autem estis horum testes.*

49 *Et ecce, ego mitto promissum Patris mei super vos: vos autem manete in urbe Hierosolyma usquequo induamini robore ex alto.*

Primùm notantur tempus & locus & personæ quibus apparuit hac vice Dominus: deinde ipsa apparitionis forma seu modus describitur. Tria illa notantur, v. 36. collato cum tribus versibus proxime-præcedentibus. Verborum enim sententia hæc est; *Hæc autem ipsis loquentibus* (id est, Eo ipso tempore quo duo illi discipuli Emmaunte Hierosolymam reversi, cæteris discipulis isthic congregatis exposuerunt quomodo Dominus ipsis apparuisset in via, & quomodo ab ipsis esset agnitus Emmaunte: eo igitur ipso tempore & loco) *stetit ipse Jesus in medio eorum*, videlicet discipulorum Hierosolyma congregatorum. Forma ipsa apparitionis consistit in decem actionibus, tum factis tum dictis, nempe his. 1. Subitò astitit in medio ipsorum, v. 36. 2. Salutavit eos, dicens, Pax vobis, ibid. 3. Territos ex opinione spectri erexit, & veritatem sui corporis ab essentialibus adjunctis demonstravit, v. 38. & 39. 4. Probè sese inspiciendum atque considerandum obtulit, v. 40. 5.

Ad omnem dubitationem eis eximendam esculentum aliquid postulavit, v. 41. 6. Partem piscis assi & ex favo apiario comêdit, v. 42. & 43. 7. E scripturis demonstravit, oportuisse se ita pati & resurgere, & oportere istam doctrinam in mundo prædicari, v. 44. 45. 46. & 47. 8. Apostolatum illis commendavit, v. 48. 9. Promisit eis missionem Spiritus sancti, v. 49. 10. Jussit eos missionem illam exspectare Hierosolymis, ibid.

SECUNDA PARS CAPITIS.

De Domini in cælum ascensione.

50 *Eduxit autem eos foras Bethaniam usq;: & sublatis manibus suis, benedixit eis.*

51 *Et factum est, dum ipse benediceret eis, discessit ab eis, & ferebatur in cælum.*

52 *Ipsi autem adorato eo reversi sunt Hierosolymam cum gaudio magno.*

53 *Erant q; semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.*

Primò narratur pars una præparationis, qua discipuli adspectandum ascensionem Domini fuerunt præparati: deinde locus unde ascendit: tertiò altera pars præparationis: quartò ipsa ascensionis forma seu modus: quinto [illegible]

12. Prima pars præparationis fuit, quòd Dominus discipulos eduxit foras, id est, extra urbem Hierosolymam, v. 50. Locus quò illos eduxit & unde postea ascendit, fuit Bethania, ibid. videlicet mons quidam, ut declarat Matthæus, cap. 28. v. 16. Altera pars præparationis fuit valedictio, qua discipulis valedixit, sublatis manibus benedicens eis, hoc est, exoptans illis gratiam Dei, ibid. Ipsa forma ascensionis consistit in duabus actionibus: unâ, quòd à discipulis discessit: altera, quòd sursum ferebatur in cælum, vers. 51.

Eventa in discipulis narrantur quatuor. 1. Adorarunt eum ascendentem. 2. Reversi sunt Hierosolymam. 3. Magno gaudio affecti sunt. 4. In templo commorantes Deum laudarunt, duob. versib. ultimis.

SCHE-

SCHOLIA IN CAP. XXIV.

1 *Primo autem die hebdomadæ.* τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων. Ad μιᾷ subauditur ἡμέρᾳ. Et μία ponitur pro πρώτη per synecdochen Hebraicam, quam declaravimus in scholiis in Matth. 28. 1. Et σαββάτων ponitur pro σαββάτου: ut ibidem ostendimus.

3 *Et ingressa.* καὶ εἰσελθοῦσαι. Scil. in monumentum: quod erat excisum in petra, Matth. 27. 60.

4 *Tum ecce.* καὶ ἰδού. Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum. *Supervenientes adstiterunt eis.* ἐπέστησαν αὐταῖς. quasi dicas, Superstiterunt eis. Sic Act. 4. 1. *In vestibus.* ἐν ἐσθῆσι. Id est, induti vestibus.

5 *Inter mortuos.* μετὰ τῶν νεκρῶν. Vel, apud mortuos. Ad verb. Cum mortuis.

7 *Oportet.* ὅτι δεῖ. Conjunctio ὅτι servit mimesi seu prosopopœiæ.

8 *Illius.* αὐτοῦ. Scil. Domini.

9 *Reliquis.* τοῖς λοιποῖς. Scil. discipulis Domini.

10 *Maria Jacobi* mater. Μαρία Ἰακώβου. Supplendum μήτηρ, ex Marc. 15. 40.

11 *Visa sunt.* ἐφάνησαν. Ad verb. *Apparuerunt:* pro, ἐδόκουν. Translatio à corpore ad animum. Nam φαίνεσθαι, id est, apparere, propriè dicuntur quæ in oculos incurrunt: à nomine φῶς, id est, lumen. Metaphora apud discertiores quoque Græcos usitata. *Visa sunt apud eos.* ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν, Adverb. Apparuerunt coram eis: pro, visa sunt eis. Hebraismus. *Neque crediderunt eis.* καὶ οὐκ ἐπίστευσαν αὐταῖς. Vel, *Et fidem derogarunt eis.* Hac enim periphrasi videtur satis commodè exprimi vis verbi ἀπιστεῖν.

15 *Surgens.* ἀναστὰς. Quum surrexisset, id est, se accinxisset itineri. *Introspiciens.* εἰσκύψας. Ad verb. Quum introspexisset. Sed est enallage temporis, ut apparet ex verbo sequente βλέπει: quo significatur, eum vidisse inter introspiciendum. Procumbendi verbum quo vetus interpres usus est, minùs recedit à verbo Græco: quod significat capite procumbere & prominere. Ideò autem capite

in monumentũ procubuit Petrus, ut introspiceret & cognosceret; an corpus Jesu illinc amotum esset. Est igitur metonimia effecti destinati, id est, Et incurvavit se intrò. Et sic suprà 13. 11. γυνὴ συγκύπτουσα redditur mulier incurva: & ἀνακύψαι, sese incurvare. *Quod factum fuerat.* τὸ γεγονὸς. Id est, quod acciderat de corpore Jesu.

14 *Colloquebantur.* ὡμίλουν. In verbo ὁμιλεῖν est hîc duplex synecdoche: una speciei, quatenus ὁμιλεῖν significat propriè *versari in cœtu seu multitudine hominum*, à nomine ὁμιλος: hîc autem capitur in genere pro eo quod est, *Versari cum alio*: Altera generis, quatenus intelligitur hîc, *Colloqui cum alio.*

15 *Tum ipse.* καὶ αὐτὸς. Copulativa pro relativa temporis, ut suprà v. 4.

16 *Ne ipsum agnoscerent.* τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν. Scil. ἕνεκα. Pro ὥστε μὴ ἐπιγνῶναι ut scil. effectus notetur, quanquam etiam illa significatio finis locum habet.

17 *Confertis.* ἀντιβάλλετε. Verbum ἀντιβάλλειν videtur propriè dici de iis qui quippiam, ut pilam, è regione alter ad alterum projiciunt.

18 *Alter eorum.* ὁ εἷς. *Tu solus commoraris & ignoras.* αὐ μόνος παροικεῖς καὶ οὐκ ἔγνως. Pro, Tu solus ex iis qui Hierosolymæ commorantur ignoras?

20 *Ne morte damnaretur.* εἰς κρίμα θανάτου. Ad verb. Ad judicium mortis. κρίμα pro κατακρίμα, synecdoche generis.

21 *Israëlem.* τὸν Ἰσραὴλ, id est, populum Israëliticum, populum Dei.

25 *Ad credendum.* τοῦ πιστεύειν. Scil. ἕνεκα. Pro, πρὸς τὸ πιστεύειν. *Ad credendum omnibus.* τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν. Pro, τὸ πιστεύειν πᾶσιν, cum dativo scil. rei. Enallage phraseos Hebraica: qualis in illo, Crediderunt in Domino & in Mose: Exo. 14. v. ult. pro, Crediderunt Domino & Mosi. *Omnibus quæ loquuti sunt.* πᾶσιν οἷς ἐλάλουσαν. Pro, πᾶσιν ἐκείνοις ἃ ἐλάλουσαν. Græcismus.

26 *Et ita introire.* καὶ οὐκ ἐλθεῖν. Adverbium *ita* à vetere interprete interjectum, lucem sententiæ affert. Sic enim Paulus Actor. 14. 22. dicebat, *Oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei.* Eadem autem est ratio membrorum

brorum & capitis. Sic nominatim de ipso Christo Philip. 2.v.9. Quapropter etiam Deus eum exstulit &c. quia scilicet antea obedientes ei factus fuit usq; ad mortem crucis.

38 *Quia.* ὅτι. Id est, in quem vicum. *Simulabat se longius ire.* προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι. Subauditur ἑαυτόν, quæ ellipsis apud Græcos usitata & elegans est.

39 *Coëgerunt.* παρεβιάσαντο. Propriè, *Vim attulerunt ei.* Cicero in Lælio: *Vim hoc quidem est afferre, quid enim refers, qua me ratione cogatis? cogunt enim.* *Ad vesperascit.* πρὸς ἐσπέραν ἐστίν. Ad verb. *Ad vesperam est:* id est, dies ad vesperam inclinat, ad solis scilicet occasum; sicut mox per epexegesin annectitur.

30 *Benedixit.* εὐλόγησεν. Id est, gratias egit Deo. *Fracturus.* κλῶν. Seu, postquam fregisset.

31 *Aperti sunt oculi eorum.* διηνοίχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί. Num igitur antea erant clausi? Erant quasi clausi, quantum ad agnitionem præsentis objecti. Itaque eatenus fuerunt aperti oculi eorum, ut Jesum agnoscerent: sicut mox additur. *Aparere desiit* discessus *ab eis.* ἀφαντὸς ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. Vel, disparuit *discessus* ab eis. Præpositio ἀπὸ omnino innuit ellipsin verbi γενόμενος, aut similis: qualis ellipsis Hebraïs non est inusitata. Similis ellipsis est in illo Act. 1. v. 9. νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Nubes suscepit eum & *abstulit* seu *subduxit* (ὑπέλαβεν) ab oculis eorum. Sic Matth. 4. v. 5. παραλαμβάνει αὐτὸν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. Assumit eum & *transfert* (μεταγάγων sive μεταφέρων) in sanctam urbem. Syrus neglecto nomine ἀφαντὸς, ellipsin illam explevit, vertens: נפק מנהון, exiit ab eis. Vetus Ecclesiasticus: *& ipse subtrahit se ab eis*: videlicet subinde & ipsis non animadvertentibus. Non bene redditur, id est, evanuit: sed reddendum, Tolerari tamen potest illa versio, si commode intelligatur, videlicet per metaphoram κατάχρησιν. Nam sicut quæ propriè loquendo evanescunt, ea oculis nostris apparere desinunt: ita etiam apparere nobis desinunt, quæ ab oculis nostris removentur, Et sic Virgilius verbo *evanescendi* usus est 4. Æneid. ubi de Cyllenio id est, Mercurio, ab Æneæ discedente, sic ait:

tali Cyllenius ore loquutus.

Mortalis visus, medio sermone reliquit.

Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

Atque eodem sensu Græci utuntur verbo ἀφανίζειν. Omnino ἀφανίζειν ἐγένετο hîc idem valet, quod ἠφανίσθη apud Plutarchum, ubi ait, ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη: id est, à conspectu hominum evanuit, sive disparuit.

32 *Inter se.* πρὸς ἀλλήλους. Sive, alii ad alios.

31 *In via.* ἐν τῇ ὁδῷ. Scil. ambulante cum eis Domino Emmauntem versus. *In fractione panis.* ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Id est, ἐν τῷ κλᾶν τὸν ἄρτον: interim dum frangeret panem. quasi præpositio ἐν notet causam procreantem istius agnitionis, sive argumentum ex quo Dominum agnoverint. Et sanè phrasi Hebraicâ id significari hoc loco potest: quâ phrasin Græci interpretes retinuerunt Gen. 42.v.33. ubi filii Jacobi narrant patri quibus verbis dominus Ægypti (is autem erat Josephus frater ipsorum, quem adhuc non agnoverant) ipsos allocutus sit, inter alia dicens: *Hac re cognoscam vos esse probos* &c. ubi in Hebræo habetur, בזאת bezóth edáh: quod Græci ad verbum reddiderunt, ἐν τούτῳ γνώσομαι, in hoc seu in hac re cognoscam, &c. Sed Græci disertiores hîc utuntur præpositione ἐκ: ut apud Xenophontem Pæd. 8. ait Cyrus, ἐμοὶ μὲν τοῦ βίου τὸ τέλος ἤδη παρέστιν· ἐκ πολλῶν τοῦ σαφῶς γινώσκω: id est, Mihi quidem vitæ finis jam adest: ex multis rebus perspicuè istud cognosco.

37 *Putabant se conspicere.* ἐδόκουν θεωρεῖν. Scil. ἑαυτοὺς. Ellipsis Græca. *Spiritum.* πνεῦμα. Id est, spectrum, φαντασμα: ut vocat Matth. cap 14 v.26. Synecdoche generis, & metonymia subjecti vel efficientis. Intelligitur enim fallax & inanis species à spiritu aliquo malo assumpta vel effecta.

38 *Subeunt corda vestra.* ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Ad verb. *Ascendit in cordibus vestris:* pro, εἰς vel ἐπὶ τὰς καρδίας id est, in corda: ut 1. Cor. 2. v. 9. Hebraismus. *Habere.* ἔχοντα. Ad verb. *habentem.* Græcismus.

44 *Hi sunt sermones.* οὗτοι οἱ λόγοι. Id est, hæ sunt illæ res de quibus loquutus fui. Metonymia adjuncti. *Quum adhuc essem vobiscum.* ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν. Ergóne tum non erat cum eis,

quum

quum hæc eis loqueretur? Utiq; erat: sed non ita ut antè, ut scilicet palàm cum eis versaretur, utq; videretur diutiùs mansurus. nam post quadraginta dies in cęlum ascensurus erat: per quod tempus clàm cum eis versatus fuit, & per intervalla, instituens eos de regno Dei: Johan. 20. & 21. Act. 1.

45 *Ut intelligerent.* ἐν συνίεναι. Scilicet ἕνεκα. pro ὥστε συνίεναι,

47 *Apud omnes gentes.* εἰς πάντα τὰ ἔθνη. Pro, ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, id est, inter omnes gentes. In *ejus nomine.* ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Id est, ex ejus mandato, nam videntur hæc omnino regi à verbo κηρυχθῆναι.

49 *Misto.* ἀποστέλλω. Id est, brevi mittam, seu non multis post diebus, Act. 1. v. 5. *Promissum patris.* τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς. Id est, Spiritum sanctum: quem promisi Patrem vobis missurum in nomine meo, Joh. 14. v. 16. 17. 26. Sic Act. 1. 14. *Super vos.* ἐφ' ὑμᾶς. Nam Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum consèdit super unumquemque ipsorum, Actor. 2. v. 3. *Manete.* καθίσατε. Ad verb. Considite. Metonymia effecti destinati. *Induamini robore.* ἐνδύσασθε δύναμιν. Robore scil. animi, id est, animi magnitudine ad prædicandum Evangelium coram regibus & populis. Hujus roboris clarissimum exemplum proponitur in Petro Actor. 2. & 3. & 4. In tali sensu utitur Paulus verbo ἐνδυναμοῦν Philip. 4. v. 13. ubi ait, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με χριστῷ. Omnia valeo per Christum qui me corroborat. *Ex alto.* ἐξ ὕψους. Id est, à Spiritu sancto qui mittetur super vos ex alto, videlicet è summo cælo.

50 *Benedixit eis.* εὐλόγησεν αὐτοὺς. Id est, valedixit eis, cōmendans eos gratiæ Dei, seu exoptans eis gratiam Dei.

51 *Discessit ab eis.* διέστη ἀπ' αὐτῶν. Ad verb. Distitit ab eis. *Sursum ferebatur.* ἀνεφέρετο. Quasi dicat, ἀνεφέρετο. Sic Marc. 16. 19. ἀνελήφθη, sursum receptus est.

52 *Ipsi autem.* καὶ αὐτοὶ. Pro, αὐτοὶ δὲ.

53 *Semper.* διαπαντὸς. Id est, διὰ παντὸς χρόνου, per omne tempus. *Laudantes.* αἰνοῦντες. Scilicet τὸν Θεὸν. Deum. ὑπόζευγμα. *Et benedicentes Deum.* καὶ εὐλογοῦντες τὸν Θεὸν. Id est, laudantes, ut modò dixit. Phrasis Hebraica: quæ tamen in hac significatione fere adsciscit dativum.

OBSERVATIONES EX CAP. XXIIII.

Quid discendum sit ex historia resurrectionis Dominicæ in Observationibus ex Matth. ultimo. Præter illa autem ex hoc capite discenda sunt hæc.

mist. 1. Ex v. 14. & seq. Si cupimus ut Christus se nobis adjungat & versetur in medio nostri, (id quod jamquidem non corpore, sed spiritu fieri solet) colloquamur de rebus ad regnum Dei pertinentibus: exemplo duorum illorum discipulorum.

Hist. 2. Ex v. 25. & seq. Jesum illum crucifixum esse Christum, probatur ex eo quod in ipso oracula Prophetarum de Christo impleta fuerunt.

Hist. 3. Ex v. 28. Non omnis simulatio peccatum est: quia & Christus hic aliquid simulavit.

mist. 4. Ex v. 29. Christus rogandus est ut nobiscum maneat, nempe spiritu suo: nam corpore nunc non vult.

indic. 5. Ex v. 31. Abutuntur hoc loco qui inde conantur probare, corpus Christi redditum esse invisibile. neque enim Evangelista dicit, Dominum factum ἀόρατον, id est invisibilem: sed ἄφαντον, id est, non apparentem. Vide Scholia.

Hist. 6. Ex v. 32. Dum Electis explicantur Scripturæ de Christo atque ita de æterna ipsorum salute per illum, accenduntur corda ipsorum per Spiritum sanctum desiderio proficiendi in cognitione mysterii illius. Quare qui tale desiderium ex Scripturarum explicatione, atque meditatione experiuntur, inde colligant se in numero Electorum esse.

mist. 7. Ex v. 33. & seq. Si quid in cognitione mysterii Evangelii profecimus, cupide id cum fratribus communicare debemus.

Hist. 8. Ex v. 37. & seq. De præsentia corporis Christi (nempe substantiali) judicandum est sensu videndi & tangendi. hanc enim judicandi rationem Dominus ipse hic tradit: dum veritatem corporis sui præsentis à judicio sensuum illorum confirmat.

9 Ex v. 44. Libri Mosis, Prophetarum & Psalmorum authentici sunt, continentes scil. regulam fidei nostræ: quia ipsius Christi ore sunt approbati. διδ.

10 Ex v. 47. Duo sunt principalia doctrinæ Christianæ capita: videlicet doctrina de pœnitentia, ex Lege; & doctrina de remissione peccatorum, ex Evangelio. διδ.

11 Ex v. 51. Christus, suo corpore verè ex mundo hoc discessit atque in cælum introivit. διδ.

12 Ex v. 52. Christus, ut Deus, adorandus est. διδ.

13 Ex v. ult. Exemplo Apostolorũ frequentes convenire in sacris cœtibus, Deumq; pro beneficiis suis communi ore laudare debemus. παιδ.

FINIS.

[illegible] esse se[illegible]. B[illegible] est caussæ, cur mihi in [illegible]tatis non sit compit[illegible] hominem florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis? collegam meum præsertim & in ipsa collegij laude, & scientia studiosum mei? Hæc ego pluribus scripsi, * quòd mihi significabant tuæ literæ [illegible]dubitare te, qua essem erga illum voluntate [illegible]edo te audisse aliquid: falsum est, mihi crede, si [illegible]id audisti. Genus institutorum, & rationem mearum dissimiliudinem nonnullam habet cum illius administratione prouinciæ. Ex eo quidam suspicati fortasse sunt animorum contentione, non opinionum dissensione me ab eo discrepare. Nihil autem feci vnquam, neque dixi, quod cõtra illius existimationem esse vellem. Post hoc negotium autem & temeritatem nostri Dolobellæ, deprecatorem [illegible]

quod non [illegible]ihil sign. [illegible]iluit quã[illegible]am obie-

[illegible]olũtatũ. [illegible]espondet [illegible]alia quæ [illegible] epistolæ [illegible]elij.

[illegible] commendat Cælio, [illegible] nùs digna patrocinio

M. T. C. IMP. M.
LI CVRVLI

MArco Fabio viro optimo familiarissimè vtor, mirif[illegible] propter summum ingenium ei[illegible] nam, tum propter singularem m[illegible] um sic velim suscipias, vt si esse[illegible] magnos patronos: hominem occ[illegible] opera vti velit: sed in hoc homi[illegible] sationem. Omnia relinques, si m[illegible] Fabius vti volet. Ego res Rom[illegible] cto, & desidero, in primisq; qui[illegible]

ANALYSIS LOGICA
EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Syn. 8. 59. 57

UNA CUM SCHOLIIS ET OBservationibus locorum doctrinæ.

Authore

M. JOHANNE PISCATORE, sacrarum literarum in illustri schola Nassovica-Sigenensi Professore.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1596.

thesauro bono proferuntur bona, ex malo mala: sicut ex corde bono proferuntur opera bona, ex malo mala. Quæ sententia confirmatur proverbio, *Ex abundantia cordis loquitur os.* Tertium præceptum confirmatur ab effectis per antithesin: nempe ab effectu utili, si quis illi paruerit: & contrà ab effectu inutili seu noxio, si quis non paruerit. Quod argumentum utrumque unâ cum ipso præcepto proponitur sub similitudine ædificantis domum vel super petram, vel super arenam: quarum domorum illa, firma persistit contra vim ventorum & fluminum: ista verò, vi ventorum ac fluminum corruit. Ita qui observat sermones Christi, firmus persistit contra tentationes: qui non observat, deficit ac perit.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *Sabbatho altero-primo.* ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. Id est, die ultimo festi Azymorum, qui pari cum primo solennitate celebrandus erat, ac proinde illi velut è regione respondebat: ut pluribus declarat D. Beza. Nisi potiori habenda sententia Gerardi Mercatoris, qui in sua Harmonia quatuor Evangelistarum in hunc locum annotat. Ex frumenti è spicis esu conspicuum esse, festum hoc esse festum quinquagesimæ (id est, Pentecostes) sive primitiarum: quippe quod messi triticeæ conjunctum erat, Exod. 34 v. 22. Censet igitur, Christum secundùm legem Exod. 23. 17. & 34. 24. festo huic interfuisse, sed primis tantùm diebus: mediâ autem festivitatis hebdomade revertisse Capernaümum: ita ut in hoc itinere octavo die qui sabbathum propriè erat, & primo diei dignitate æqualis, in pago aut civitate aliqua sabbathum agens per fata ierit.

2 *Cur facitis.* τί ποιεῖτε. Ponitur τί pro διατί.

3 *Ne hoc quidem legistis?* οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε; Interrogatio vim habet reprehendendi, idque ἀλληγορικῶς. quasi dicat Dominus: Si non legistis, pudeat vos vel ignaviæ: si verò legistis; pudeat vos vel socordiæ, quòd non intellexistis; vel malitiæ, quòd intellectum dissimulatis, & de factis similibus dissimile judicium fertis.

4 *Di-*

4 *Domum Dei.* εἰς τὸν οἶκον τ̃ Θεοῦ. Vide scholia in Mat. 12. 4.

5 *Filius hominis dominus est* &c. ὅτι κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τ̃ ἀνθρώπου &c. Conjunctio ὅτι servit mimesi. De sensu autem horum verborum dixi in scholiis ad Matth. 12. 8.

7 *Accusationem adversus eum.* κατηγορίαν αὐτ. Ad verb. *Accusationem ejus.* Genitivus subjecti patientis: Ejus, id est, qua is accusaretur.

8 *Novat.* ᾔδει. Vel, animadvertebat. *Ille verò.* ὁ δ. Pro, αὐτὸς δὲ. Hellenismus. Sic v. 10.

9 *Animâ.* ψυχὴν. Id est, homine. Vide scholia in Mar. 3 4.

11 *Quidnam facerent Jesu.* τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ. Id est, quo pacto ipsum è medio tollerent. Synecdoche generis.

12 *Pernoctavit in precatione.* διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ. Id est, totam noctem consumpsit in precibus. *In precatione ad Deum.* ἐν τῇ προσευχῇ τ̃ Θεοῦ. Id est, πρὸς Θεὸν. Genitivus objecti. Potest reddi ad verbum *In invocatione Dei*: quâ scil. Deus ab ipso invocabatur. Sed *invocationis* vocabulum apud Latinos (quod sciam) usitatum non est: licet verbum *Invoco* hoc sensu reperiatur: ut Cic. lib. 2. de nat. deorum. *Junonem Lucinam in pariundo invocant.*

17 *Quumq; descendisset.* καὶ καταβὰς. Adhuc κρίμα τ̃ διανοίας, pendet sententia: cohærent enim hæc verba cum verbis versus 13. καὶ ἐκλεξάμενος &c. Et quum elegisset &c. Apodosis autem periodi, absolutioque sententiæ inchoatæ, nempe enuntiati relativi temporis, sequitur ibi, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ: stetit (sive constitit, sive substitit) in loco campestri. *Turbáque.* καὶ ὄχλος. Scil. ἔστη, substitit. Et mox, *Et multitudo magna.* καὶ πλῆθος πολὺ, scilicet ἔστη, substitit πρὸς δημ. *Maritimâ regione.* τ̃ παραλίου. Scilicet χώρας.

18 *Et sanabantur.* καὶ ἐθεραπεύοντο. Ad verb. Curabantur. Pro, ἰῶντο. Catachresis.

19 *Studebat.* ἐζήτει. Ad verb Quærebat. id est, conabatur. *Vis* quædam. δύναμις. Vide scholia in Marcum. cap. 5. v. 30. *Et sanabat.* καὶ ἰᾶτο. Scilicet vis illa quæ à Domino prodibat.

20. *Sublatis oculis.* ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς. Quum sustulisset oculos. *Vos pauperes.* οἱ πτωχοὶ. Pro, τοὺς πτωχούς. Alloquitur autem discipulos.

22 *Separaverint vos.* ἀφορίσωσιν ὑμᾶς. Id est, Secluserint atque ejecerint è suis synagogis, quod usitatè jam dicimus Excommunicare. *Ut nequam.* ὡς πονηρόν. Sive sceleratum. Sicut hodie veri Christiani traducuntur tanquam sceleſti Zwingliani, Calviniani, denique hæretici peſſimi. *Propter Filium hominis.* ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Id est, propter me: propterea quòd creditis in me, meamq; doctrinam profitemini.

23 *Salite.* σκιρτήσατε. Scilicet ex gaudio. Sic suprà 1.41. ἐσκίρτησεν, subſiluit infans in utero Eliſabetæ.

24 *Perceptum habetis.* ἀπέχετε. Vel uno verbo, *Retuliſtis:* ut ex conſequente intelligatur antecedens. Retuliſtis ſcilicet à diſtributione præmiorum, ac proinde jam habetis. Verbum ἀπέχει utrumque notat: & τὸ ἀπεληφέναι, id est, ab aliquo accepiſſe, & τὸ ἔχειν, id est, habere.

25 *Qui impletis estis.* οἱ ἐμπεπλησμένοι. Nominativus loco vocativi, Atticè.

32 *Eos qui vos diligunt.* τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς. Scil. μόνον, ſolùm. Quod adverbium additur in ſimili ſententia Matth. 5.47. Neque enim certè prohibet Dominus ne diligamus amicos: ſed præcipit, ut præter amicos diligamus quoq; inimicos: ut ita ethnicis ſeu à fide Chriſtiana alienis antecellamus. Sic deinceps. *Quæ vobis est gratia?* ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; Quaſi dicat, Nulla. Gratiæ autem vocabulo intelligit primùm gratiam ſeu benevolentiam Dei, per ſynecdochen generis: deinde præmium ex gratia Dei profectũ, per metonymiam efficientis. Idem ſuprà v.23. per metaphoram appellavit *mercedem.* Et iterum ſic appellabit v.35. Atque adeò pro his ipſis verbis apud Matthæum leguntur iſta, τίνα μισθὸν ἔχετε; Quam mercedem habetis? cap.5.v.46 *Nam & peccatores.* καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοί. Id est, homines profani & palàm impii: quales tunc habebantur publicani: qui quidem in ſimili ſententia apud Matthæum nominantur, cap.5.v.47. Niſi quis mâlit nomine τῶν ἁμαρτωλῶν hîc intelligere Gentes ſive ethnicos: ſecundùm illud Pauli Gal.2, 15. *Nos naturâ Judei, & non ex Gentibus peccatores,* οἱ ἁμαρτωλοί. Cui conſonat illud Domini Matth.26.45. *Filius hominis traditur in manus peccatorum,* ἁμαρτωλῶν, id eſt Gentium: ut

percipitur

percipitur ex collatione Matth. 20. 9. *Tradent eum Gentibus*, τοῖς ἔθνεσι.

34 Vos *recepturos*. λαβεῖν. Pro, λαβόντας. scil. ὑμᾶς. Enallage temporis & ellipsis Græca. *Recepturos* autem, scil. τὰ ἴσα, paria: ut mox declaratur in fine versus. *Ut recipiant paria*. ἵνα λάβωσι τὰ ἴσα. Id est, hac lege, hoc pacto seu cum hac conditione, ac proinde etiam cum hac spe, ut recipiant ab iis paria, quibus mutuum dederunt. Sed nomine τῶν ἴσων, id est, parium sive æqualium, quid hîc intelligendum? Ipsâne sors, ut scilicet reddatur tantundem quantum fuit mutuo datum: an verò fœrius sorti par seu æquale, proportione scil. Geometricâ: id est, pro sortis magnitudine aut parvitate magnum aut parvum? Priorem expositionem veram ac genuinam esse, ostendam Deo juvante in scholio sequente.

35 *Nihil inde sperantes*. μηδὲν ἀπελπίζοντες. Hoc vulgo sic accipiunt: tanquam dicatur, *Nihil*, id est nullum fœnus seu nullam usuram, *inde*, id est è sorte mutuo-data. Sed exponendum: *Nihil*, id est nullam partem sortis. ut significetur, non solùm iis mutuo dandum esse de quibus sperari possit reddituros: sed etiam iis quos reddituros sperari non possit, nempe propter inopiam atque egestatem. Hanc expositionem postulat primùm collatio cæterarum duarum hujus loci præceptionum, nempe: *Diligite inimicos vestros, & benefacite*, scil. inimicis. Quarum præceptionum sententia (ut ex collatione præcedentium percipitur) hæc est; Diligite non solùm amicos, sed etiam inimicos: & benefacite non solùm amicis, sed etiam inimicis. Ergo simili ratione exponendum hoc tertium præceptionis membrum, duobus illis continenter annexum, nempe, *Et mutuum date, nihil inde sperantes*: h. e. Mutuum date non tum solùm quum potestis sperare vos recepturos: sed etiã quum id sperare non potestis. Deinde hanc expositionem postulat verbum ἐλπίζειν, sperare. nam si de usura seu fœnore sermo esset: alio verbo utendum fuisset quo pactio significaretur. Atq; ex hac expositione intelligetur, nomen ἴσων, id est paria sive æqualia, versu superiore, non de fœnore seu usura, sed de ipsa sorte intelligendũ esse. Etenim

qui accepit mutuum, jure tenetur reddere non eandem speciem, sed eandem quantitatem. Est autem tacita amplificatio à majori in vocaculo NIHIL. quasi dicat, Date mutuum illis quoq; à quibus non licet sperare vos recepturos vel minimam mutui partem, nedum totum. *Et erit.* καὶ ἔσται. Id est, Tum erit, si scil. ista feceritis. Conjunctio copulativa, pro relativâ temporis *Merces vestra.* ὁ μισθὸς ὑμῶν. Ecce hic mercedem nominat, quam superioribus tribus versibus χάριν, id est, gratiam nominavit. *Ac eritis.* καὶ ἔσεσθε. Id est, cognoscemini esse, nempe per argumentationem ex propriis effectis. Metonymia subjecti: qualis Joh. 15. 8. *Altissimi.* τοῦ ὑψίστου, id est, Dei. Epitheton argumentosum. nam majestas patris in ipsos filios aliquo modo redundat. Certè enim honorificum est, magnæ personæ filium esse.

37 *Ne judicate & non judicabimini.* μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. Conjunctio copulativa in hac sententia & tribus sequentibus valet conjunctionem relativam consequentiæ unâ cum conjunctione causali, videlicet τότε γάρ, *tunc enim.* vel οὕτω γάρ, *sic enim*: quarum vi repetitur præcedens membrum per conjunctionem connexivam, ad hunc modum: *Ne judicate: nam tunc*, vel *sic enim* (si scil. non judicaveritis) *non judicabimini.*

38 *Dabunt.* δώσουσιν. Impersonaliter seu indefinitè dictum: pro, dabitur, δοθήσεται: quo verbo modò fuit usus. *In sinum vestrum.* εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. Phrasis Hebræa, accommodata mori gentis. nam gentes orientales (inter quas & Judæi) vestes laxas ac sinuosas gerebant: ut commodum illis esset sinu excipere quæ in copia dabantur. Exempla hujus phrasis vide Psal. 89. 12. *Redde vicinis nostris septuplo in sinum ipsorum.* Esa. 55. 6. *Non tacebo, nisi rependero: atque rependero in sinum istorum.* Jer. 32. 18. *Exercs benignitatem in millesimos, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum ipsorum post ipsos.* Contrametientur. ἀντιμετρηθήσεται. Impersonaliter. Vulgata, *Remittetur*, passivè acceptâ voce.

39 *Ducere.* ὁδηγεῖν. Græcum expressius, nempe in via seu per viam ducere.

41 *In oculo tuo.* ἐν τῷ ὀφθαλμῷ. Ad verb. In oculo proprio.

prio. Helleniſmus. Sic v. 44 ἐκ τῦ ἰδίου καρπου, ex fructu ſuo.

46 *Quid. ni.* Id eſt, Cur. *Et non facitis. καὶ ὐ ποιεῖτε.* Id eſt, Quum tamen non faciatis.

OBSERVATIONES EX CAP. VI.

Quid obſervandum ſit ex hiſtoria de diſcipulis vellentibus ſpicas in ſabbatho, vide in Obſervationib. ex Matth. 12. à principio.

Ex v. 6. & ſeq. Vide Obſervationes ex Matth. 12. v. 10. & deinceps.

Ex v. 12. & 13. Paſtores Eccleſiæ cum magna religione & adhibitis ardentib. precibus ſunt eligendi. Hoc modò electi quoque ſunt Barnabas & Saulus ad prædicandum Evangelium in Græcia, Act. 13. in principio. *παιδ.*

Ex v. 20. & ſeq. Qui in hac vita propter confeſſionem Chriſti perſecutionem patiuntur ac patienter & conſtanter ferunt, præmia in cælo maxima accepturi ſunt. Qui verò Chriſto negato aut neglecto, bonis terrenis fruuntur & ſecuritati carnis indulgent, ad æternos cruciatus damnabuntur. Quare perſecutionem propter Chriſtum conſtanter feramus, & à ſecuritate carnali nobis caveamus. *διδ.* *παιδ.*

Ex v. 27. & ſeq. Quum natura noſtra à tali dilectione proximi, qualem hoc loco Chriſtus à nobis requirit, planè abhorreat: oremus Deum ut ipſe per Spiritum ſuum illam cordibus noſtris infundat. Et ad hoc moveamur quoque conſideratione immenſæ illius dilectionis Dei erga nos, qua nos prorſus indignos, atque adeò inimicos ſuos, ex mera miſericordia gratis dilexit & in æternum diliget in Chriſto. *παιδ.*

Ex v. 37. Proximi facta ambigua non ſunt in deteriorem partem interpretanda, nec apud alios calumniosè traducenda: ſed in illius, quum opus eſt, fraternè admoniti ac reprehenſi probabili excuſatione acquieſcendū. At ſcandalorum manifeſtorum ſeu factorum citra dubitationem impiorum alia ratio eſt: in quibus quomodo ſit procedendum, docetur Matth. 18. v. 15. 16. & 17. *ἐτ.* *παιδ.*

Ex v. 38. Proximo egenti liberaliter de bonis noſtris *παιδ.*

communicare debemus: si liberalitatem Dei erga nos experiri cupimus.

διδ. Ex eodem versu, ex verbis, *Eâdem enim mensurâ* &c. Justo Dei judicio fit ut quales nos erga proximum præbuerimus, sive beneficos scilicet sive injustos: tales se præbeant παιδ. erga nos alii. Quare si beneficentiam proximorum experiri, & ab injuriis liberi esse cupimus, nos ipsos quoque beneficos erga proximum præbeamus, & ab omni injuria abstineamus.

παιδ. Ex v. 39. Ne in foveam exitii æterni cadamus: studiosè nos oportet nobis cavere à cæcis, id est, à falsis doctoribus & consultoribus malis.

παιδ. Ex v. 40. Discipulus præceptorem suum perpetuò honorare debet: nec committere ut authoritate illius unquam deroget.

ἐπι. Ex v. 41. & 42. Cavendum ne in proximi peccatis judicandis & reprehendendis nimis severi ac rigidi simus: sed ψυχ. potiùs unusquisque in seipsum descendere, & affectus vitamq; suam rigidè ac severè examinare debet: ut sibi displiceat & gratiam sese emendandi à Deo seriò exoptet.

παιδ. Ex v. 43. & seq. Si boni ac pii haberi volumus: pietatem & virtutẽ ipsis factis demõstrare nos oportet, inprimis autem cõstanti confessione veritatis cęlestis à Christo traditæ, ita ut nullâ tentatione ab illa nos dimoveri patiamur.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Jesus sanat servum centurionis: excitat à morte filium viduæ: respõsum dat nuntiis missis à Johanne Baptista: dat illi testimonium apud turbam: conqueritur de perversitate Pharisæorum & Legis interpretum: remittit peccata mulieri peccatrici.

PRIMA PARS.

Sanat servum centurionis.

QUum autem finivisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaumum.

z *Centurionis*

2 *Centurionis verò cujusdam servus malè affectus moribundus erat: qui erat ipsi pretiosus.*

3 *Is verò quum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret & servaret servum suum.*

4 *Isti autem quum venissent ad Iesum, precati sunt eum studiosè, dicentes: Dignus est cui hoc præbeas.*

5 *Diligit enim gentem nostram, & synagogam ædificavit nobis.*

6 *Jesus ergo ibat cum eis. Et quum jam non longè abesset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens ei, Domine, ne vexator: neque enim sum dignus ut tectum meum subeas:*

7 *Ideo ne meipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.*

8 *Etenim ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, ac vadit: & alteri, Veni, ac venit: & servo meo, Fac hoc, ac facit.*

9 *Auditu autem his Jesus, admiratus est eum: & conversus dixit turbæ quæ ipsum sequebatur; Dico vobis, ne in Israële quidem tantam fidem inveni.*

10 *Et domum reversi qui missi fuerant, sanum invenerunt servum qui ægrotus fuerat.*

Primò indicatur tempus quo hoc miraculum factum est, 2. locus ubi factum est, 3. objectum circa quod factum est, 4. causa impulsiva quæ Dominum ad hoc miraculum faciendum movit, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. causa corrumpens præparationis, 7. alia causa impulsiva, 8. modus agendi, 9. testificatio de altera illa causa impulsiva, 10. miraculum ipsum. Tempus indicatur his verbis, *Quum autem finivisset omnia verba sua audiente populo*: quibus verbis significatur, miraculum hoc editum esse mox post concionem illam quam Dominus habuit ad turbam in loco campestri, quæ habetur capite præcedente. Quo ipso notatur miraculi finis seu scopus, nempe doctrinæ à Domino recens propositæ confirmatio. Locus significatur his verbis, *Ingressus est Capernaum*.

Objectum describitur v. 2. videlicet ipse sanandus. Is fuit servus centurionis: cujus morbus amplificatur à vehementia, quòd ita fuerit malè affectus ut esset moribun-

dus: quo ipso amplificatur miraculum sanationis. Item ipse laudatur ab adjuncto adhærente, videlicet æstimatione domini sui: cui erat pretiosus. Quo ipso amplificatur beneficium Jesu per istius sanationem in dominum ipsius collatum. Causa quæ Dominum ad illum sanandum impulit, fuit petitio centurionis per internuntios, v. 3. & ipsorum internuntiorum, v. 4. & 5. Petitio internuntiorum amplificatur ab adjuncto studio: quod illorum studium declaratur ipsorum verbis, quibus centurionem commendarunt. Argumenta laudis afferunt duo: unum, quòd diligat gentem ipsorum: alterum, quòd ædificarit ipsis synagogam. quo utroque significant, esse hominem pium & rectè sentire de religione.

Præparatio fuit, quòd Jesus cum internuntiis illis ivit, nempe aditurus ægrotum in domo centurionis, v. 6. Causa corrumpens qua impeditus fuit, ne in domum centurionis penetraret, fuit intercessio centurionis per internuntios: qua deprecatus est ne introiret in domum suam. Argumenta deprecationis affert tria. 1. Ne ipse Dominus vexetur seu molestiâ afficiatur. 2. Quia ipse non sit dignus illo honore. 3. Quia rem possit effectum dare faciliùs, nempe solo verbo seu mandato. Primum argumentum continetur ipso verbo deprecationis: ubi ait, *Ne vexator*. Secundum argumentum confirmat à facto: quia non ipse venerit ad eum, sed pro se miserit amicos: reputando nimirum se esse hominem gentilem; illos verò Judæos, ex gente scilicet sancta. Tertium argumentum confirmat à suo ipsius exemplo per ratiocinationem à minori. Mea mandata solent esse efficacia apud subjectos & servos meos: Ergo multò magis tuum mandatum erit efficax apud creaturam tuam. Ratio à minori duplex: 1. quia ego sum homo: tu autẽ plus quàm homo, nempe Deus. 2. quia ego constitutus sum sub potestate: tu autem sub nullius es potestate, sed omnia potestati tuæ subjecta sunt. Istæ enim antitheses omnino videntur subintelligendæ: quum alioquin frigerent ista verba, *Ego sum homo, sub potestate constitutus*. Est autem hæc argumentatio exornata prosopopœiâ: & illustrata distributione quadam.

Cæterùm

Cæterùm hic simul continetur alia causa impulsiva, nempe nova petitio centurionis ex insigni fide profecta. Item modus agendi, nempe per verbum, v. 7. Testificatio de altera illa causa impulsiva, videlicet fide centurionis, continetur v. 9. amplificata collatione imparium: qua fidem illius centurionis præfert fidei omnium Israelitarum cum quibus adhuc ipsi res fuerit. Miraculum ipsum narratur v. 10.

PARS SECUNDA.

Excitat à morte filium viduæ.

11 *Et factum est* die *sequenti, proficiscebatur in civitatem quæ vocatur Naïn: & proficiscebantur cum eo discipuli ejus mediocriter multi, turbaq; multa.*

12 *Ut autem appropinquavit portæ civitatis; tum ecce, defunctus efferebatur, qui unigenitus fuerat matri suæ, & ipsa* quidem *vidua: turbaq; civitatis bene multa erat cum ea.*

13 *Et Dominus eam intuitus, misericordiâ commotus est super eâ, & dixit ei, Ne fleto.*

14 *Et accessit ac tetigit loculum: (ii verò qui portabant, substiterunt) & dixit, Adolescens, tibi dico, surge.*

15 *Tunc resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: & ille dedit eum matri suæ.*

16 *Cœpit autem omnes timor: & glorificabant Deum, dicentes, Propheta magnus surrexit inter nos: & Respexit Deus populum suum.*

17 *Pervenitq; iste de eo sermo in totam Judæam, & in totam* regionem *circumjacentem.*

Primò indicatur tempus quo Dominus hoc miraculum fecit, 2. locus ubi fecit, 3. testes coram quibus fecit, 4. iterum locus, sed priore specialior, 5 occasio, 6. objectum, 7. alii testes, 8. causæ impulsivæ 9. præparatio seu effecta destinata, 10. modus agendi, 11. miraculum ipsum, 12. eventa. Tempus indicatur his verbis, *Et factum est die sequenti*, scilicet posteaquam sanasset moribundum illum servum centurionis, ex collatione præcedentium. Locus fuit civitas Naïn. Testes fuerunt discipuli Jesu & turba:

qui utrique amplificantur ab adjuncta quantitate. Locus ſpecialior, fuit locus ante portam civitatis. Occaſionem Domino ad hoc miraculum edendum præbuit conſpectus funeris quod videbat efferri. Objectum, nempe ipſe defunctus, deſcribitur ex adjunctis duobus: quòd fuerit unigenitus matri ſuæ, & quòd habuerit matrem viduam. Quorum adjunctorum commemoratio pertinet ad commendandum beneficium per illius adoleſcentis excitationem in matrem ejus collatum: quippe cui duplici nomine chariſſimus fuit: tum quòd eſſet ei unigenitus, tum quòd eſſet ſolatium & quaſi baculus viduitatis ipſius.

Alii teſtes fuerũt turba civitatis qui deducebat funus.

Cauſæ impulſivæ indicantur duæ v. 13: una procatarctica, altera σπλαγχνισθὶς. Procatarctica fuit, miſeria matris defuncti ac fletus: qui fletus ſignificatur his verbis, *Dominus eam intuitus*, ſcil. flentem: ut percipitur ex eo quod mox ait, *Ne fleto*. σπλαγχνισθὶς, fuit miſericordia Domini: qui miſericordiâ commotus eſt ſuper ea, & quidem intimâ: ut emphaſis verbi ἐσπλαγχνισθὶ docet. Præparatio ad miraculum, ſeu effecta deſtinata, narrantur tria. 1. quòd monuit matrem defuncti, ne fleret: hoc enim ipſo obliquè promiſit, ſe filium ejus excitaturum: atque ita illam in ſpem miraculi erexit, ſimulq; reliquos qui aderant. 2 quòd acceſſit ad loculum. 3. quòd tetigit loculum. Hæ enim ambæ actiones deſtinatæ erant mox futuræ excitationi. Porrò tertia illa actio amplificatur ab eventu: nempe quòd illi qui funus portabant, mox ſubſtiterint: animadverſo nimirum propoſito Domini, quòd vellet aliquid agere circa defunctum illum. Modus agendi quo illum excitavit, fuit mandatum: *Adoleſcens, tibi dico, Surge.* Miraculum ipſum narratur v. 15. Eventa narrantur tria. 1. timor teſtium qui miraculum ſpectaverant. 2 glorificatio Dei, id eſt gratiarum actio pro tanto Propheta & tam benefico. 3. fama de Jeſu longè lateq; ſparſa.

PARS TERTIA.

Reſponſum dat nuntiis miſſis à Johanne Baptiſta.

18 *Et annuntiarunt Johanni diſcipuli ipſius de his omnibus: quò*

qui advocatos duos quosdam è discipulis suis,

19 *Misit ad Jesum, dicens; Tu ne is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?*

20 *Quum igitur venissent ad eum viri illi, dixerunt; Johannes Baptista misit nos ad te, dicens; Tu ne is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?*

21 *Eâdem autem horâ multos sanavit à morbis & flagellis & spiritibus malis: & cæcis multis visum donavit.*

22 *Et respondens Jesus dixit eis, Profecti annuntiate Johanni quæ vidistis & audistis: cæcos videre, claudos ambulare, leprosos purgari, surdos audire, mortuos excitari, pauperibus evangelizari.*

23 *Beatus autem est qui non fuerit offensus in me.*

Primùm indicatur occasio nuntios illos mittendi, 2 numerus nuntiorum, 3. species, 4 instructio seu mandatum mittentis, 5. mandati exsequutio seu ipsa nuntii relatio, 6. exsequutionis illius adjunctum adhærens, quod idem fuit præparatio ad responsum, seu effectum divinitus destinatum ad illud responsum, 7. responsum ipsum.

Occasionem Johanni ad nuntios illos ad Jesum mittendos præbuit, annuntiatio discipulorum ipsius de miraculis Jesu. Misit igitur duos ex ipsis ad Jesum: quia sperabat Jesum illis demonstraturum ex Prophetis, miracula quæ ipse faceret, à Prophetis tanquam propria attribui Christo: ut ita illi Jesum pro Christo reciperent, aut certè in fide illius confirmarentur. Numero misit duos, haud dubiè respiciens ad illud verbum Legis: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Specie, illi nuntii fuerunt discipuli Johannis. Instructio seu mandatum fuit, ut proponerent illi quæstionem, An ipse sit Christus, v. 19. Mandati exsequutio narratur v. 20. Adjunctum exsequutioni illi adhærens, eademq; præparatio ad responsum Domini, narratur v. 21. videlicet quòd eâdem horâ multos miraculosè sanabat: hoc enim ipsum in responso suo mandavit Dominus Johanni annuntiari. Responsum autem ipsum non est directum, sed obliquum. Neque enim ad quæstionem propositam vel affirmando vel negando respondet: sed affirmativæ responsionis argumentū suppeditat: quod vult eis à præceptore Johanne declarari: sive quòd con-

fideraret, nondū adeſſet tempus quo ſe apertè affirmaret eſſe Chriſtum: ſive quòd exiſtimaret, illos facilius creditu-ros, ſi informarentur à ſuo præceptore. Argumentum autem illud reſponſionis affirmativæ ſumptum eſt à pro-priis effectis: & concluditur hoc ſyllogiſmo:

Is qui fuit effecturus ut cæci viderent, claudi ambularent, leproſi purgarentur, ſurdi audirent, mortui excita-rentur: quiq; pauperibus fuit evangelizaturus: is in-quam eſt Chriſtus.

At ego ſum is quippe qui iſta omnia feci & facio: quemad-modum ipſi vidiſtis atque audiſtis.

Ego igitur ſum Chriſtus.

Dominus ſolam enuntiat aſſumptionem: propoſitionem verò & concluſionē relinquit ſupplendam Johanni. Scie-bat enim, Johanni ex Prophetis conſtare de veritate pro-poſitionis. De veritate autem aſſumptionis conſtabat ex ipſo teſtimonio experientiæ ſive ſenſus duorum illorum diſcipulorum. Unde jam concluſio neceſſariò ſequebatur.

PARS QUARTA.

Dat Johanni teſtimoniu n apud turbam.

24 *Porrò quum abiſſent nuntii Johannis, cœpit de Johanne dicere ad turbam; Quid exiſtis in deſertum ſpectaturi? arundi-nem quæ à vento agitetur?*

25 *Sed quid exiſtis viſuri? hominem mollibus veſtimentis a-mictum? ecce, qui veſtibus magnifico utuntur, & in delicijs vivunt, ſunt in palatijs regum.*

26 *Sed quid exiſtis viſuri? Prophetam? certè dico vobis, etiam amplius eſt quàm Propheta.*

27 *Hic eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te.*

28 *Nam dico vobis, Inter genitos à mulieribus, nullus eſt ma-jor Propheta Johanne Baptiſta: ſed qui minimus eſt in regno Dei, major eſt ipſo.*

29 *Et totus populus audito* illo, *& publicani juſtificarunt De-um, quippe baptizati baptiſmo Johannis.*

30 *Phariſæi autem & Legis interpretes conſilium Dei re-jecerunt*

rejecerunt adversus semetipsos, quippe *non baptizati ab illo*.

Primùm indicatur testimonii hujus occasio, 2. testimonium ipsum. Occasionem de Johanne apud populum præsentem testificandi præbuit Domino recens illius factamentio coram populo per discipulos ab illo missos. Id significatur his verbis, *Porrò quum abiissent nuntii Johannis*. Testimonium continet laudem Johannis quadruplicem: primam à constantia doctrinæ, v. 24: secundam à severitate vitæ, v. 25: tertiam ab eximio honore muneris Prophetici, v. 26. 27. & 28: quartam denique à doctrinæ ipsius effectu, v. 29. & 30. Constantiã doctrinæ significat negatione contrariæ levitatis: quam ipsam significat similitudine arundinis, negans, Johannem esse similem arundini quæ vento agitatur. Severitatem vitæ similiter significat negatione contrarii, nempe vitæ delicatæ: negans, Johannem esse ex numero illorum qui vestitu molli ac splendido, victúve delicato utuntur. Excellentiam muneris Prophetici significat collatione ipsius cum superioris ætatis Prophetis tanquam minoribus, v. 26. Deinde eandem confirmat à peculiari honorifico adjuncto, videlicet prophetia de ipso, quam recitat ex Malachia v. 27. Tertiò collationem allatam repetit & declarat: eandemque per prolepsin amplificat collationè alterâ, qua Johanni præfert præcones futuros Evangelii pleni, v. 28. Quippe Johannes major propheta seu doctor excellentior fuit quàm alii ante ipsum Prophetæ: quia illi prophetarunt de Christo venturo, at Johannes digitò ostendit præsentem. Rursus præcones Evangelii pleni, post Christi scilicet in cœlum ascensioné, excellentiores sunt doctores (nempe quod ad genus doctrinæ attinet) quàm fuit Johannes: quia etsi Johannes Christum præsentem tanquam agnum pro redemptione Ecclesiæ mactandum ostendit: tamen non potuit testari, agnum illum jam mactatum & opus redemptionis jam peractum esse: id quod testantur præcones Evangelii pleni. Effectum doctrinæ Johannis fuisse narrat Dominus: quòd totus populus & publicani illi crediderunt: id probat ex effectu, quia baptismum ipsius susceperunt. Cæterùm istum effectum doctrinæ Johannis amplificat

ab eventu contrario, nempe incredulitate Scribarum & Phariſæorum, v. 30. quam incredulitatem ſimiliter demõſtrat ex effectu, nempe quòd Baptiſmum Johannis non ſuſceperint, ſed repudiarint. Fidem autem populi & publicanorum quam doctrinæ Johannis habuerunt, ſignificat per metonymiã effecti, ubi ait, *Juſtificarunt Deum*: hoc eſt, ut juſtum & benignum prædicarunt propterea quòd ipſis dediſſet illum doctorem à quo erudirẽtur in veritate myſterii regni cœlorum. Similiter incredulitatem Phariſæorum qua fidem doctrinæ Johannis derogarunt, ſignificat per metonymiam effecti, ubi ait, *Conſilium Dei rejecerunt adverſus ſemetipſos*. quaſi dicat: Debuerunt ſtatuere conſilium Dei eſſe ut ſerventur per fidem habitam doctrinæ Johannis: at fidem doctrinæ illius habere noluerunt, atq; ita conſilium Dei de ipſorum ſalute rejecerunt.

PARS QUINTA.

Conqueritur de perverſitate Scribarum & Phariſæorum.

31 *Dixit præterea Dominus, Cui ergo aſſimilabo homines nationis iſtius? & cui rei ſimiles ſunt?*

32 *Similes ſunt pueruli qui ſedent in foro, & qui acclamant aliis aliis, & dicunt; Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non fleviſtis.*

33 *Venit enim Johannes Baptiſta neque edens panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet.*

34 *Venit Filius hominis edens ac bibens; & dicitis, Ecce homo edax & vinipotor, amicus publicanorum ac peccatorum.*

35 *Sed juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis omnibus.*

Primùm notatur querelę hujus occaſio, 2. exponitur ipſa querela, 3. opponitur querelæ conſolatio. Occaſio notatur conjunctione ſyllogiſtica οὖν, id eſt, *Ergo*: ubi ait, *Cui ergo aſſimilabo* &c. quaſi dicat, Quum igitur Phariſæi & Legis interpretes conſilium Dei rejecerint, non credentes doctrinæ Johannis, ut modò dixi: jure conqueror de ipſorum perverſitate. Occaſionem igitur Domino ad hanc querelam præbuit facta modò mentio perverſi facti Phariſæorum,

risæorum. Queritur autem Dominus de calumnia qua isti calumniabantur mores tum Johannis tum ipsius: quæ calumnia directa erat ad prætextum repudiationis doctrinę illorum; quasi jure illam repudiarent, ut quæ non afferretur à doctoribus fide dignis. Istam autem calumniam illustrat similitudine: qua mores suos faciles atque humanos comparat cantui puerorum in foro ludentium, comparato ad hilaritatem & saltationem: mores verò Johannis severos comparat cantui puerorum ludentium lugubri & ad lamentādum comparato. Calumniam verò Pharisæorum & Scribarum comparat petulanti ac perversæ recusationi puerorum cum aliis illis pueris colludentium: qui scilicet nec saltant cum eis canuntur lætа; nec flent quum canuntur lugubria. Protasis similitudinis continetur v. 32. Apodosis v. 33. & 34. Consolatio querelæ oppositа ducitur à facto contrario Electorum, ut qui doctrinam utriusque pro sapientia cœlesti, & ambos ipsos pro doctoribus cœlestibus seu divinitus missis agnoscant & approbent, v. 35.

PARS SEXTA

Remittit peccata mulieri peccatrici.

36 *Rogavit autem eum quidam ex Phariseis ut secum cibum caperet: itaque ingressus domum Pharisæi, discubuit.*

37 *Et ecce, mulier in urbe quæ erat peccatrix, quum cognovisset eum accubuisse in domo Pharisæi: allato alabastro unguenti.*

38 *Et stans ad pedes ejus retro, flens cœpit lachrymis rigare pedes ejus; & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ejus, & unguento illo ungebat.*

39 *Quum autem id vidisset Phariseus qui vocaverat eum, dixit apud se; Hic, si esset Propheta, nosset quæ & qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum: quòd* videlicet *sit peccatrix.*

40 *Tunc respondens Jesus dixit ei; Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait; Magister, dic.*

41 *Duo debitores,* inquit Jesus, *erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, alter verò quinquaginta.*

42 *Quum autem illi non essent solvendo, condonavit utrisque. Horum igitur dic uter eum plus diliget?*

Ad omnem dubitationem eis eximendam esculentum aliquid postulavit, v. 41. 6. Partem piscis assi & ex favo apiario comêdit, v. 42. & 43. 7. E scripturis demonstravit, oportuisse se ita pati & resurgere, & oportere ista deinceps in mundo prædicari, v. 44. 45. 46. & 47. 8. Apostolatum illis commendavit, v. 48. 9. Promisit eis missionem Spiritus sancti, v. 49. 10. Jussit eos missionem illam exspectare Hierosolymis, ibid.

SECUNDA PARS CAPITIS.

De Domini in cælum ascensione.

50 *Eduxit autem eos foras Bethaniam usq; & sublatis manibus suis, benedixit eis.*

51 *Et factum est, dum ipse benediceret eis, discessit ab eis, & ferebatur in cælum.*

52 *Ipsi autem adorato eo reversi sunt Hierosolymam cum gaudio magno.*

53 *Erant q; semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.*

Primò narratur pars una præparationis, qua discipuli adspectandum ascensionē Domini fuerunt præparati: deinde locus unde ascendit: tertiò altera pars præparationis: quartò ipsa ascensionis forma seu modus: quintò eventa. Prima pars præparationis fuit, quòd Dominus discipulos eduxit foras, id est, extra urbem Hierosolymam, v. 50. Locus quò illos eduxit & unde postea ascendit, fuit Bethania, ibid. videlicet mons quidam, ut declarat Matthæus, cap. 28. v. 16. Altera pars præparationis fuit valedictio, qua discipulis valedixit, sublatis manibus benedicens eis, hoc est, exoptans illis gratiam Dei, ibid. Ipsa forma ascensionis consistit in duabus actionibus: unâ, quòd à discipulis discessit: altera, quòd sursum ferebatur in cælum, vers. 51.

Eventa in discipulis narrantur quatuor. 1. Adorarunt eum ascendentem. 2. Reversi sunt Hierosolymam. 3. Magno gaudio affecti sunt. 4. In templo commorantes Deum laudarunt, duob. versib. ultimis.

SCHOLIA

SCHOLIA IN CAP. XXIV.

1 *Primo autem die heldomadæ.* τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων. Ad μιᾷ subauditur ἡμέρᾳ. Et μια ponitur pro πρώτῃ per synecdochen Hebraicam, quam declaravimus in scholiis in Matth. 28. 1. Et σαββάτων ponitur pro σαββάτου: ut ibidem ostendimus.

3 *Et ingressæ.* καὶ εἰσελθοῦσαι. Scil. in monumentum: quod erat excisum in petra, Matth. 27. 60.

4 *Tum ecce.* καὶ ἰδού. Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum. *Supervenientes adstiterunt eis.* ἐπέστησαν αὐταῖς. quasi dicas, Superstiterunt eis. Sic Act. 4. 1. *In vestibus.* ἐν ἐσθῆτι. Id est, induti vestibus.

5 *Inter mortuos.* μετὰ τῶν νεκρῶν. Vel, apud mortuos. Ad verb. Cum mortuis.

7 *Oportet.* ὅτι δεῖ. Conjunctio ὅτι servit mimesi seu prosopopœiæ.

8 *Illius.* αὐτοῦ. Scil. Domini.

9 *Reliquis.* τοῖς λοιποῖς. Scil. discipulis Domini.

10 *Maria Jacobi* mater. Μαρία Ἰακώβου. Supplendum μήτηρ, ex Marc, 15. 40.

11 *Visa sunt.* ἐφάνησαν. Ad verb. *Apparuerunt:* pro, ἐδόκουν. Translatio à corpore ad animum. Nam φαίνεσθαι, id est, apparere, propriè dicuntur quæ in oculos incurrunt: à nomine φῶς, id est, lumen. Metaphora apud discertiores quoque Græcos usitata. *Visa sunt apud eos.* ἐφάνησαν ἐναντίον αὐτῶν. Ad verb. Apparuerunt coram eis: pro, visa sunt eis. Hebraismus. *Neque crediderunt eis.* καὶ οὐκ ἐπίστευσαν αὐταῖς. Vel, *Et fidem derogarunt eis.* Hæc enim periphrasi videtur satis commodè exprimi vis verbi ἀπιστεῖν.

15 *Surgens.* ἀναστὰς. Quum surrexisset, id est, se accinxisset itineri. *Introspiciens.* παρακύψας. Ad verb. Quum introspexisset. Sed est enallage temporis, ut apparet ex verbo sequente βλέπει: quo significatur, eum vidisse inter introspiciendum. Procumbendi verbum quo vetus interpres usus est, minùs recedit à verbo Græco: quod significat capite procumbere & prominere. Ideó autem capite

in monumentũ procubuit Petrus, ut introſpiceret & cognoſceret, an corpus Jeſu illinc amotum eſſet. Eſt igitur metonimia effecti deſtinati, id eſt, Et incurvavit ſe intrò. Et ſic ſuprà 13. 11. γυνὴ συγκύπτουσα redditur mulier incurva: & κάκυψαι, ſeſe incurvare. *Quod factum fuerat.* τὸ γεγονὸς. Id eſt, quod acciderat de corpore Jeſu.

14 *Colloquebantur.* ὡμίλουν. In verbo ὁμιλεῖν eſt hîc duplex ſynecdoche: una ſpecici, quatenus ὁμιλεῖν ſignificat propriè *verſari in cœtu ſeu multitudine hominum*, à nomine ὅμιλος: hîc autem capitur in genere pro eo quod eſt, *Verſari cum alio*: Altera generis, quatenus intelligitur hîc, *Colloqui cum alio.*

15 *Tum ipſe.* καὶ αὐτὸς. Copulativa pro relativa temporis, ut ſuprà v. 4.

16 *Ne ipſum agnoſcerent.* τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν. Scil. ἵνα. Pro οὕτω μὴ ἐπιγνῶναι: ut ſcil. effectus notetur: quanquam etiam illa ſignificatio finis locum habet.

17 *Confertis.* ἀντιβάλλετε. Verbum ἀντιβάλλειν videtur propriè dici de iis qui quippiam, ut pilam, è regione alter ad alterum projiciunt.

18 *Alter eorum.* ὁ εἷς. *Tu ſolus commoraris & ignoras.* σὺ μόνος παροικεῖς καὶ οὐκ ἔγνως. Pro, Tu ſolus ex iis qui Hieroſolymæ commorantur ignoras?

20 *Ut morte damnaretur.* εἰς κρίμα θανάτου. Ad verb. Ad judicium mortis. κρίμα pro κατακρίματος, ſynecdoche generis.

21 *Iſraëlem.* τὸν Ισραὴλ, id eſt, populum Iſraëliticum, populum Dei.

25 *Ad credendum.* τοῦ πιστεῦσαι. Scil. ἵνα. Pro, ἐπὶ τῷ πιστεῦσαι. *Ad credendum omnibus.* τῷ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσι. Pro, τῷ πιστεύειν πᾶσιν, cum dativo ſcil. rei. Enallage phraſeos Hebraicæ: qualis in illo, Crediderunt in Domino & in Moſe: Exo. 14. v. ult. pro, Crediderunt Domino & Moſi. *Omnibus quæ loquuti ſunt.* πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν. Pro, πᾶσιν ἐκείνοις ἃ ἐλάλησαν. Græciſmus.

26 *Et ita intreire.* καὶ εἰσελθεῖν. Adverbium *ita* à vetere interprete interjectum, lucem ſententiæ affert. Sic enim Paulus Actor. 14. 22. dicebat, *Oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei.* Eadem autem eſt ratio membrorum

brorum & capitis. Sic nominatim de ipso Christo Philip. 2.v.9. Quapropter etiam Deus eum extulit &c. quia scilicet antea obedientes ei factus fuit usq; ad mortem crucis.

28 *Quò.* ἐπορεύθησαν. Id est, in quem vicum. *Simulabat se longiùs ire.* προσεποιεῖτο τὸ πορρώτερον πορεύεσθαι. Subauditur ἑαυτόν: quæ ellipsis apud Græcos usitata & elegans est.

29 *Coëgerunt.* παρεβιάσαντο. Proprè, *Vim attulerunt ei.* Cicero in Lælio: *Vim hoc quidem est afferre, quid enim refers, qua me ratione cogatis? cogitu certè.* *Advesperascit.* ἐπιβέβηκεν ἑσπέρας. Ad verb. *Ad vesperam est:* id est, dies ad vesperam inclinat, ad solis scilicet occasum: sicut mox per epexegesin annectitur.

30 *Benedixit.* εὐλόγησεν. Id est, gratias egit Deo. *Fractum.* κλάσας. Seu, postquam fregisset.

31 *Aduperti sunt oculi eorum.* διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν. Num igitur antea erant clausi? Erant quasi clausi, quantum ad agnitionem præsentis objecti. Itaque eatenus fuerunt aperti oculi eorum ut Jesum agnoscerent: sicut mox additur. *Apparere desiit* digressus *ab eis.* ἀφαντὸς ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. Vel, disparuit *digressus* ab eis. Præpositio κατὰ omnino innuit ellipsin verbi κατέλαβεν, aut similis: qualis ellipsis Hebræis non est insuita. Similis ellipsis est in illo Act. 1. v. 9. νεφέλη ὑπέλαβε αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν: Nubes suscepit eum & *abstulit* seu *subduxit* (ὑπολαβοῦσα) ab oculis eorum. Sic Matth. 4. v. 5. παραλαμβάνει αὐτὸν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. Assumit eum & *transfert* (ἁρπάσας sive μετάγει) in sanctam urbem. Syrus neglecto nomine ἀφαντὸς, ellipsin illam explevit, vertens: ואתעדי מנהון ואזל: vehú eschrekél léh menhún: id est, *Et ipse fugit* sive *subduxit se ab eis*: videlicet subitò & ipsis non animadvertentibus. Non bene redditur, id est, evanuit: sed reddendum, Tolerari tamen potest illa versio, si commodè intelligatur, videlicet per metaphora καταχρηστικῶς. nam sicut quæ propriè loquendo evanescunt, ea oculis nostris apparere desinunt: ita etiam apparere nobis desinunt, quæ ab oculis nostris removentur. Et sic Virgilius verbo *evanescendi* usus est 4. Æneid. ubi de Cyllenio, id est, Mercurio, ab Ænea discedente, sic ait;

——————tali Cyllenius ore loquutus.
Mortalis visus, medio sermone reliquit.
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

Atque eodem sensu Græci utuntur verbo ἀφανίζεσθαι. Omnino ἀφαντος ἐγένετο hîc idem valet, quod ἠφανίσθη apud Plutarchum, ubi ait, ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη: id est, à conspectu hominum evanuit, sive disparuit.

32 *Inter se.* πρὸς ἀλλήλους. Sive, alii ad alios.

31 *In via.* ἐν τῇ ὁδῷ. Scil. ambulante cum eis Domino Emmauntem versus. *In fractione panis.* ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Id est, ἐν τῷ κλᾶν τὸν ἄρτον: interim dum frangeret panem. quasi præpositio ἐν notet causam procreantem istius agnitionis, sive argumentum ex quo Dominum agnoverint. Et sanè phrasi Hebraicâ id significari hoc loco potest; quã phrasin Græci interpretes retinuerunt Gen. 42. v. 33. ubi filii Jacobi narrant patri quibus verbis dominus Ægypti (is autem erat Josephus frater ipsorum, quem adhuc non agnoverant) ipsos allocutus sit, inter alia dicens: *Hac re cognoscam vos esse probos* &c. ubi in Hebræo habetur, בזות אדע bezóth edáh: quod Græci ad verbum reddiderunt, ἐν τούτῳ γνώσομαι, in hoc seu in hac re cognoscam, &c. Sed Græci disertiores hîc utuntur præpositione ἐκ: ut apud Xenophontem Pæd. 8. ait Cyrus, ἐμοὶ μὲν τοῦ βίου τὸ τέλος ἤδη παρέστιν· ἐκ πολλῶν τοῦτο σαφῶς γινώσκω: id est, Mihi quidem vitæ finis jam adest: ex multis rebus perspicuè istud cognosco.

37 *Putabant se conspicere.* ἐδόκουν θεωρεῖν. Scil. ἑαυτοὺς. Ellipsis Græca. *Spiritum.* πνεῦμα. Id est, spectrum, φάντασμα: ut vocat Matth. cap 14. v. 26. Synecdoche generis, & metonymia subjecti vel efficientis. Intelligitur enim fallax & inanis species à spiritu aliquo malo assumpta vel effecta.

38 *Subeunt corda vestra.* ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Ad verb. *Ascendũt in cordibus vestris*: pro, εἰς vel ἐπὶ τὰς καρδίας id est, in corda: ut 1 Cor. 2. v. 9. Hebraismus. *Habere.* ἔχοντα. Ad verb. *habentem.* Græcismus.

44 *Hi sunt sermones.* οὗτοι οἱ λόγοι. Id est, hæ sunt illæ res de quibus loquutus fui. Metonymia adjuncti. *Quum adhuc essem vobiscum.* ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν. Ergóne tum non erat cum eis,

quum

quum hæc eis loqueretur? Utrú; erat: sed non ita ut antè, ut scilicet palàm cum eis versaretur, utrú; videretur diutiùs mansurus. nam post quadraginta dies in cœlum ascensurus erat: per quod tempus clàm cum eis versatus fuit, & per intervalla, instituens eos de regno Dei: Johan. 20. & 21. Act. 1.

45 *Ut intelligerent.* Τοῦ συνιέναι. Scilicet ἵνα. pro ὥστε συνίεναι.

47 *Apud omnes gentes.* εἰς πάντα τὰ ἔθνη. Pro, ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, id est, inter omnes gentes. In *ejus nomine.* ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Id est, ex ejus mandato, nam videntur hæc omnino regi à verbo κηρυχθῆναι.

49 *Mitto.* Ἀποστέλλω. Id est, brevi mittam, seu non multis pòst diebus, Act. 1. v. 5. *Promissum patris.* τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός. Id est, Spiritum sanctum: quem promisi Patrem vobis missurum in nomine meo, Joh. 14. v. 16. 17. 26. Sic Act. 1. 14. *Super vos.* ἐφ' ὑμᾶς. Nam Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum consèdit super unumquemque ipsorum, Actor. 2. v. 3. *Manete.* καθίσατε. Ad verb. Considite. Metonymia effecti destinati. *Induamini robore.* ἐνδύσησθε δύναμιν. Robore scil. animi, id est, animi magnitudine ad prædicandum Evangelium coram regibus & populis. Hujus roboris clarissimum exemplum proponitur in Petro Actor. 2. & 3. & 4. In tali sensu utitur Paulus verbo ἐνδυναμοῦν Philip. 4. v. 13. ubi ait, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με χριστῷ. Omnia valeo per Christum qui me corroborat. *Ex alto.* ἐξ ὕψους. Id est, à Spiritu sancto qui mittetur super vos ex alto, videlicet è summo cælo.

50 *Benedixit eis.* εὐλόγησεν αὐτούς. Id est, valedixit eis, cõmendans eos gratiæ Dei, seu exoptans eis gratiam Dei.

51 *Discessit ab eis.* διέστη ἀπ' αὐτῶν. Ad verb. Distitit ab eis. *Sursum ferebatur.* ἀνεφέρετο. Quasi dicat, ἀνῳκεῖτο. Sic Marc. 16. 19. ἀνελήφθη, sursum receptus est.

52 *Ipsi autem.* οἱ δὲ αὐτοί. Pro, αὐτοὶ δέ.

53 *Semper.* διαπαντὸς. Id est, διὰ παντὸς χρόνου, per omne tempus. *Laudantes.* αἰνοῦντες. Scilicet τὸν Θεόν. Deum. *Benedicentes.* εὐλογοῦντες τὸν Θεόν. Id est, Laudantes, ut modò dixit. Phrasis Hebraica: quæ tamen in hac significatione fere adsciscit dativum.

OBSERVATIONES EX CAP. XXIIII.

Quid discendum sit ex historia resurrectionis Domini: vide in Observationibus ex Matth. ultimo. Præter illa autem ex hoc capite discenda sunt hæc.

mult. 1. Ex v. 14. & seq. Si cupimus ut Christus se nobis adjungat & versetur in medio nostri, (id quod jam quidem non corpore, sed spiritu fieri solet) colloquamur de rebus ad regnum Dei pertinentibus: exemplo duorum illorum discipulorum.

diff. 2 Ex v. 25. & seq. Jesum illum crucifixum esse Christum, probatur ex eo quòd in ipso oracula Prophetarum de Christo impleta fuerunt.

diff. 3 Ex v. 28. Non omnis simulatio peccatum est: quia & Christus hic aliquid simulavit.

mult. 4 Ex v. 29. Christus rogandus est ut nobiscum maneat, nempe spiritu suo, nam corpore nunc non vult.

indif. 5 Ex v. 31. Abutuntur hoc loco qui inde conantur probare, corpus Christi redditum esse invisibile. neque enim Evangelista dicit, Dominum factum ἀόρατον, id est, invisibilem: sed ἄφαντον, id est, non apparentem. Vide Scholia.

diff. 6 Ex v. 32. Dum Electis explicantur Scripturæ de Christo atque ita de æterna ipsorum salute per illum, accenduntur corda ipsorum per Spiritum sanctum desiderio proficiendi in cognitione mysterii illius. Quare qui tale desiderium ex Scripturarum explicatione atque meditatione experiuntur, inde colligant se in numero Electorum esse.

mult. 7 Ex v. 33. & seq. Si quid in cognitione mysterii Evangelii profecimus, cupidè id cum fratribus communicare debemus.

diff. 8 Ex v. 37. & seq. De præsentia corporis Christi (nempe substantiali) judicandum est sensu videndi & tangendi. hanc enim judicandi rationem Dominus ipse hîc tradit: dum veritatem corporis sui præsentis à judicio sensuum illorum confirmat.

9 Ex

9 Ex v. 44. Libri Mosis, Prophetarum & Psalmorum authentici sunt, continentes scil. regulam fidei nostræ: quia ipsius Christi ore sunt approbati. διδ.

10 Ex v. 47. Duo sunt principalia doctrinæ Christianæ capita: videlicet doctrina de pœnitentia, ex Lege; & doctrina de remissione peccatorum, ex Evangelio. διδ.

11 Ex v. 51. Christus, suo corpore verè ex mundo hoc discessit atque in cælum introivit. διδ.

12 Ex v. 52. Christus, ut Deus, adorandus est. διδ.

13 Ex v. ult. Exemplo Apostolorũ frequentes convenire in sacris cœtibus, Deumq; pro beneficiis suis commini ore laudare debemus. παιδ.

FINIS.